


80

58

Sl— 80 (237)

N° — 58

Regalo esta obra el Sr. Amat Obis-
po de Astorga por mano del Dr. y Ca-
tedratico de esta Universidad D. Fermin
de la Puente y Apezechea

DE IESU-CHRISTI ECCLESIA

TRACTATUS.

PARS PRIMA

CONTINENS EIUS

SUMMARIUM HISTORICUM.





ECCLESIÆ IESU-CHRISTI

SUMMARIUM

HISTORICUM,

IN QUO

EVIDENTER APPARET ECCLESIAM, QUÆ NUNC CATHOLICA ROMANA DICITUR, IPSISSIMAM ESSE QUAM FILIUS DEI FACTUS HOMO SUPRA CONFESSIONEM DE IPSIUS DIVINITATE A PETRO APOSTOLO FACTAM ÆDIFICAVIT.

Auctore

Illmo. *D. D. Felice Amat,*

Archiepiscopo Palmyrensi

&c. &c.



TOMUS PRIMUS.

BARCINONE:

TYPIS J. Verdaguer.

Superiorum permissu.

1830.



ILLUSTRISSIMIS AC REVERENDISSIMIS

HISPANÆ ECCLESIÆ PRÆSULIBUS,

HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ

SUMMARIUM,

PALMYRENSIS ARCHIEPISCOPI

ILLUSTRISSIMI D. D. FELICIS AMAT

MUNUS,

AC IISDEM OPTIMO IURE DEBITUM OFFICIUM,

D. O. C.

OBSEQUENTISSIMUS MINIMUSQUE EORUM SERVUS

FELIX TORRES AMAT,

SANCTÆ ECCLESIÆ BARCINONENSIS *Sacrista*.





AD LECTOREM.

Cum turbulentissimâ hac tempestate plerique homines, ut prædixerat Apostolus, humanæ cuiusdam sapientiæ specie seducti, errorem veritati, sanæ doctrinæ inania fabularum commenta præferre soleant; nihil quidem Hispanæ Ecclesiæ Præsulibus iucundius futurum existimavi ad rectè instituendam in Tridentinis Seminariis ecclesiasticam iuventutem, et ut in tantâ noxiorum et inanium librorum pernicie irruenti possint occurrere contagio, quàm opus quo veræ, puræ, genuinæque eruditionis documenta continentur in lucem proferre. Quantum verò id cordi fuerit Palmyrensi Archiepiscopo Ilmo. D. D. Felici Amat, quàmque strenuè in eam rem et Ecclesiæ et iuventutis utilitati consulens incubuerit, argumento sunt cùm philosophici libri quos ad præmuniendos adversùs fucatam philosophiam inanemque fallaciam adolescentes elucubravit et iterum iterumque in lucem edidit, tum plura alia scripta quibus ipsi copiosè rebus ad sanctam Iesu-Christi Ecclesiam pertinentibus imbuerentur. Clarissimus ille vir cùm universam ecclesiasticam historiam fusiori calamo pertractasset multisque volumini-

bus complexus esset, totius operis *summam* in unum redegit, concisione simul et perspicuitate studiosæ iuventutis usui accommodatum: cui postea expressus è totâ historiâ, idemque brevis, adiungeretur de Iesu-Christi Ecclesiâ tractatus, in quo ipsa, veluti quadam in tabulâ nativis suis lineamentis et coloribus adumbrata, se totam cœlestem atque Divinam intuentium oculis exhiberet.

SUMMARIUM

HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ.

APPARATUS.

Scopus 1, *et divisio Summarii* 2. *Ad stabiliendam Ecclesiam homines à Deo præparantur : iudæi prophetarum oraculis* 3 : *gentiles quibusdam lucis radiis* 4 ; *necnon ipsâ mentis humanæ illusione et aberratione* 5. *Origo idololatriæ* 6 : *eam tuentur philosophi* 7 ; *ubi verò florent scientiæ et artes, magis ridicula est* 8, *et probrosior* 9. *Ergo de divinis homo à Deo erudiendus est* 10. *Sed et vitiorum malis altiùs quàm à mente humanâ quærendum remedium* 11. *Mores corrumpit religio gentilis* 12 : *leges humanæ nunquam sat emendant, sæpè etiam corrumpunt* 13 : *philosophi multùm errarunt in principiis scientiæ morum* 14 ; *in præceptis* 15 ; *imò dum ad benè operandum incitabant* 16. *Errores et vitia necessitatem revelationis ostendebant* 17. *Vicissitudines etiam imperiorum Ecclesiæ stabiliendæ inserviebant* 18.

§ I. Quam Iesus-Christus constituit, Apostolique propagavere, hæc eadem *Ecclesia catholica* est, cuius nunc (an. 1808) in terris caput visibile est Pius VII : nostræ venerationis et amoris semper dignissima. Hæc summi

momenti veritas eiusdem Ecclesiæ historiâ demonstratur: præsertim dum in gestorum relatione non modò de filiis ipsius illustrioribus, eiusdemque inimicis sermo instituitur; verùm etiam mediocris saltem exhibetur notitia dogmatum quæ ipsa docet, eorum quæ præcipit, virtutum quas inspirat, actuum religiosi cultûs quos commendat, qua ratione gubernatur, quibus calumniis impetitur, quæ sophismata ipsi opponuntur, ac tandem stabilium fundamentorum, quibus credendi et agendi tota eius innititur doctrina et disciplina. Talem Ecclesiæ notitiam christianis facilè haberi summè necessarium fuit, ex quo impia de rebus divinis incredulitas, aut philosophiæ pallio personata, aut corruptis sociata moribus, per omnes civium ordines diffundi cœpit, aut veluti cancer serpere.

§ II. Itaque ut tam diram pestem hispani securiùs caveant, et tamquam veri Ecclesiæ filii ita Matrem agnoscant, ut profundâ veneratione suavique amore eam prosequantur, et ipsius decisiones amplexentur, legibus obsecundent, monitis obtemperent, eiusque ministros audiant; hoc *Summarium* non prorsus inutile fore speramus. In quo paucis quidem verbis, non parvo tamen doctrinæ quæ traditur indicato fonte, duo demonstranda sumimus. Primò: qua ratione ab initio mundi Deus homines præparaverit ad instituendam Ecclesiam. Secundò, et præcipuè: quomodo ipsum Dei Verbum, humanâ carne assumptâ, eam fundaverit, et ad nostra usque tempora conservaverit. Atque totum hunc mille et octingentorum annorum tractum in quinque diversas *epochas*, seu quasi ætates distribuemus: in quibus longè diversâ facie se se mundi conspectui offert Ecclesia, ita tamen, ut ipsissimam esse, quam Christus fundavit, seu quæ opus Dei est, eandemque iugiter hactenus perseverasse, facilè cognoscatur (*Vid.* Tract. de Eccl. *seu* Hist. Eccles. in Præf., *et lib.* 1. *à n.* 1. *ad* 4).

§ III. Ad institutionem Ecclesiæ non solùm iudaicus populus, sed gentilis etiam à Deo præparatur. Illum, quem suum Deus vocat, prophetiis singulariter præparat. Adamo prænuntiat Salvatorem, per quem à dæ-

monis servitute, in quam peccando inciderat, redimendus est. Abrahæ promittit Deus, ex eius posteris nasciturum, qui cunctas orbis nationes benedictionibus cumulet. Filiis suis Iacob manifestum præbet indicium, quo tempus facilè cognoscant adventûs eius, qui populo Dei mittendus, et gentium expectatio est. Hunc verò Daniel Sanctum Sanctorum vocat et Christum Principem, præmonet esse occidendum, tempusque indicat futuræ mortis eius (*Lib.* 1. *à n.* 5 *ad* 12).

§ IV. Gentilem populum per Sibyllarum oracula, antiquorum traditionem, et Moysis libros, de multis admonet Deus: Legislatorem esse venturum, qui tempora moresque in melius mutet: mundum olim incepisse, aquâ semel periisse, et igne tandem finem habiturum: innocentiæ tempora quædam præcessisse: et septimum quemque diem requiei concedere opportunum esse: quibus aliisque similibus certis notitiis, quasi tenuibus lucis radiis parabantur gentiles, ut veritatis lucem ipsam intueri et considerare suo tempore valerent (*ibid. à n.* 15 *ad* 23).

§ V. Interea tamen ignorantiæ et concupiscentiæ tenebris adeò obscurabantur homines, et ita in rebus maximi momenti desipiebant et præcipitabantur, ut inde facilè colligere possent, necessariam ipsis esse lucem mentis suæ luce vividiorem, qua ducerentur. Quòd ad Dei cultum attinet, adeò mens humana cæcutiebat, ut doctrinam unitatis Dei continuâ traditione ab origine mundi ad omnes populos descendentem contempserit, atque *polytheismum* et idololatriam ipsa induxerit; et hæc duo tam fœda monstra vel sapientissimi philosophi, cultissimique populi coluerint, et propugnaverint. Quòd mores spectat, religio ipsa gentilium corruptioni populorum multùm conferebat: leges nullæ sufficienter dirigebant, et celebriores vitia plura commendabant: philosophia in principiis morum instituendis cæca fuit, in tradendis præceptis sæpè inconsulta, et si quæ bona docebat, nec opportunè, nec ob debitum finem peragenda. Hæc verò paulò attentiùs consideremus, ut quam meritò humana mens suam debilitatem experta, doctri-

nam à Deo revelatam priùs exposceret, et postea docilis amplecteretur, faciliùs cognoscamus *(ibid. n. 24)*.

§ VI. Antiquissimâ populorum traditione docebatur, Deum unum esse : unum nempe Deum, et non plures, ab initio adorabant persæ, chaldæi et assyrii, arabes, phœnices seu cananæi, ægyptii quoque ac græci. Nihilominùs hominum mens seu ratio vanissimâ perscrutandi omnia curiositate, fervidoque novandi pruritu agitata, in *polytheismum* et idololatriam præcipitata est, stupendam Deorum multitudinem sibi fingens, atque simulacrorum seu statuarum, quasi ipsa quoque dii essent, adorationem statuens. Iam verò si tot deorum patria seu origo inquiratur, neque in ægyptiorum symbolis omnium cunabula, neque inter antiquos heroes omnium atavi invenientur : ne omnes quidem ex geniis, sive separatis, ut aiunt, intelligentiis, natos esse verisimile est ; sed potiùs diversos deos diversis temporibus à diversis hominum generibus plebis cultui invectos fuisse, prout inconsulta sors aut casus ferebat *(ibid. à n.* 24 *ad* 36 *)*.

§ VII. Neque plebs tantùm quoslibet novos deos anxia amplexabatur ; sed etiam, quod magis mirere, philosophiæ patres. Ac primò quidem philosophorum gentilium nullum omninò accuratam Dei auctoris naturæ notionem habuisse, fortè non iniuriâ diceretur. Certè multorum magni nominis philosophorum de diis opinationes cùm exposuisset Cicero, eas observat non tam esse philosophorum iudicia quàm delirantium somnia. Imò etiam præstantissimi inter græcos Socrates et Plato, atque inter latinos Cicero ipse et Epictetus, qui præ cæteris ad Dei agnitionem accessisse videbantur, adeò tamen à verâ Deitatis notione deviarunt, ut Deum crederent esse ipsum mundum, vel mundi universi animam. Passim verò philosophi creationem rerum, seu vim res ex nihilo producendi diis denegabant : materiam increatam esse ac æternam omnes sibi persuaserunt ; plures autem æternas etiam fuisse rerum formas, seu mundum, sicuti ipse nunc est. Dei providentiam omninò negabant plurimi, et cæteri magnoperè arctare solebant. Ut proinde facilè colligas, Deum unum, à se ipso et essentialiter existen-

tem, totius materiæ rerumque cunctarum ex nihilo creatorem, cœlestia terrenaque omnia non in genere solùm sed singulatim in omnibus eorum motibus providentiâ suâ gubernantem, atque creata omnia in nihilum, unde ea eduxit, reducere potentem, à nullo philosophorum gentilium apprimè cognitum fuisse : quamquam hæc omnia Dei attributa naturali luce seu ratione colligi posse videantur. Atque tam obscura, incerta, imò et falsa idea, quam de Deo concipiebant etiam ii philosophi qui unum agnoscebant, et turpiores superstitiones irridebant, in causâ fuit cur ipsi quoque et generatim omnes, ut veri idololatræ in omnibus morem gererent; illi verò qui populis leges ferebant, *polytheismum* sive plurimorum numinum falsum cultum lege sancirent *(ib. à n.* 37 *ad* 48*)*.

§ VIII. Philosophorum doctrinâ et exemplis gentium erga deos suos et sacros ritus amor fovebatur. Atque adeò, quò magis in scientiâ et animi culturâ proficiebant, eò ampliùs idololatriæ monstra in singulis populis naturâ multiplicabantur. Ex astronomiæ studio astrorum cultus totaque Ægypti idololatria orta videtur. Et quemadmodum scientiarum natale solum fuisse Nili plagas populus iste gloriatur; ac procul dubio inter agros illæ numerandæ sunt, in quibus humana mens primò exculta fuit, maiorique conatu; ita quoque theatrum idololatriæ omnium perridiculæ, et, propter obscenitatem, summæ infamiæ, visum est. Florentissimis etiam Greciæ ac Romæ temporibus deorum multitudo tanta in eis erat, ferèque tam contemptibilis ac in Ægypto. Si enim istic plantæ et animalia colebantur ut dii; in urbe Româ saluti et libertati, febri quoque et fortunæ templa dedicabantur; atque in Athenis, illâ scientiis civitate clarissimâ, iniuriæ etiam et inverecundiæ *(ib. à n.* 49 *ad* 53*)*.

§ IX. Præterea cùm græci et romani turpiora vitia diis tribuerent, potenti deorum exemplo, quasi auro sacrorum calice vitia propinantes, infandorum scelerum horrorem ac turpitudinem mitigabant : unde funestissimæ in moribus populorum pestes necessariò consequebantur.

Iam verò tantum malum non ex religione populorum, sed à poetarum fabulis provenisse, contendunt nonnulli tam antiqui quàm recentes idololatrici cultûs defensores aut excusatores. Frustrà tamen. Perspicua namque veritas est à S. Augustino demonstrata, paganam religionem sive theologiam, Græciæ ac Romæ legibus et imperio sancitam, ipsam esse, quæ in poetarum versibus canitur et describitur : imò theatrorum spectacula et ludos sæpius fuisse celebrata in deorum gratiam, ad illorum patrocinium impetrandum, et ut cultûs publici actus seu officia. His adde innumera fuisse festa inter quorum ritus infanda flagitia numerabantur : ut bacchanalia, lupercalia, *Cibelis* item ac *Kotis ;* et præcipuè Veneris, cuius infamis cultus Babilone quidem, sed longè in Græcia, abominandus erat. Consueta erant in templis simulacra ex marmore aut ligno exsculpta, statuæ ex ære aliove metallo fusæ, ac imagines in tabellis pictæ, quæ deos ac eorum gesta non minùs obscenè repræsentabant oculis, quàm poetarum descriptiones auribus : imò verò simulacra ipsa et statuæ dii prædicabantur, et ab infimâ plebe, et verò etiam à philosophis in hanc stultitiam propter falsam quam de Deo conceperant ideam prolabentibus, et à viris quoque politicis, ut ita statuaria, sculptura et pictura, quæ nobiles vocantur artes, in honore habitæ perficerentur. Atque ita factum est, quòd apud populos idolorum cultores, quò magis artes proficerent, eò perniciosiùs mores corrumperentur *(ibid. à n.* 54 *ad* 69 *).*

§ X. Ergo fabulosissima fuit Theologia apud gentilium philosophos, populosque disciplinarum atque artium culturâ celebratissimos. Unde concludamus necesse est, naturalem hominis rationem prorsus esse insufficientem, ut hominem ad debitam Dei agnitionem et cultum ipsa sola perducat. Socrates Platonis ore monebat frustrà nos laborare in investigatione cultûs qui Deo debetur : nec in re tam obscurâ tenue mentis nostræ lumen insequendum, sed demissè expectandum quòd Deus ipse nos doceat. Plures alii philosophi humanam mentem circa res divinas adeò cæcutire et ineptire sæpius experti, tandem fassi sunt, necessarium omnino esse quòd Deus de divinis

hominem alloquatur et erudiat : qua observatione gentium populi præparabantur, ut doctrinam à Deo revelatam suo tempore dociles susciperent, quamquam mentis humanæ captum longè superaret *(ib. à n.* 70. *ad* 72 *)*.

§ XI. At erant quoque præparandæ gentes, ut novæ legi submissè obtemperarent, licèt corrupti cordis perturbationibus ac desideriis valdè repugnanti. Ad hoc illa observatio tendebat, quòd morum norma, neque prisco deorum cultu, neque celebrioribus populorum legibus, neque philosophorum doctrinis, recta consistere potest : unde suâ sponte fluit, vitiorum malo altiùs quàm à mente humanâ quærendum esse remedium *(ib. à n.* 73 *ad* 75*)*.

§ XII. Profectò idolorum cultus necessariò corrumpit mores, ut aiebat Apostolus ad Romanos : neque de iis componendis curat, ut ex Lactantio et Varrone colligitur. Imò verò falsissimis idololatrarum religionibus aut delebantur omninò, aut miserè tenebris offendebantur antiquæ et sanctissimæ morales ideæ circa Dei iustitiam, futura præmia ac pœnas post mortem, et aliæ similes, quæ apud omnes gentes à primis temporibus traditione descenderant *(ib. n.* 76 *ad* 80 *)*.

§ XIII. Hanc morum iacturam, ex idololatriâ procedentem, quarumdam civitatum leges cavere conabantur. Nihilominus ut ut bonæ sint leges cuiuslibet civitatis, civis eas omnes adamussim observans, pessimis tamen moribus vivere poterit. Namque lex ad reipublicæ ordinem, civiumque sociale bonum, externos hominum actus regere contenta, intima cordis penetralia negligit, ubi vera virtutis aut vitii sedes est. Præterea celebriores antiquorum populorum leges ab æquo et bono maximè declinabant. Ægyptiacæ impudicitiam fovebant, et quædam furta tuebantur. Spartanæ in servos, iuvenes ac infantes recens natos erant crudelissimæ, honestati etiam et æquitati repugnantes, et tamen omnium Græciæ celeberrimæ. Cunctis illius regionis legibus, Athenarum etiam, omninò tacentibus, absque ullâ infamiæ notâ latè ubique grassabatur fœdissima *pæderastia,* contra quam Apostolus Paulus, Sanctus Ioannes Chrysostomus, aliique Ecclesiæ patres vehementissimè declamarunt. Roma-

næ leges ad iustitiæ normam plerumque compositæ, adversùs debitores, pueros ac servos inhumanam barbariem præ se ferebant; et ipsa urbs, ut ex Cicerone, Seneca, sancto Iustino et Lactantio colligitur, infami puerorum amore, eodem modo ac Græcia, infecta fuit. Demùm ferè omnium populorum leges in spectaculis seu ludis publicis immanem sævitiem fovebant, præcipuè inter gladiatores, in quorum cruentissimis pugnis cum plausu celebrandis Romanus populus ferocitate ac barbarie cæteros superare videbatur *(ib. n.* 81 *ad* 100 *).*

§ XIV. Etiam gentilium philosophia ad mores dirigendos inepta erat: quoniam circa principia morum cæcutiens, in tradendis præceptis temerè agebat et incongruenter: si qua verò opportuna aliquando docuit, certè sine methodo, sine auctoritate et vi. Neque tantùm de divinis agentes turpiter erraverunt gentium philosophi: necnon circa originem naturamque hominum mirùm quantùm insanierint. Animorum inmortalitatem, aut penitùs negabant, aut mille cum erroribus confundebant. Bonorum finem, ad quem humanæ actiones referendæ sint, in hac ipsâ mortali vitâ constituendum ac obtinendum arbitrabantur. Hominem dicebant sibi ipsi sufficere ut beatus sit, seu felicitatem unicè à se ipso expectare debere. Alterius post hanc futuræ vitæ pœnas ab iniquis luendas deridebant. De felicitate post mortem habendâ verum quidem est aliquos philosophos fuisse locutos: eam tamen non virtutis esse præmium docuere, sed sublimium quorumdam animorum quasi privilegium: virorum nempe insignium sapientiâ, aut militari fortitudine, sive magnâ erga patriam beneficentiâ perillustrium. Ex quibus apparet traditam ab ultimâ antiquitate doctrinam de futuro post mortem animorum statu, de qua Homerus, Plato atque Cicero summâ cum veneratione sæpè locuti sunt, fœdissimè deturpatam fuisse ab ipsâ philosophiâ: quæ cùm aliunde inordinatarum animi perturbationum neque originem nosset neque remedium, imò verò omnes quas natura patitur bonas esse existimaret, à rectâ viâ longè deflectebat, per quam ad

cognitionem principiorum, quibus doctrina morum innititur, veniendum est *(ib. n.* 101 *ad* 119 *)*.

§ XV. Morum principiis ignoratis, de præceptis admodum inconsultò loqui gentilem philosophiam mirandum non est. Præstantiora silet, et aliqua æquitati ac bonitati contraria indicit. Neque Dei amorem iubet, neque alios intimos mentis actus, quibus Deum colere iustum est; nec quidem malè actorum pœnitentiam, ut eorum venia à Deo impetretur. Debitam supremis potestatibus obedientiam ac venerationem philosophia illa non præcipit; singulorum verò populorum leges etsi iniquissimas sustinere conatur. Benevolentiam sine necessitate constringit: vindictam privatis civibus levi causâ concedit. Misericordiam improbat, et cum egenis durè agere suadet. Mendacium facilè excusat, et fidem frangere. De fortitudine multa loquitur: at eo nomine inconsideratam quamlibet perpetiendi doloris aut negligendæ mortis rationem intelligere solet, falsam nempe fortitudinem, quæ in desperationem facilè convertitur, et ad immane flagitium sibi ipsi mortem inferendi rectâ conducit. Certè philosophi plurimi magnâ verborum copiâ tantum facinus excusare contendunt, etiam repugnantibus plurium populorum legibus. Demum austeriores philosophorum sectæ, et quædam impudicitiæ genera, et ebrietatem, dummodo non sit valdè frequens, ab omni reprehensione defendere nitebantur *(ib. à n.* 120 *ad* 138 *)*.

§ XVI. Erat igitur paganorum philosophia moribus exitiosa ob mala multa, quæ docebat: erat item ob insolentem animi elationem, quam inspirabat; et erat insuper omnino inutilis cùm bona præcepta fortè traderet. Etenim si ad virtutes excitabat animos, non alio tamen fine, quàm ut ab aliis homines laudarentur, aut sibi ipsis sui contemplatione placerent. Ad benè operandum non alio impulsu aut ratione alliciebat, quàm mundanæ gloriæ amore: quem tamen impulsum sæpè iniustitiâ niti, et semper contemptibilem et inefficacem esse ratio ipsa naturalis agnoscit. Quod ut apertè demonstret S. Augustinus, de inani gloriâ eundem sermonem instituit, quo cæteri philosophi epicureos irridere solebant, eò

quòd delectationem vellent finem esse ad quem virtutis opera dirigantur : quasi delectatio regina foret, cuius imperio prudentia, iustitia, cæteræque virtutes ad nutum illius obtemperare debeant. Id autem observat Augustinus perinde ridiculum esse, si de inani gloriâ, ac si de delectatione dicatur. Denique pagana philosophia neque imperio, neque auctoritate potiebatur, ut leges aut præcepta morum populis indiceret, neque aptâ utebatur methodo, ut eius doctrinâ à populo intelligeretur *(à n.* 139 *ad* 146*)*.

§ XVII. Quare concludendum est, populorum mores nec doctrina philosophorum ad æqui et boni normam componi posse, neque legibus aut religionibus, quæ naturalis hominum rationis opera sint. Iam verò in errores ac vitia homines prolabi sinit Deus, ut necessarium agnoscant malorum remedium non à se ipsis, sed à vi superiori expectandum : quibusdam tamen veris notionibus, virtutibusque instructos conservat, ut ab iis ad remedium, cùm oblatum fuerit, cognoscendum et promptè recipiendum, adigantur. Omnia ergo quæ in mundo fiunt, Ecclesiæ stabiliendæ diuque conservandæ inserviunt *(ib. à n.* 147 *ad* 154 *)*.

§ XVIII. Ad hunc quoque finem terrenorum imperiorum gesta, exaltationem, casum comparari, in mirando Nabuchodonosor somnio à Daniele explicato clarè conspicimus. Celebriores antiquitatis monarchiæ, Chaldæorum seu Assyriorum, Medorum et Persarum, Alexandri et Græcorum, et tandem Romana, in eo repræsentantur, quo humani colossum imperii in tantam molem crevisse cognoscamus, ut eius conspectu magis eluceat immensa illa Dei omnipotentis vis, qua Ecclesiam seu regnum suum in terrâ constituit. Illud enim constituit non armis, non humanis viribus, non divitiis, non gloriæ aut sapientiæ fastu ; et tamen regnum hoc in æternum constabit, et omnes illius fideles subditi longè beatiores erunt iis, qui in memoratis monarchiis imperarunt. Quia tamen Romani imperii tempore suum spirituale regnum seu Ecclesiam fundare Deus constituerat, et ipsa urbs illius imperii caput, caput etiam Ecclesiæ per longa sæcula futura erat ; ideò anticipatam Romani imperii

notitiam Danielis ore Deus mundo dedit, prænuntiavitque illius militum summam vim, atque frequentes terrâ marique victorias, domestica quoque bella inter populum et Senatum, aut inter ipsos reipublicæ moderatores. Certè tot et tam latissimis regionibus sub uno Romano imperio constitutis faciliorem reddi per totum orbem doctrinæ evangelicæ diffusionem oportebat, et ipsâ quoque romanorum ferâ crudelitate in primos Christi fideles, eius notitiam velociùs ad plures populos propagari. Interea Augusti tempore Romani imperii pax, quasi ultima mundi præparatio fuit, ut tandem Princeps pacis Dei Filius factus homo nasceretur *(ib. n.* 155 *ad* 165).

ÆTAS PRIMA

A CHRISTI NATIVITATE AD PACEM CONSTANTINI.

CAPUT I.

Verbi incarnatio : Iesu *nativitas, infantia, vita occulta.*

Ecclesiæ quinque ætates seu epochæ 1. *Quæ sunt in priori consideranda* 2. *Verbi Divini incarnatio* 3. *Virginis Mariæ dignitas* 4. *Sancti Ioannes et Ioseph* 5. *Christus à familiâ David ex duplici genealogiâ* 6. *Nascitur in Bethlehem* 7 : *circumciditur et vocatur* Iesus 8. *Adoratur à Magis* 9. *In templo à Simeone agnoscitur* 10. *Fugit in Ægyptum : rem mirandam!* 11. *Duodennis in templo : deinde subditus parentibus vivit occultè* 12.

§ I. A Christi nativitate mille et octingentos annos, paulò ampliùs, numeramus, quos in quinque partes seu *epochas* distribuimus. Prima ætas Ecclesiæ tria sæcula et nonnullos annos, à Christi Domini nativitate ad pacem Constantini complectitur. In qua ex Filii Dei exinanitione, obedientiâ usque ad mortem, et mortem crucis, nascitur Ecclesia, Apostolorumque laboribus ac martyrum

sanguine propagatur. Mundi oculis vix apparet nisi dum eius filii à magistratibus in foris seu plateis morti traduntur, et in patibulis supplicio afficiuntur. Tria iterum sæcula ÆTAS SECUNDA comprehendit, à pace videlicet Constantini ad S. Gregorii Magni Pontificis Romani mortem. Tunc verò Ecclesia in suis templis eorumque ornatu thesauros et ingentes divitias, in actibus religiosi cultûs splendidos comitatus, ac mirandam magnificentiam præ se ferebat : ab urbis et orbis imperatoribus summo honore habebatur ; et à sapientissimis eius temporis oratorum omnium ac philosophis, iam sub crucis vexillo militantibus, libri editi in laudem Ecclesiæ, et in eius apologiam, etiam humanâ græcorum et romanorum eloquentiâ maximè fulgebant. Huic ætati, quæ splendoris fuit et gloriæ, TERTIA successit, quæ solitudinis et obscuritatis nuncupanda videtur. In ea etenim quæ sex ambit sæcula à sancti Gregorii Magni obitu usque ad Innocentium tertium, scientiæ virtutesque christianæ in abditis montium desertis, vel intra monasteriorum claustra passim delitescentes, tutum asylum adversùs barbaros septentrionales populos ac Mahumetis sectatores, in totam Europam et Asiam irruentes, sibi quæsivisse videbantur. In urbibus verò cæterisque locis provinciarum, vel in ipsa Româ, tum frequentes erant ignorantiæ et vitiorum turpissimæ strages, ut eis filios etiam suos, imò et aliquando præcipuos sacrorum ministros miserè confectos Ecclesia lamentaretur. Ab obitu Inocentii III ad Tridentini Concilii finem per tria sæcula cum dimidio ÆTAS QUARTA Ecclesiæ deffluxit : in qua ignorantiæ tenebræ dissipari, morumque corruptionis fontes occludi cœperunt. Sed quoniam magna erat ubique animorum effervescentia, dum disciplinarum studia ab obduratâ fœce depurare summo ardore litterati viri conabantur ; communis omnium hostis, qui ad pugnandum contra Ecclesiam quibusvis armis utitur, id temporis vividioris litterarum illustrationis prætextu novandi fovebat amorem, quo venerandâ etiam antiquitate spectabiles opiniones ac mores facilè contemnerentur. Atque ex innovandi pruritu, et antiquitatis contemptu, velut ex infectis lacubus

multarum hæresum procellosæ nubes erupere, quarum ab impetu ut se se muniret Ecclesia, Tridenti in concilium congregabatur. Ex hisce etiam corruptis lacubus incredulitatis monstrum postea emersit omnium vaferrimum et immanissimum : cuius in Ecclesiam obstinata irruptio, eventum est quintam istius ætatem aut *epocham* ab aliis maximè distinguens. QUINTA verò ÆTAS duo ferè cum dimidio sæcula continet, à Tridentino concilio ad mortem usque Pii sexti ; mirabilem pretiosamque mortem, à qua novus rerum ordo incipiebat, quem Divina providentia in bonum Ecclesiæ catholicæ constituisse visa est.

In his quinque ÆTATIBUS Ecclesiam considerare aggredimur : in quibus quamvis longè diversa sit illius facies, ipsissimam tamen semper permansisse facilè observabimus. *(In Præf. Tract. de Eccl. sive Hist. Ecclesiast.)*

§ II. In priori Ecclesiæ ætate tria præcipuè consideranda occurrunt. Primum, quomodo summâ demissione ac pœnis Filii Dei, ipsius etiam exemplis et sublimi doctrinâ Ecclesia fundata et firmata est. Secundum, quot et quantis laboribus et mirandis prodigiis eam Apostoli cæterique Domini discipuli propagarunt ; et quam pretiosum corpus doctrinæ ac legum à Divino legislatore ac magistro promulgatarum in suis scriptis reliquerunt. Tertium tandem, quod attentè considerari oportet, quomodo Ecclesia diversis undique tribulationibus et inimicis agitata, omnia adversa superavit, et ad pacem usque Constantini in eâ conservatæ sunt tum continua ministrorum series ab Apostolis incipiens, tum etiam doctrina eadem quam ab ipsis recepit.

§ III. Nulli antiquorum fasti tantâ fide ac commendatione digni æstimari deberent, ut quatuor Christi Evangelia, etiamsi à divinâ eorum auctoritate consideranda abstineremus. Irrecusabili autem horum sacrorum voluminum testimonio innituntur quæcumque dicturus sum de magno mysterio quo Divinum Verbum factus est homo, ac de ipsius gestis dum inter homines habitabat. Et in ipsis Evangeliis præstò adsunt sublimissimæ notiones Filii Dei, Verbi æterni, et immensæ bonitatis qua

homo factus est, ut faceret homines esse filios Dei. *(Lib. 2. à n. 1 ad 4.)*

§ IV. Mirabilia multa hominum conspectui apparent in conceptione Sancti Ioannis Baptistæ, qui angelus à Deo missus est ut Verbi, Filii Dei, testis et præco hominibus sit. At multò maiora portenta contemplanda se se offerunt in admirabili mysterio incarnationis Verbi Divini in utero Virginis Mariæ. Ex tanto mysterio dignitas sanctissimæ Virginis Matris Dei quodammodo infinita facilè cognoscitur. Unde in eius obsequium ob præclaras ipsius dotes, et summam patrocinii eius efficaciam, plures festos dies anniversarios agit Ecclesia, et celebrat quoque Desponsationem ipsius cum sancto Ioseph, quæ verum fuit matrimonium *(ib. n. 5 ad 21)*.

§ V. Maria Virgo cognatam suam Elisabeth invisit, et Dei laudes in huius domo cantans, dulcissimum canticum illud pronuntiavit, quod voce *Magnificat* incipit, quodque Ecclesia quotidie solemniter repetit. An Maria domi Elisabeth permanserit ad nativitatem usque Ioannis, ignoramus: omninò tamen certum est montanum illum populum tunc præparatum fuisse ut Redemptorem mox venturum faciliùs agnosceret; tum prodigiis quæ ibi evenerunt, tum etiam sublimi cantico, in quod prorupit Zacharias, et in quo notiones præclarissimæ de redemptione hominum per Iesum Christum, et de officio præcursoris Ioanni commisso continentur. Non multò post Ioseph Mariæ sponsi virtutem tentavit Deus, in durissimas zelotypiæ angustias eum labi permittens: angelum verò protinùs misit, ut Ioseph consolaretur, eique mysterium revelaret, quod summæ gloriæ tam sponsæ suæ quàm ipsi futurum erat *(ib. n. 22 ad 32)*.

§ VI. Interea appropinquabat tempus, quo Filius Dei factus homo nasceretur. Cùm verò ex decreto Augusti imperatoris Syriæ census fieret sub Cirino, Ioseph et Maria, quoniam de familia David nati erant, Bethlehem profecti sunt, cùm in ea civitate, utpote patria regis David, quasi in patria communi, omnes qui de ipsius progenie erant, describerentur. *Messias* seu Salvator mundi, non modò ex Abraham, Isaac et Iacob, sed

etiam ex Davide nasciturus ab antiquis prophetis prænuntiatus fuerat; et profectò à Davide oritur Iesus tum per Salomonem usque ad Iacob, ut ait Evangelista Matthæus, tum etiam per Nathan usque ad Heli, ut refert Evangelista Lucas. Ex quo tamen nullam colligi posse inter utramque Evangelistam contradictionem, evidentissimum est. Nil enim impedit quominùs eorum alter genealogiam Ioseph per naturalem eius genitorem ordinaverit, alter verò per socerum, aut per patrem ex adoptione, vel etiam lege datum. Apud iudæos enim præter adoptionem gentibus omnibus communem, alia erat ipsis propria, ab ea lege, quæ defunctis sine liberis filios à fratre progenitos quasi adoptione donabat. Hæc omninò certa sunt; et penè certum Ioseph naturalem patrem fuisse Iacob, non Heli. Num verò iste socer esset Ioseph, an pater legalis seu ex lege, incertum est: hoc tamen verisimilius, et ab ultima antiquitate receptissimum *(ib. n.* 33 *ad* 48*)*.

§ VII. Itaque in Bethlehem Iudæ civitate David, in qua supremum Ducem ac Dominum israelitici populi nasciturum prophetæ nuntiaverant, nascitur inter magna prodigia Deus puer. Nascitur in stabulo; et quamquam ex regulis critices duo ibi tunc fuisse bruta animalia credi possit, solâ tamen supernâ fide cognosci potest qua ratione Dominus omnium in tanta egestate et loco abiectissimo nasci voluerit. Angeli promulgant hominibus pacem multò antè prænuntiatam à prophetis; et Salvatorem recens natum nuntiant pastoribus, qui eum subitò adorare pergunt *(ib. n.* 49 *ad* 56.*)*

§ VIII. Natus est Dominus in dimidio noctis diei vigesimæ quintæ decembris, anno ab orbe condito, ut videtur, quater millesimo. Ieiunia et quosdam ritus pro hebdomadibus Adventûs instituit Ecclesia, quo aptiùs disponantur fideles ad noctis vigiliam, et ipsam extraordinariam, et magnum antiquissimumque natalis Domini festum diem sanctè celebranda. Antiquum est quoque festum Circumcisionis, cuius legi Dominus subiici voluit ob fines ab eius infinitâ Bonitate intentos. Cum verò circumcideretur, impositum est ei adorabile nomen

Iesus, quemadmodum Angelus Mariam primò, et postea Ioseph præmonuerat (*ib. n.* 57 *ad* 69).

§ IX. Quo ordine illa evenerint quæ de infantia Filii Dei narrant Evangelistæ, ipsi clarè non explicant. Verisimillimum tamen est Magos non biennio, sed tredecim tantùm diebus post natum Dominum illum adorasse. Ab oriente venerunt Magi, stellâ ducente, et Ierosolymam ingressi, interrogant ubi est qui natus est Rex iudæorum. Herodes in concilium vocatis sacerdotibus et doctoribus legis, et auditis, Magos in Bethlehem mittit: ad cuius portam in cavernâ quadam, quæ domus etiam iudæorum more vocari potest, Iesum inveniunt et adorant: adorant ut verum Deum, adeòque ipsi thus offerunt: quemadmodum etiam aurum et myrrham, quoniam ut regem verum et mortalem hominem ipsum quoque venerantur. Magos quarumdam orientis regionum, etsi brevibus terminis comprehensarum, supremos fuisse dominos valdè probabile est: et festus eorum dies, quem *Epiphaniæ* seu *Manifestationis* appellamus, ab antiquo iam in Ecclesia agitur (*ib.* 70 *ad* 81).

§ X. Quamvis neque puerperarum neque primogenitorum legibus iudaicis Maria et Iesus tenerentur: tamen ut in illis præscribitur, sic in templo fuit Dominus præsentatus. Ibi à Simeone agnoscitur, qui suum præclarissimum canticum edit, quo audito parentes Iesu magnâ admiratione afficiuntur. Loquitur Simeon ad Mariam, eique nova ac stupenda mysteria explicat, quorum notitiâ corda nostra salutari timore penetrari iustum est. Sed et Anna prophetissa Dominum agnoscit ac laudat, et eius adventum veris israëlitis omnibus annuntiat. Quæ hac die in templo acciderunt anniversario festo Ecclesia commemorat (*ib. n.* 82 *ad* 91).

§ XI. Monitus ab Angelo Ioseph noctu fugit cum puero et Maria matre eius, et ad Ægyptum tendit, quoniam Herodes quærit puerum ad perdendum eum. Rem sanè stupendam! Rex ipse regum et Dominus Deus exercituum ut hominem crudelem caveat, præcipitatæ fugæ noctu se committit. Ita per angustas humanitatis et debilitatis semitas progrediens Dominus, mi-

randa et gloriosa Divinæ Maiestatis et Omnipotentiæ suæ decreta vel puer adimplet : quod etiam postea in omnibus ferè mortalis vitæ suæ casibus observari poterit. Quam Ægypti civitatem aut villam Dominus habitaverit, penitùs ignoramus : neque verisimile est ad eius ingressum omnia regionis illius idola in terram prolapsa, et suâ veluti sponte confracta fuisse. Interea, dum Dominus latebat in Ægypto, Herodes eius mortem tentans, immanem barbaramque sævitiam in pueros Bethlehem et finium eius frustrà exercebat : quo paulò post vitâ functo, sacra familia Nazareth regressa est *(ib. n.* 92 *ad* 99*)*.

§ XII. Cùm duodecimum annum ageret puer Iesus, remansit in Ierusalem, dum parentes eius domum reverterentur : tunc in templo sedebat in medio doctorum de re Divinâ loquens, et in prudentia et responsis eius omnes stupebant. Post triduum à parentibus inventus est, et cum eis venit Nazareth, ubi erat subditus illis : atque per annos ferè decem et octo pauperrimam, obscurissimamque vitam duxit, artis cuiusdam mechanicæ, ut videtur, labori deditus, et sub tam humili apparentia immensam maiestatem suam abscondens. Quæ si attentè consideremus, ¿quantâ reprehensione et contemptu dignum iudicabimus impatientem ingenii ostendendi pruritum, ex præsumptuosâ sæpè et vanâ sui ipsius opinatione nascentem, qui homines adeò torquere solet? *(ib. n.* 100 *ad* 104*)*.

CAPUT II.

Vita publica seu prædicatio Iesu.

Quamdiu vita publica Iesu *duraverit constituitur* 1. *Ioannes* Iesum *prædicat et baptizat* 2. Iesus *in descr-*

to, et eius gesta usque ad primum pascha 3. *Nicodemus : Ioannes in carcere :* Iesus *in Galilæa* 4. *Alterum pascha : paralyticus piscinæ : duodecim electio* 5. *Sermo in monte* 6. *De miraculis : Ioannis interrogatio ; parabolæ* 7. *Missio Apostolorum : mors Ioannis : de Eucharistiâ* 8. *Tertium pascha :* Iesus *transit ad Gentes : fundamenta Ecclesiæ* 9. *Transfiguratio : de doctrinâ eius : adultera : cæcus natus* 10. *Septuaginta duo discipuli : proximus : oratio Dominica* 11. *Suscitatur Lazarus : Maria eius soror : Caiphas prophetizat* 12.

§ I. Quibus in diebus prædicationis Domini gesta acciderint, ex Evangelio tutò colligi nequit. Ut tamen in iis commemorandis ordine procedamus, initium saltem et finis vitæ suæ publicæ, et tota prædicationis eius duratio, qua probabiliori ratione possimus, constituenda sunt. Itaque Iesus baptizatus fuit ineunte trigesimo ætatis suæ anno, qui quintus decimus erat Tiberii, iuxta ultimam duarum *epocharum*, à quibus Tiberii tempora numerari solent : Dominum autem baptizatum esse die sextâ ianuarii ferè omnino certum est. In prædicando Evangelio seu in legationis suæ obeundo munere, nec minùs quàm duos, nec plùs quàm quatuor annos impendisse, dubitari vix potest : admodum autem verisimile est, paucos menses supra triennium insumpsisse. Hæc profectò est de anno mortis Christi antiquior celebriorque sententia : scilicet, Dominum exactis triginta duobus ætatis suæ annis mortuum fuisse. Et quamquam recentes quidam chronologi Dominum contendant integros triginta sex annos vixisse ; nullius tamen sunt roboris, quæ in huius novæ sententiæ comprobationem ex septuaginta Danielis hebdomadibus, ex calculis astronomicis, atque ex Phlegontis et S. Irenæi testimoniis argumenta depromunt. Quòd si semel tandem baptismus Domini initio anni trigesimi ætatis suæ constituitur, mors verò paschate primo post annum trigesimum secundum, omnia quæ in Evangeliis de Christi prædicatione ac morte narrantur, annis tribus paucisque mensibus, qui baptis-

mum inter et mortem intersunt, et in quibus quatuor paschata celebravit Dominus, accidisse, nemo non videt: quædam nempè à baptismo Domini ad pascha ipsius anni, quod initium prædicationis fuit: alia ab hoc paschate ad secundum: nonnulla à secundo ad tertium; et reliqua ab isto ad quartum et ultimum, in quo mortuus est. Singula percurramus *(Lib.* 2. *n.* 105 *ad* 132*)*.

§ II. Mundo se se conspiciendum præbuit priusquam Iesus, ipsius præcursor Ioannes Baptista austerissimè vivens in deserto. Nempe à Deo missus est quasi vox in deserto clamans: pœnitentiam prædicat, vitia reprehendit, et baptizat ut *Messiæ* præcursor. Simul verò ac Iesu magnalia prædicare incipit Ioannes, ipsum ut animarum sanctificatorem, bonorum ac malorum iudicem, auctorem gratiæ, veritatis fontem, unigenitum Patris, et similibus aliis præclarissimis notionibus annuntiat, et repræsentat. Iesus, ut baptizetur à Ioanne, ad Iordanem progreditur, et magna cœlestia signa apparent *(ib. n.* 135 *ad* 140*)*.

§ III. Paulò post transit Dominus ad desertum, ubi pluries à dæmone tentari vult, in quo nobis opportunissima exempla et documenta suppeditat. Iudæorum synedrium ad Ioannem quosdam mittit, qui de *Messia* eum interrogent; et Ioannes respondet se *Messiam* non esse, sed vocem quæ *Messiam* nuntiet: *Messiam* verò apud ipsos iudæos extare, atque Iesum esse postea declarat. Andreas et alius Ioannis discipulus Iesum sequuntur: iis occurrit Simon, cui nomen immutat Iesus, iubens vocari *Petram* seu Petrum. Laudat Dominus Nathanaëlem; qui Apostolus non fuisse videtur. Pergit Iesus ad Cana Galilææ, nuptiali convivio assistit, et instante Matre eius aquam in vinum convertit: cuius miraculi memoria similibus aliis miraculis sequentibus sæculis innovata est. Inde transit Capharnaum, et ad primum postquam baptizatus est celebrandum pascha Ierusalem pergit *(ib. n.* 141 *ad* 151*)*.

§ IV. Vendentes eiicit è templo, et corpus suum templum vocat. A Nicodemo invisitur, eique præcipua christianæ religionis fundamenta proponit: nempe inde-

clinabilem necessitatem baptismi, fidei, ac etiam operum quæ luce doctrinæ et exemplorum ipsius Divini Redemptoris nostri examinata, approbari mereantur. Cùm in Iudæa esset Iesus, eius eminentem dignitatem discipulis suis declarat Ioannes: quem paulò post Herodes apprehendi iubet, et in carcerem mitti, in quo ad mortem usque permansit. Iesus verò Galilæam proficiscens Samaritanam mulierem alloquitur, eique magna mysteria manifestat. Incipit prædicare publicè per Galilæam: filium Reguli à longè sanat: è navi Petri prædicat, et Petrus in nomine Domini rete mittit in mare, copiosam piscium multitudinem capit, atque ipse, Andreas, Iacobus et Ioannes omnia relinquunt, ut Iesum sequantur. Dæmoniacum sanat Dominus, socrum Simonis et alios: dæmonibus inhibet, ne ipsum esse Dei Filium dicant. Non eodem modo ad tres viros loquitur, cum quibus an ipsum sequerentur agebatur. Navim ingreditur, dormit, valida exoritur tempestas, et mox ubi eum è somno excitant, imperio sedat mare. Dæmones sinit ingredi porcos, Capharnaum regreditur, paralyticum quem à tecto demittunt sanat; et in Matthæi publicani domo comedens, quare discipuli sui nondum ieiunent ostendit. Mulieri posteà salutem reddit, quæ sanguinis fluxum patiebatur, et Iayri filium resuscitat. Visum concedit duobus cæcis, eis imperans ne ab ipso sanatos fuisse propalent. Id quod abs dubio iustis de causis iubebat Dominus, quamvis nec semper iuberet, neque inobedientes, sed grati potiùs censendi qui collatum beneficium publicabant. Atque hisce conclusa est prior Domini per Galilæam prædicatio, legatio seu missio, quæ ad tres aut quatuor menses ducta est *(ib. n. 152 ad 184)*.

§ V. Interea tempus advenit secundi post baptismum paschatis, quod Ierosolymis Dominus celebravit. Paralyticum piscinæ sanat: esse se æqualem Patri, et alia plura dogmata in templo docet. Die sabbati spicas colligunt discipuli, et ipse Dominus manum cuiusdam à paralysi liberat. Singularia mansuetudinis ac patientiæ suæ argumenta dat. A Iudæa ad Galilæam pergit; et in monte absconditus, totâ nocte in oratione transactâ, duode-

cim ex discipulis suis modo admirabili seligit, ut prædicatum mittat, et vocat *Apostolos* (*ib. n.* 185 *ad* 192).

§ VI. Electis discipulis, ad ipsos magnamque populi multitudinem concionem habet, quam *sermonem in monte* appellare solemus. Novas felicitatis aut beatitudinis notiones exhibet, quibus mundus illustrandus atque purificandus est. Deinde loquitur de morali iudæorum doctrinâ, seu de moralibus legis iudaicæ præceptis; quæ tantùm abest ut mala esse pronuntiet, ut eis potiùs maximam perfectionem se daturum profiteatur, præcipuè circa iniurias à proximis illatas, circa fornicationem, periuria, vindictam, atque amorem erga inimicos. Synagogæ moralem doctrinam cum eâ quæ in Ecclesia tradenda erat in his omnibus confert, hanc collationem mirandâ illâ sententiâ claudens: *Estote perfecti, sicut et Pater vester cœlestis perfectus est.* Postea hortatur ut ab omni mundanâ gloriâ caveamus, præcipuè dum eleemosynas erogamus, Deum oramus, aut ieiunamus. Hortatur etiam ut cuncta terrena, maximè divitias contemnamus, et ut in Deo spes nostra collocata firma consistat. Monet etiam ne temerè de quopiam velimus ferre iudicium; et ne indignis sancta tradantur. Ac tandem efficacissimam esse orationis vim, valdè arctam viam quæ ducit ad vitam æternam, atque ad eam consequendam bonorum operum fructus esse summè necessarios perspicuè docet. (*Ib. n.* 193 *ad* 206).

§ VII. Audiebant hominum turbæ concionem IESU, qui cùm descendisset de monte, leprosum mundavit, et in Capharnaum centurionis servo sanitatem restituit. In civitate verò Naim filium viduæ suscitavit à mortuis. Tunc Ioannes è carcere mittebat discipulos ad IESUM, interrogans an ipse esset *Messias.* IESUS autem, non tam verbis quàm factis respondens, coram Ioannis discipulis multa miracula patravit; ea quidem, quæ signa fore quibus Dominus Salvator mundi cognosceretur, Isaias prænuntiaverat. In Ioannis laudem plura tunc dixit IESUS, ac mirabilem quamdam sententiam protulit, scilicet regnum Dei vim pati, et violentos esse qui rapiunt illud. Scribas et pharisæos reprehendit, quod nec as-

perfimam vivendi rationem in Ioanne probarent, neque vulgarem in ipso Filio Dei. Sapientiæ nomen sibi appropriat, ut hinc Filium Dei esse faciliùs cognoscatur; et civitatibus Corozain et Bethsaidæ vehementer exprobrat, quòd tantorum ipsius miraculorum testes ad agendum pœnitentiam nondum se se excitaverint. In domo Simonis leprosi manducat Dominus, et quædam mulier eius ungit pedes. Portenta sua Beelzebub opera non esse manifestè demonstrat: blasphemiarum in Spiritum Sanctum remissionem aut impossibilem esse aut summè difficilem animadvertit; et scribis et pharisæis, qui curiositate moti petebant miracula, futuræ suæ cum gloriâ resurrectionis indicium præbet. Eius laudes prædicat quædam mulier, et Mater et propinqui eius ipsum quærunt. Parabolis frequenter utitur Iesus; utitur verò aut ob bonitatem, aut ob iustitiam. Apostolis proponit seminantis parabolam; ac eam explicat, quam de zizania proposuerat. Proponit item alias, ut de tritico sponte suâ crescente, de grano sinapis, de fermento, de thesauro abscondito, de margaritâ, ac de rete. Domini gesta nazareni mirantur, et nihilominus eum persequuntur *(ib. n.* 207 *ad* 227 *).*

§ VIII. Oppida Galilææ iterum visitat Iesus, ministrantibus ipsi, more antiquo iudæorum, piis quibusdam mulieribus. Binos prædicatum mittit duodecim Apostolos, quibus notatu digna documenta præbet. Interim crudelis Herodes natali suo die, ut mulierculæ placeret, caput Ioannis Baptistæ amputari iubet. Iesus autem ad desertum recedens, quinque panes et duos pisces mirè multiplicat; et se se deinde abscondit, quoniam turba viso miraculo ipsum Regem facere contendebat. Sicco pede super mare graditur Iesus, et item Petrus: postea verò multâ gentium turbâ circumdatus, notitiam quamdam dare incipit de illo portentorum maximo, quod in pane eucharistico operaturus est. Ait itaque se esse panem, carnemque suam à discipulis manducandam: qua stupendâ doctrinâ deterriti nonnulli discipuli retrò reversi sunt; in eâ verò Simon Petrus verba vitæ æternæ, et Filii Dei contineri agnovit *(ib. à n.* 228 *ad* 241 *).*

§ IX. Accedit tertium pascha post baptismum Domi-

mini, currente anno trigesimo secundo ætatis eius. Discipulos suos immeritò reprehendi monet, quòd non æquè frequenter ac iudæi manus lavent. Tyrum et Sidonem progreditur, quæ gentium regiones sunt, ibique filiæ mulieris Cananææ salutem restituit. Galilæam reversus surdum salivâ sanat, iterum panes piscesque multiplicat, et pharisæos reprehendit quòd miraculum in aëre, seu in cœlo fieri postulent. In Bethsaida cæco visum sensim concedit; et dum prope Cæsaream cum discipulis iter faceret, claves Ecclesiæ Petro se daturum promittit. Tunc verò multa ad discipulos et turbas loquebatur, quasi prima Ecclesiæ suæ fundamenta iaciens: fundamentum scilicet fidei christianæ in eo quòd Iesum esse Filium Dei docebat, et in eius passione ac morte salutem hominum constitutam: fundamentum moralis doctrinæ in eo quòd Christi crucem ferre oporteat, eiusque sequi vestigia; et fundamentum hierarchiæ Ecclesiæ seu gubernationis eius, dum singularem auctoritatem et potestatem Petro concedebat *(ib. à n. 242 ad 251).*

§ X. In monte Thabor se se transfigurat Iesus coram Petro, Iacobo, et Ioanne fratre eius. Dæmonem, quem discipuli expellere nequeunt, Dominus ipse expellit. De futurâ sui ipsius passione ac morte cum discipulis loquitur, neque ea tamen ipsi intelligunt. Tributum pro se ac pro Petro solvit. Puero coram ipso posito, præclara documenta præbet circa humilitatem, circa scandala quæ sive dantur sive patiuntur, circa fraternam correctionem, seu rationem qua curare debemus ex charitate ut fratres nostri à vitiis revocentur, et circa nobis illatarum offensarum condonationem. Tabernaculorum festum celebraturus Iesus ad civitatem Ierusalem proficiscitur occultè: et in itinere zelum Iacobo et Ioanni moderare iubet, et decem leprosis salutem restituit. Loquitur in templo de doctrinâ suâ, seu de copiosis doctrinæ salutaris aquis ab ore divino suo manantibus, et ab Apostolis et discipulis quasi per rivulos diffusis, totum per orbem fluentibus, et iuxta antiquas prophetias cuncta fœcundantibus. A pontificibus et pharisæis ministri mittuntur, qui Christum apprehendant: non audent

tamen. Offertur ipsi mulier in adulterio deprehensa, cui modo admodùm singulari parcit: nec huiusce historiæ authentica fides in dubium vocari potest. Declarat Dominus à Deo Patre se missum, et æternum esse, ac plura alia, quæ audientes iudæi furore insaniunt, et ipsum ut blasphemum lapidibus obruere cogitant; Dominus autem occultè recedit à templo. Deinde visum concedit cæco nato, quem pharisæi attentissimè de multis interrogant *(ib. n.* 252 *ad* 272 *)*.

§ XI. Iesus se pastorem ovium et ianuam esse monet. Septuaginta duos discipulos eligit, et ad prædicandum mittit, qui postea cum gaudio revertuntur. Explicat Iesus quis sit proximus, et ad Marthæ villam progreditur. Discipulos docet mirabilem illam orationem, quæ *Pater noster* vocari solet. Comedit in domo cuiusdam ex pharisæis, quos et scribas reprehendit: multa populum docet, et dæmoniacum sanat. Regreditur Ierusalem, et iterum se Filium Dei esse declarat. Progreditur trans Iordanem, et arcanè loquitur de maximâ salvationis assequendæ difficultate, de morte suâ, et de cæcitate iudæorum. Hydropicum sabbati die sanat: de civilitate morum, humilitatis virtute, aliisque rebus utilibus multa disserit: parabolas proponit ovis ac drachmæ quæ perierant, filii prodigi, et villici versuti ac callidi. Matrimonium declarat indissolubile: de Lazaro paupere loquitur, de secundo ipsius adventu, de oratione, de summâ difficultate ut divites salvi fiant, de centuplo iis oblato, qui ut Iesum sequantur omnia relinquunt, et de denario laborantium in vineâ *(ib. n.* 273 *ad* 296 *)*.

§ XII. Lazarum à mortuis suscitat Iesus, mira documenta præbens: cuius miraculi occasione convocatur synedrium, in quo pontifex Caiphas insciens prophetavit, et unanimi voce morti Christum addicendum decernitur. Ipse verò Ierosolymam proficiscens, ad mortem se ire asserit; et ad petitionem filiorum Zebedæi eorumque matris mirè respondet. In Ierico ingrediens Iesus, quemdam à cæcitate liberat: intrat in domum Zachæi, et parabolam proponit illius, qui ut regnum sibi sumat longè proficiscitur. In Bethaniâ comedit in domo Simonis leprosi,

ubi comedebat etiam Lazarus, quem à mortuis suscitaverat. Martha istius soror ministrabat; Maria verò altera soror, unguenti pretiosi vas super Iesu caput effudit, ipsiusque pedes unxit ac lavit. Hæc autem Maria, soror Lazari, ipsa est quæ antè duos annos idem obsequium Iesu præstiterat, et de qua loquuntur Evangelistæ omnes, dum similia referunt (*ib. n.* 297 *ad* 306).

CAPUT III.

Christi Domini passio, mors, et resurrectio.

Ultima hebdomada vitæ Domini: ingressus in Ierusalem 1. *De resurrectione carnis, ruinâ Ierusalem, et fine mundi* 2. Iesus *comedit agnum paschalem eodem die quo et iudæi* 3. *Lavat pedes: Eucharistiam instituit: discipulos blando sermone consolatur* 4. *In horto Gethsemani tristatur, capitur, multa patitur* 5. *Crucifigitur, mira in cruce loquitur, moritur, sepelitur* 6. *Resurgit, multis apparet, Apostolos docet, cœlum ascendit* 7. *Hæc mysteria piè colit Ecclesia* 8. *Mirabiles prophetiæ de passione, morte, ac resurrectione Domini* 9; *et de regno* Messiæ, *quod spirituale est, seu* Ecclesia 10.

§ I. Tandem memorabiles illi dies pervenere, in quibus omnium, quæ hactenùs in mundo visa sunt, summè mirabilia mysteria complebantur: hoc est, pervenit ultima vitæ ac prædicationis Domini hebdomada, ultimum seu quartum eius post baptismum pascha, et ipsius mors. Cuius hebdomadæ feriâ primâ, seu, ut nunc dicere solemus, die dominicâ, asinam et ipsius pullum ad se duci iubet Iesus; et tam humili equitatu Ierusa-

lem quasi in triumpho ductus accedit : tota enim civitas illi occurrit, quando mundi redemptionem suâ morte consummaturus civitatem ingreditur. Ad templum vadit, vendentes iterum eiicit, et miracula multa patratur : ipsum gentiles quærunt, atque pueri et vox de cœlo veniens extollunt. Multa sententiosè loquitur, et iudæos exhortatur, ut in ipsum credant. Ad eius imperium foliis virens ficus protinùs aruit, quo significabatur summa severitas, qua puniendi sunt, qui sine fructibus bonorum operum in morte inveniantur. Sacerdotibus ipsum otiosè interrogantibus, eos vicissim interrogando, silentium facit, eorumque obstinationem diversis parabolis reprehendit. Se ipsum esse indicat solidam illam petram angularem, de qua prophetæ locuti sunt, et de gentium vocatione obscurè loquitur *(ib. n.* 307 *ad* 320 *).*

§ II. Solvenda esse tributa declarat Dominus : resurrectionis veritatem tuetur : maximum charitatis præceptum exponit, et alia multa docet. De imminente ruinâ Ierusalem, de secundo ipsius adventu, ac de fine mundi diffusè loquitur ad discipulos : proponit parabolas decem virginum et talentorum ; et de postremo futuro iudicio multa prænuntiat *(ib. n.* 321 *ad* 331 *).*

§ III. Quod Iesus in ultimâ cœnâ paschalem agnum comederit, in dubium vocari non potest. Ita namque apertè colligitur ex iis quæ sancti Matthæus, Marcus et Lucas referunt : ita Ecclesiam constanti traditione semper tenuisse ex sanctis Patribus græcis ac latinis facilè demonstratur ; atque Tridentinum concilium expressè asserit *post antiquum pascha celebratum* novum in ultimâ cœnâ à Christo Domino fuisse institutum. Iure quoque ea cæteris debet præferri sententia, quæ Iesum celebrasse fert ultimum pascha eodem die ac horâ, quibus et iudæi, nempe feriâ quintâ ad vesperam. Siquidem eo anno quintus decimus mensis dies, qui primus erat azymorum, et dies festus paschatis, cum feriâ sextâ hebdomadæ seu die veneris occurrit. Cùm verò festum, seu dies festus et azymorum usus à vigiliâ inciperet seu à vespere diei præcedentis, hinc consequens fuit ipsâ feriâ quintâ seu die iovis et incepisse azymos, et agnum paschalem mandu-

catum fuisse. Ut proinde mirandum non sit, si ea ipsa gesta quæ sanctus Matthæus ait *in festo paschatis* vel primo die azymorum contigisse, quoniam et hoc festum et hæc prima dies vespere feriæ quintæ inceperant, S. Ioannes naturali dierum distinctioni attendens, evenisse dicat ante diem festum paschæ, quasi diceret ante diem veneris, qui est dies festus paschæ. Nullius sanè ponderis sunt, quæ posteriores quidam critici adducere solent, ut iudæos suadeant non eo anno ad vesperam feriæ quintæ suum pascha comedisse: quique ex tam improbabili asserto colligere intendunt neque Dominum in ultimâ cœnâ comedisse agnum paschalem, nimis audaces in opinando sunt. Atque huiuscemodi à recto sentiendi modo tam alienæ opinationes, quas viri nonnulli in sacris litteris, et ecclesiasticæ ac profanæ antiquitatis libris multùm versati, et in arte critices maximè exercitati, amplexabantur, in aperto collocant quàm facilis sit huius artis abusus, et prædilectæ quoque alicuius eruditionis fulgore eos allucinari, qui novum aliquid ingenio suo adinvenisse, aut in aliquâ litterarum disciplinâ præ cæteris profecisse facilè credunt. Sed ad historiam evangelicam revertamur *(ib. n.* 332 *ad* 339*)*.

§ IV. Pascha sibi præparari imperat Iesus: cœnat deindè cum Apostolis, quorum pedes lavat: Eucharistiam instituit, et de Iudæ proditione verba facit. Excitatur inter Apostolos disputatio, quis eorum maior sit: et Iesus eos docet, regnum quod ipsis præparat ab iis esse longè diversum, quibus gentium reges potiuntur; atque Petrum ut cæterorum caput alloquitur. Huius negationem et omnium labores prænuntiat: undè Apostoli summâ tristitiâ afficiuntur. Tunc Dominus, ut eos consoletur, dulcissimum, mirabilissimumque sermonem ad eos habet, in quo sublimia dogmata exponit, maxima præmia promittit, ad constantiam etiam inter extremas angustias hortatur, et fervidâ tandem oratione eos Patri commendat *(ib.* 340 *ad* 354*)*.

§ V. Pergit Dominus ad hortum Gethsemani, ubi timore afficitur et tristitiâ, quæ in beatâ eius animâ mirabilia portenta sunt. Interea proditor Iudas milites ac

ministros ad hortum conducit: omnes ad primam Iesu vocem in terram procidunt: auriculam Malcho Petrus amputat, Iesus sanam restituit: volens capitur, et ad Annam et Caipham ducitur. Pontifex et eius consiliarii Iesum mortis reum pronuntiant, cui custodes illudunt, et eum sævè torquent.: Petrus ipsum negat: concilium iudæorum tradit Pilato, et iste ad Herodem mittit, qui Iesum despicit. Pilatus et eius uxor eum à morte liberare velle videntur: populus ipsi Barabbam anteponit: et tandem posteaquam Iesus mille modis vexatus fuerat, flagellatus, spinis coronatus, et in populi conspectum oblatus, à Pilato eius innocentiam cognoscente crucifigi iubetur *(ib. n.* 355 *ad* 367 *).*

§ VI. Ad calvarium seu supplicii locum pergit Iesus, militibus stipatus et crucem ipse gestans, quam postea ferebat Simon. Mulieribus mysteria loquebatur in viâ Dominus; et duos inter latrones paulò ante meridiem crucifigitur. In tres horas vitæ compos in cruce pendet, cruentis interea doloribus, et turpibus obloquentium iniuriis oneratus. Matrem et Ioannem è cruce alloquitur: quasdam mysticas sententias profert, et priora verba psalmi vigesimi primi, quibus à Deo Patre se fuisse derelictum stupendâ sanè lamentatione apud Patrem ipsum conqueritur. Moritur deinde mirandâ fortitudine: nova portenta apparent: eius crura non franguntur; et Ioseph ab Arimathæa Domini corpus petit, et in sepulcro novo collocat. Pilatus sepulcri custodiam inimicis Domini de eâ sollicitis tradit *(ib. n.* 368 *ad* 378 *).*

§ VII. Primâ verò sequentis hebdomadæ die, cùm lucesceret, è mortuis surgit Iesus: apparent Angeli: custodes sepulcri metu terrentur: mulieres et discipuli stupent. Iesus ipsâ resurrectionis die Mariæ Magdalene apparet et aliis mulieribus: iis etiam qui ad Emmaus castellum ibant, sed Petro primùm: etiam undecim Apostolis simul: priùs tamen quàm cæteris omnibus Matri suæ sanctissimæ. Post dies octo iterum Apostolis apparuit, dum inter eos Thomas erat: deinde discipulis in mari Tiberiadis piscantibus: ubi ardenti sancti Petri erga ipsum amore examinato, pascendos agnos et oves ei com-

mittit. Plùs quàm quingentis hominibus simul se conspiciendum offert. Apostolis deinde iubet, ut per totum orbem Ecclesiam propagari curent: eos de multis instruit, et coram ipsis cœlum tandem ascendit *(ib. n.* 379 *ad* 389*)*.

§ VIII. Memoriam passionis Domini nostri Iesu Christi, mortis etiam, resurrectionis, et ascensionis in cœlum per singulos annos devotissimè recolit Ecclesia. Triumphalem eius regressum in Ierusalem dominicâ die, quæ *palmarum* ideò dicitur, speciatim commèmorat; et duas postremas quadragesimæ hebdomadas memoriæ passionis et mortis Domini consecrans, ad tantorum mysteriorum piam meditationem fideles exhortatur, et singularibus quibusdam ritibus excitare solet: ut dum sacerdotum aut pauperum pedes à præcipuis Ecclesiæ ministris lavantur; et cùm corpus Dominicum in monumento ad viginti quatuor horas solemniter collocatur. Paschalis cereus postea benedicitur in memoriam resurrectionis Domini; et festi dies Paschatis, Ascensionis, et Pentecostes ab Apostolorum tempore quotannis celebrantur *(ib.* 390 *ad* 395 *)*.

§ IX. Pro coronide evangelicæ historiæ opportunum videtur in memoriam revocare eas antiqui Testamenti prophetias, quæ ad ultima mysteria redemptionis mundi et ad Ecclesiæ institutionem referri videantur. Quemadmodum in psalmis David, et in libris Isaiæ et Danielis eminentissimæ futuri regni Messiæ notiones inveniuntur, ita in ipsis omnium luculentissimæ de morte Domini prophetiæ leguntur. Quamquam omninò certum est apud omnes prophetas generatim Messiam repræsentari pauperem, humilem, sine causâ odio habitum et durè vexatum, inimicos eius exaltatos, ipsum verò ab iis quoque despectum, quibus maximâ in veneratione esse debuisset. Præterea factorum ad ipsum spectantium multas circumstantias particulares prænuntiant: ut de triumphali ingressu in Ierusalem, proditione Iudæ, conspiratione iudæorum, mirandâ agoniâ, et aliis quæ in horto acciderunt. Vilissimum pretium commemorant, quo venditus fuit; flagella, tormenta, iniurias, contumelias, quibus onerandus erat in domibus, ad quas ducebatur, admirabile il-

lius silentium, et sententiam mortis: item plura ex iis quæ in calvario ante et post mortem Salvatoris evenere. Et tandem loquuntur etiam antiqui prophetæ de sepulcro Domini, de gloriosâ ipsius resurrectione à mortuis, et ascensione ad cœlum *(ib. n.* 396 *ad* 405*).*

§ X. Præterea antiqui prophetæ, quod in salutarem iudæorum confusionem maximè observandum est, Messiæ regnum ab omni regno terreno et temporali apertè distinguunt. Qui Messias promittitur Iacob non est, sicut Iosue, ad exterminandos populos idololatras destinatus: non terror aut horror futurus est gentium seu populorum gentilium, sed ipsorum etiam expectatio seu spes: felici regni eius tranquillitate gentium quoque populi fruentur: pro his etiam, non pro iudæis tantùm, eas pœnas ac labores sustinebit, quæ emphasi suâ indicant illa verba: *Lavabit in vino stolam suam, et in sanguine uvæ pallium suum.* Uno verbo: ad omnes omninò populos iudæorum et gentilium Messiæ beneficentia se se diffundet. David etiam posteaquam psalmo septuagesimo primo Messiæ imperium in æternum duraturum, ac per universam terram producendum clarè prænuntiaverat, Messiam ipsum nobis repræsentat ut imperatorem seu monarcham ab iis omninò diversum, qui exercitibus, armis, et præliis imperium suum formant vel augent. Idem in psalmo secundo et centesimo nono facilè observantur. Isaias quoque regnum Messiæ describit, ut regnum spirituale, præcipuè capite nono et undecimo. Denique Daniel dum capite nono verba facit de Christo Principe, de Duce quem Dominus unxit, et de Salvatore Israël, non ait populo ac civitati suæ bonorum temporalium copiam allaturum, sed peccandi finem, et pro prævaricatione et iniquitate ipsam iustitiam. Et tantùm abest ut ab eo gentes idololatras cruentis præliis conterendas asserat, suamque civitatem inimicarum ruinâ fore extollendam; ut potiùs Christum ipsum occidendum suamque civitatem ac sanctuarium ipsum destruendum prænuntiet. Ergo Messiæ regnum non temporale futurum erat, sed spirituale, ac per totum mundum proferendum, nempe Ecclesia *(ib. n.* 406 *ad* 413*).*

CAPUT IV.

Ecclesia propagatur apud iudæos, samaritanos, et gentiles.

Electio Mathiæ : descensus Spiritûs Sancti 1. *Petrus Ecclesiæ caput Synagogæ denuntiat* IESUM *Salvatorem* 2. *Christianorum conventus et sanctitas. Ananias et Saphira. Apostoli in carcere* 3. *Electio diaconorum : Stephani martyrium : fides in Samaria* 4. *Sauli conversio* 5. *Cornelii et Petri visio : Symbolum Apostolorum* 6.

§ I. ECCLESIA à IESU - CRISTO fundata Apostolorum operâ propagata est : ad iudæos primùm, postea verò ad samaritanos et gentiles. Petro proponente, novus Apostolus Mathias sorte eligitur. Duodecim, et etiam Mariâ sanctissimâ Virgine, aliisque mulieribus in cœnaculo orantibus, Spiritus Sanctus in specie ignearum linguarum super eos descendit. Erat autem dies dominica, cum qua festum Pentecostes iudæorum eo anno concurrebat; quamquam dies festus paschæ cum die veneris, et agni paschalis comestio cum die iovis concurreret. Ierosolymam autem ex diversis regionibus iudæi plurimi festum Pentecostes celebraturi venerant: ex quibus tria millia, audito Petro, fidem receperunt, et baptizati sunt (*Lib.* 3. *n.* 1. *ad* 14).

§ II. Claudum seu paralyticum postea sanat ipse Petrus, cuius miraculi occasione Christum prædicat, et credentium numerus maximè augetur. Tunc Petrus apprehensus est, et in custodiam missus: coram principibus sacerdotum, senioribus et scribis se sistit : ut

Apostolorum principem decebat, confidenter loquitur; et, veluti Ecclesiæ caput, Synagogæ in synedrio repræsentatæ denuntiat, non iam alio nomine quàm Iesu-Christi Nazareni, seu non aliunde quàm professione fidei christianæ salutem seu salvationem æternam esse expectandam *(ib. n.* 16 *ad* 18*).*

§ III. Magnus erat paulò post Spiritûs Sancti descensum in ecclesiâ Ierosolymitanâ fidelium numerus, frequentesque eorum conventus, ut ab Apostolis et presbyteris erudirentur, ut orarent, et ut eucharisticum panem sumerent. Huius autem primæ christianæ familiæ maxima erat morum sanctitas: tam ardens mutuus inter ipsos amor, tantum erga pauperes et inopes studium, ut omnium bona omnibus essent quasi communia, locupletioribus res suas vendentibus, et pretium ad usum communitatis in manibus Apostolorum collocantibus. Ananias et Saphira repentinâ corporis morte mulctantur: quo severissimo decreto fidelium excitatur timor, quemadmodum stupendis Apostolorum miraculis multùm erigebatur spes. Iterum verò Apostoli apprehenduntur et mittuntur in carcerem: liberantur ab Angelo: Christum prædicant in templo: feruntur ad synedrium, quod eorum mortem cogitat; et tamen Gamaliele proponente, flagellati, aut alia passi, liberi dimittuntur *(ib. n.* 19 *ad* 24*).*

§ IV. Interea in hac ipsâ Ierosolymitanâ ecclesiâ, in qua multitudinis credentium unum erat cor et anima una, murmur quoddam excitabatur *græcorum*, id est eorum ex gentibus qui iudaicam legem profitebantur, adversùs *hebræos*, id est iudæos origine, eò quòd illorum viduis de eleemosynis ecclesiæ minùs providebatur. Huic malo ut occurrerent Apostoli, septem diaconos eligunt; et orantes, et imponentes eis manus, ministerio altaris et etiam mensæ communis consecrant. Diaconorum primus Stephanus, Dei verbum magno zelo prædicans, à iudæis capitur, in eorum concilium adducitur; et quoniam christianâ fortitudine loquitur, damnatur ut blasphemus, et lapidibus obruitur die vigesimâ sextâ decembris. Stephanus christianorum omnium primus est,

qui in testimonium fidei mortem constanter patitur, seu primus *martyr*. Tunc verò, cùm etiam plures alii fideles morti addicerentur, immanem persecutionem fugientes alii, fidem Christi per totam Iudæam, per Samariam, Galilæam, et vicinas regiones usque ad Damascum Phœniciæ et Antiochiam Syriæ prædicare pergunt. Philippus unus ex diaconis samaritanos plures ad fidem Christi convertit; et quoniam ipsos non nisi baptismo lustrare potuit, Samariam sancti Petrus et Ioannes progressi sunt, ad eos manuum impositione per Spiritum Sanctum in fide confirmandos. Monitus ab Angelo Domini Philippus, æthiopi viro potenti, reginæ Candacis eunucho, in via occurrit, eumque Christi fidem docet et baptizat *(ib. n. 25 ad 33)*.

§ V. In primâ illâ Ierosolymitanæ ecclesiæ persecutione immanior fidelium hostis Saulus erat: qui cùm Damascum iter faceret, ut si quos invenisset in Christum credentes, viros ac mulieres, vinctos perduceret in Ierusalem, stupendo sanè modo à Iesu Domino vocatur: apertis oculis nihil videt, Damascum iubente Domino pergit: visum ipsi restituit, eumque baptizat Ananias, cui Deus revelaverat Saulum esse vas electum, ut fidem gentibus magnâ constantiâ et summis laboribus prædicaret *(ib. n. 34 ad 36)*.

§ VI. Præterea Cornelio Centurioni gentili per Angelum iubebat Deus, ut Simonem Petrum arcesseret: Petrum verò mirabili visione docebat gentes in Ecclesiâ admittendas esse. Ioppem pergit Petrus, nova portenta apparent: Cornelio, et cæteris qui convenerant, Iesum prædicat; et super omnes audientes descendente Spiritu Sancto, etiam gentibus concedendum esse baptisma ipse Apostolorum princeps subitò declarat. Hinc Apostoli nullis legationem suam finibus terminari clariùs perspicientes, orbis regiones inter se distribuunt, in quas singuli Christi fidem inducere satagerent. Symbolum formant, quod signum sit aut tessera, qua veri Christi fideles internosci valeant, et ab aliis distingui: non tamen ad suas regiones statim omnes proficiscuntur, sed aliis temporibus alii *(ib. n. 37 ad 42)*.

CAPUT V.

Labores sancti Petri.

Petrus diversis in regionibus prædicat 1. *Romam pergit. Alexandriæ* Therapeutæ 2. *Petrus è carcere ab Angelo educitur : ipsum Paulus reprehendit* 3. *Concilium de legalium observantiâ* 4. *Simon magus Petro orante decidit. Petrus Romæ interficitur* 5.

§ I. Ecclesiæ pace post primam persecutionem restitutâ, Petrus è Ierosolymis egreditur, et ut supremus pastor greges omnes seu cœtus fidelium, nempe ecclesias tunc fundatas, singulatim visitat. Lyddæ Æneam paralyticum sanat, et Ioppe Tabitham è mortuis suscitat. Pergit Antiochiam, ibique sedem suam ad aliquot annos collocat, et exinde diversas regiones percurrit, Pontum scilicet, Cappadociam, Galatiam, Asiam et Bithyniam, ubique Christum prædicans, primùm quidem iudæis, deinde tamen etiam gentibus. Postea sedem suam ad urbem Romam transfert, quæ totius mundi caput habebatur. *(Lib. III. n. 43 ad 50).*

§ II. Itaque Romam, ubi ecclesiarum omnium princeps locanda erat, princeps Apostolorum abs dubio profectus est. Fidelium cœtus ibi coactus percelebris statim ubique erat : ibi priorem suam epistolam scribebat Petrus, et sancti Marci evangelium approbabat. Hunc sanctum Evangelistam Alexandriam mittebat, in ipsa et aliis Ægypti civitatibus ecclesias fundaturum. Cùm verò Marci austerissimam vivendi rationem fideles utriusque sexûs magno fervore fuerint imitati, non iniuriâ Eusebius opinatus fuit christianos esse quos *therapeutas* vocat

Philo, eorum vitam portento simillimam describens (*ib. n.* 51 *ad* 58).

§ III. Cùm Ierusalem regressus esset Petrus, ab Herode Agrippa in carcerem mittebatur: Ecclesia pro eo, quem ut patrem et caput semper coluit, indesinenter orabat, et Angelus è carcere ipsum noctu educebat. Agrippa non multò post à Deo punitus est: Petrus autem plures novas ecclesias iugiter fundabat, alias iam stabilitas frequenter visitans. Dum esset Antiochiæ Petrus, ut quibusdam iudæis morem gereret, à conversatione cum gentibus abstinere solebat, de quo à sancto Paulo vehementer reprehendebatur. Licèt autem in hoc facto primus Apostolus à recto tramite deviaverit, parùm tamen et incogitans: nec minùs laude digna fuit humilitas qua Petrus reprehensionem Pauli suscepit, quàm christiana libertas, qua illum iste reprehendit (*ib. n.* 59 *ad* 65).

§ IV. Alia percelebris disputatio non multò post Antiochiæ suscitabatur; an nempe gentiles ad fidem conversi legalium observantiâ tenerentur. Tantæ rei decernendæ concilium in Ierusalem indicitur. Petrus præsidet et proponit: Iacobus et cæteri ut iudices sententiam suam dicunt: decretum verò in nomine Spiritûs Sancti et totius concilii promulgatur, denuntiaturque ecclesiis, ut ipsum observent. Huius concilii iussa æquissima ac prudentissima manifestè sunt: eiusque agendi ratio iure haberi solet ut exemplar, quod cætera Ecclesiæ concilia imitari valeant (*ib. n.* 66 *ad* 70).

§ V. Post Ierosolymitanum concilium diversas ecclesias invisit Petrus, et Romam reversus omnibus exinde providet. Ibi Simon magus per aëra pergere seu volare coram Imperatore aggreditur, ac reipsâ in altum surgit: orante autem Petro infeliciter et ignominiosè labitur, et in desperationem actus moritur: de quo facto, à pluribus probatæ fidei auctoribus relato, iuxta regulas critices dubitandum non est. Cùm in christianos sævire Neron inciperet, Petrum fideles hortabantur, ut ab urbe recederet: assentitur; et portam iam egredienti apparet Iesus, et in ipsâ urbe crucifigendum esse indicat. Revertitur

statim Petrus : epistolam secundam scribit, et die vigesimâ nonâ iunii anni sexagesimi sexti æræ christianæ post flagella, crucifixus moritur, capite in terram verso *(ib. n. 71 ad 82)*.

CAPUT VI.

Labores sancti Pauli.

Saulus et Barnabas diversas regiones peragrantes. Eleemosynæ 1. Visiones Sauli. Angelus Satanæ 2. Conversio Sergii Pauli : Theclæ 3. Episcopus aut presbyter in singulis oppidis 4. Paulus et Barnabas ab invicem secedunt, et per diversas regiones prædicant 5. Paulus plurimas regiones percurrit 6. Apollo prædicat. Libri combusti. Dianæ ædes 7. Paulus ad Romanos scribit : purificatur cum nazarenis 8. Incarceratur : appellat ad Cæsarem 9. Auditur ab Agrippa. Melitam iacitur 10. Romæ prædicat : etiam in Hispania : in Urbe capite truncatur 11.

§ I. Apostoli Pauli vocatio aut conversio initio anni trigesimi tertii æræ vulgaris adscribi potest. In triennium Damasci et in Arabia Christum prædicat summâ omnium admiratione, qui eum paulò antea fideles sævissimè exagitantem conspexerant. Inde furore concitati damasceni iudæi, ut Saulum interficiant insidias parant, à quibus ut liberetur, per muri fenestram in sporta noctu demissus velociter fugit. Ierusalem progreditur, ut Petrum videat : ipsumque fideles passim initio timebant, aut eius conversionis ignari, aut inconstantiam veriti. Saulus non tantùm iudæis prædicat, sed etiam gentibus. Per Cæsaream transit, et Tarsum pervenit, per diversas Syriæ

ac Ciliciæ regiones fidem diffundens. Tunc Barnabas ad Tarsum perrexit quærens Saulum, quem Antiochiam duxit. Magnus erat in hac civitate evangelium profitentium numerus : qui cùm antea *fideles*, *credentes*, *discipuli*, *nazaræi*, aut etiam *galilæi* vocarentur, *christianorum* nomine, quod statim præter omnia commune fuit, dignosci cœperunt. Ab Antiochia Saulus et Barnabas Ierusalem progrediuntur, eleemosynas in illâ civitate collectas huic afferentes, quam dira fames excruciabat ; et Antiochiam regressi, Apostoli seu Episcopi consecrati sunt *(Lib. III. n.* 83 *ad* 92 *)*.

§ II. Quadragesimum quintum æræ vulgaris annum tùnc incepisse verisimile est ; et Saulus munus apostolatûs sui quasi novo fervore aggrediebatur, cœlestibus charismatibus et visionibus iterum à Deo donatus. Quia tamen angelus Satanæ eius patientiam iugiter exercebat, vitam ducebat Saulus, non modò sanctissimam, sed etiam austerissimam *(ib. n.* 93 *ad* 95 *)*.

§ III. Saulus et Barnabas, mox ut manuum impositionem susceperant, Seleuciam progrediebantur, et inde navigabant Cyprum. Hanc insulam regebat Sergius Paulus vir prudens, qui viso Apostoli portento fidem profitebatur. In huius gloriosæ conversionis memoriam, *Pauli* nomen ab Apostolo assumptum fuisse verisimillimum est; et omninò certum à sancto Luca ipsius gesta enarrante, et hucusque eum semper vocante *Saulum*, post hanc narrationem iam non nisi *Pauli* nomine significari. Itaque Paulus Pamphyliam navigat, Antiochiam Pisidiæ pergit, et inde Iconium, ubi præter plures alios celeberrimam Theclam ad Christum adducit, quæ ut mulierum protomartyr per totam Ecclesiam, et præcipuè Tarracone colitur. In Lystra paralyticum natum sanat Paulus : ipsi, quasi Deus esset, sacrificium offerre gentes illæ contendunt ; at protinùs lapidibus eum obruunt, et putantes mortuum derelinquunt *(ib. n.* 96 *ad* 104 *)*.

§ IV. Has provincias percurrentes Paulus et Barnabas in singulis oppidis episcopum aut presbyterum, qui novæ ecclesiæ curam gereret, constituebant ; et ita post transactas Pisidiam et Pamphyliam, ad Pergem, et inde

Attaliam descendentes, Antiochiam tandem regressi huic peregrinationi finem imposuerunt. Tunc verò ad longum tempus domicilium Antiochiæ statuisse videntur, quamquam frequentibus excursibus per latas regiones ad Illyricum usque semen Divini verbi frequenter spargerent, et aliquando etiam Ierosolymam venirent de doctrina sua cum cæteris Apostolis collaturi. Hoc verò iter anno quadragesimo septimo vulgaris æræ confecerunt, quod ab alio longè diversum est concilii causâ facto, et quidem multò post nempè anno quinquagesimo primo, vel quinquagesimo exeunte (*ib. n.* 105 *ad* 110).

§ V. Dum à Ierosolymitano concilio Antiochiam regressi Paulus et Barnabas de continuandâ fidei propagatione cogitabant, res nova atque de ipsis hactenus inaudita visa est; discors nempe sententia: siquidem Barnabas cum ipsis Ioannem quoque Marcum proficisci opportunum iudicabat, Paulus verò nolebat. Neuter alterius opinioni aut voluntati cedebat; atque hinc Barnabas cum Marco navigabat Cyprum, Paulus verò per alias regiones peragrabat. Hæc autem de opinione dissensio, seu inter sanctos disputatio, mutuum inter ipsos purissimum amorem nullatenus imminuit; et Ecclesiæ fuit valde utilis, quatenus in sanctificandis pluribus populis Paulus et Barnabas separatim inde laborabant (*ib. n.* 111 *ad* 112).

§ VI. Ecclesias Syriæ, Ciliciæ ac Lycaoniæ Paulus visitat: in Phrygia et Galatia cum fructu prædicat: ad Asiam seu Ioniam ipsum tunc pergere Deus non sinit: Mysiam verò pertransiens cum Luca tendit Macedoniam. Philippis ob dæmoniacam liberatam in carcerem mittitur; et ianuis magno portento noctu apertis, nullo tamen vinctorum fugiente, custos ad pedes Pauli procidit, et convertitur. Thessalonici iudæi Paulum insectantur, Beræenses autem humaniter accipiunt. Circa annum quinquagesimum secundum Paulus Athenas pervenit, urbem sapientiæ famâ percelebrem: in cuius areopago aram videns *ignoto Deo* dicatam, contra idololatriam mirabiliter concionatur, et unus ex senatoribus, aliique audientes plurimi Christi fidem amplectuntur. Corinthi,

quæ urbs erat divitiis referta, cùm prædicaret Paulus, labore suo victum comparabat: ad Thessalonicenses scribit: à Deo cœlesti visione consolatur; et ad proconsulem adducitur à iudæis, qui in Sosthenem furiosi invehunt *(ib. n.* 113 *ad* 128*)*.

§ VII. Nazaræorum vota solvere in se Paulum recepisse Cenchris, mirandum non esset, incertum tamen est. Ex isto portu ad Syriam navigans Paulus, ad Ephesum applicuit: unde Cæsaream transiit, et ut videtur etiam Ierusalem. Dum verò mediterraneas Asiæ provincias Paulus excurrebat, Ephesi et Corinthi Evangelium prædicabat quidam Apollo christianâ confidentiâ, et non modico fidelium fructu. Postea Paulus Ephesum regreditur, ibique consistit: biennio domum Tyranni habitans, Christum ibidem prædicat: et per viciniores Asiæ provincias sæpius excurrit, ut fidem Christi plantet; et ut hæc radices agat et extendatur, assiduo labore irrigat et colit. Filiorum Scevæ avaritiam miraculo punit: quo severi iudicii exemplo commoti christiani Ephesii et timore correpti, peccata confitentur, malosque libros, quorum magna erat copia, in ignem proiiciunt. Interea Demetrius quidam argentifex, et alii eiusdem artis opifices, magnam populi commotionem adversùs Paulum suscitant, quòd Pauli doctrinâ ab emendis argenteis ædiculis Dianæ homines abstinerent. Nihilominùs laboribus et periculis ferè ad triennium circumdatus Ephesi consistit Paulus, et inde primam ad Corinthios epistolam, et ad Galatas scribit *(ib. n.* 129 *ad* 142*)*.

§ VIII. Ab Epheso egressus Paulus Macedoniam visitat, ubi multa patitur, et ad Corinthios secundam epistolam mittit. Iterum Græciam percurrit, eleemosynas pro ecclesiâ Ierosolymitanâ colligens; et tunc mirabilem scribit epistolam ad Romanos. In ea tam in iudæos nimis de lege sua, quàm in gentiles de suis philosophis gloriantes, vehementer invehitur, utrorumque superbiam et nimiam in rebus suis confidentiam contundere se intendens; quo modestè ac humiliter sentientes ambo populi, in angulari lapide Iesu-Christo constanti fide ac firmâ spe feliciter uniantur. Iterum Macedoniam pergit

Paulus : Troade puerum è mortuis suscitat : Mileti presbyteros Ephesiorum congregat : præteriens plures ecclesias visitat ; et Ierosolymam tendit, sanè sciens ibi apprehendendum se esse multaque laturum. Ut iudæorum calumnias dissipet, cum quatuor nazarenis purificatur, et nihilominùs à iudæis tumultuantibus capitur, qui eum interficere moliuntur *(ib.* 143 *ad* 153 *)*.

§ IX. Anno quinquagesimo octavo hanc in Paulum commotionem contigisse videtur. Lysias cohortis tribunus, ut Apostolum è manibus iudæorum eriperet, eum comprehendi iussit. Iussit etiam flagellis cædi et torqueri; at declarante Paulo se civem romanum esse, discesserunt protinùs, qui eum torturi accesserant. In iudæorum concilio postea præsentatur : Ananiam, à quo gravissimè offenditur, vehementer increpat : monitus tamen Ananiam esse summum sacerdotem, id se ignorasse testatur, volens sacerdotis umbram etiam in homine indigno venerari ; atque pharisæum se profitetur, hoc est, resurrectionis mortuorum vindicem. A Lysia Cæsaream mittitur ad Felicem præsidem : qui auditâ Tertulli accusatione in Paulum, et huius responsione, ipsum iubet ita custodiri, ut quietus maneat, suique eum invisere, ipsique ministrare possint. Duobus annis in hac custodia permansit, quousque Portio Festo post Felicem præside innovabatur iudicium : Paulus ad Cæsarem appellabat, et eum Festus Romam mittendum decernebat *(ib. n.* 154 *ad* 160 *)*.

§ X. Cum verò paulò post rex Agrippa Cæsaream petiisset, et Paulum audire peroptaret, ipsum Apostolus publicè alloquitur, eique Evangelium confidenter nuntiat. Tunc annum esse sexagesimum vulgaris æræ videtur; et Festus per mare Paulum statim Romam misit. In ea navigatione post multos labores validissimâ tempestate iactatus fuit; atque dum iam spes omnis salutis deesse videbatur, monitus ab Angelo Paulus, omnes qui in navi erant, erant autem ducenti septuaginta sex, in insulam quamdam vivos perventuros, solamque navim perituram esse, constanter asseverat. Et re ipsâ navi in littora insulæ Melitæ illisâ, omnes, aut natantes, aut super

tabulas ipsius navis delati, ad terram pervenerunt. Multa miracula ibi patravit Apostolus, propter quæ tam ab insulæ Principe, quàm à cæteris incolis, humanissimè accipiebatur (*ib. n.* 161 *ad* 168).

§ XI. Post tres menses à Melita insulâ egreditur Paulus Romam navigaturus, quò tandem mense februario anni sexagesimi primi pervenisse videtur. Romæ in privata domo à milite ipsum custodiente habitare copia illi fuit. Iudæos statim ad se vocat, et toto biennio, quo detentus fuit, Evangelium liberè prædicabat. Epistolam mittit ad Philippenses, qui ei maxima amicitiæ officia præstant. Onesimum convertit, et ad Philemonem scribit, sicut ad Colossenses, et etiam abs dubio ad Hebræos. Anni sexagesimi tertii verno tempore libertatem recuperasse videtur. Tunc verò Hispaniamne venisse credemus? Profectò quòd in Hispaniam venire desideravisset, in dubium verti nequit, cùm in epistola ad Romanos id sæpiùs asserat: et quidem auctores sunt antiqui, eum reverâ venisse asserentes, quibus non est cur fidem denegemus. Itaque Pauli adventus ad Hispaniam cum factis antiquis numerandus est, quæ certa habentur. Hinc verò ad orientem reversus, suam epistolam priorem ad Timotheum scripsit, et etiam ad Titum. Tandem Romam iterum venit, secundam ad Timotheum scribit, et ad Ephesios. Atque cùm ipse, sicut et Petrus, in carcerem missus fuisset, eodem die et anno morti addicti sunt. Paulus verò ut civis romanus, nec flagellatus nec crucifixus, sed securi percussus est (*ib. n.* 169 *ad* 192).

CAPUT VII.

Labores aliorum Apostolorum, et discipulorum.

Andreas in Scythia et Achaia 1. *Iacobus maior in Hispania* 2. *De Maria Matre Dei* 3. *Ioannes in oleo ferventi: Apocalypsis: iuvenis conversio* 4. *Thomas in Edessa. Abgarus* 5. *Iacobus minor Legem observabat* 6. *De cæteris Apostolis, Evangelistis, et discipulis* 7.

§ I. De cæteris Apostolis ac viris apostolicis ferè nescimus; nam contemnenda sunt, quæ leguntur in actis Abdiæ nomine inscriptis, cæterisque libris apochryphis, quos priorum sæculorum hæretici in vulgus emiserunt. Epistola quam clerus Achaiæ de S. Andreæ gestis ac morte scripsisse dicitur, veneratione digna est, quamvis in multis fuisse vitiatam dubitari vix possit. Hunc verò Apostolum et in Scythia prædicasse, et in Achaia, aliisque regionibus, et gloriosam mortem obiisse, certum reputari debet (*Lib. III. n.* 193 *ad* 197).

§ II. Priùs quàm Andreas, mortuus fuerat pro Christo sanctus Iacobus, quem *maiorem* appellamus. Hunc in Hispaniam venisse, in ecclesiastico *officio* legitur, post rem acri iudicio Romæ disputatam. Præterea *manuscriptum* monumentum in archivis ecclesiæ Toletanæ repertum, ex quo Iacobi in Hispaniam adventus primò impugnatus fuit, purum putumque esse figmentum evidentissimè constat: cæteraque argumenta, quæ adversùs traditionem huius adventûs adduci solent, levissima sunt: traditio verò ipsa et antiqua est, et antiquorum testimo-

niis non leviter fundata. Demum quæ Cæsaraugustana ecclesia de Virgine sub titulo *de Columna* adventui sancti Iacobi piâ traditione addit, non facilè contemni debent. (*ib. n.* 198 *ad* 208).

§ III. Post Iesu mortem ipsius sanctissimam Matrem evangelista Ioannes in suam recipiebat. De qua cùm hoc loco commemorare aggredior, statim adoranda Divinæ providentiæ consilia se se offerunt, quæ, ut suprema omnium Regina maiora, humilitate suâ, præmia mereretur, ut nos ingenitam curiositatem nostram frenare disceremus, aut ob alias abs dubio iustissimas causas, disposuit auctores sacros, et etiam ecclesiasticorum antiquissimos, pauca aut ferè nulla de vita sanctissima ac de pretiosa ipsius morte nobis enarrasse. Nihilominùs omnibus certum esse debet sanctam virginem Dei Matrem reapse mortuam fuisse, eiusque corpus ad cœlum fuisse assumptum. Utrumque commemorat Ecclesia in festo, quod Assumptionis vocari solet; et præter illud alia plura festa in honorem sanctissimæ Mariæ quotannis celebrat (*ib. n.* 209 *ad* 215).

§ IV. Quamquam verò Ioannes apostolus Matri Iesu attentissimâ curâ ministraret, nihilominùs magno quoque zelo predicabat Evangelium: primò quidem in Iudæa cum sàncto Petro sibi amicissimo, deindè verò solus per totam Asiam. Romæ ferventis olei tormentum passus est, et deindè in insula Pathmos exulavit. In exilio mirandis iis cœli visionibus illustratus fuit, quas in Apocalypsi refert: neque in dubium verti debet authentica fides huius libri, in quo cæterorum omnium prophetarum miranda effata quasi in centro colligi videntur. A Pathmos ad Asiam redit Ioannes, Epistolas scribit, et rogatus etiam Evangelium. Iuvenem quemdam episcopi curæ speciatim committit; et iuvenis otiosis oblectamentis primò deditus, deindè turpibus vitiis, tandem grassatorum totam provinciam infestantium dux effectus est. Cùm verò Ioannes ecclesiam illam visitaret, de iuvene interrogat; infelicem eius casum lamentatur, equum ascendit, per invios montes quærit perditum iuvenem, invenit, mirabili dulcedine affatur, et ad bonam frugem convertit. In

pace tandem moritur Ioannes : moritur abs dubio *(ib. n.* 216 *ad* 232 *).*

§ V. Thomas in ipsa Iudæa decessit, ad quam, peragratis diversis orbis regionibus, Evangelium quoque in ea prædicaturus advenerat. Eius corpus Edessam translatum fuit, quam Thaddæus Thomæ discipulus Evangelii doctrinâ illustraverat : neque contemnendæ sunt, quamvis non sint authenticæ, epistolæ illæ Abgari Edessani regis ad Iesum, et Iesu ad Abgarum, quas transcribit Eusebius, et in Edessæ archivis tunc adhuc inveniri asseverat *(ib. n.* 233 *ad* 237 *).*

§ VI. Iacobus minor Ierosolymorum episcopus à iudæis etiam magnâ veneratione habebatur, et antiquam legem etiam à Christi discipulis observari humanissimè permittebat. Quia tamen Iesum esse verum Deum et credebat et confidenter profitebatur, in ipsum Ananus aliique iudæi immaniter insurrexerunt, et martyrium passus est : dolentibus etiam iudæis pluribus, viris sensatis, qui in pœnam tanti sceleris populo iudaico eas calamitates, quibus statim oppressus est, evenisse putabant. Iacobi huius est *Epistola canonica,* eius nomine inscripta, quæ magni ponderis sententiis referta est, et abs dubio authentica *(ib. n.* 238 *ad* 243 *).*

§ VII. De cæterorum Apostolorum prædicatione ac morte, aut nil omninò novimus, aut incertissima sunt quæ referuntur, ut Philippi, Bartholomæi, et Matthæi : huius tamen nomen celebre semper fuit in Ecclesia, quoniam auctor Evangelii fuit, quod primò vulgabatur. Simon apostolus inter Iesu cognatos numerandus non est : benè tamen Iudas, cuius est Epistola eius nomine cognita. De Mathiæ gestis postquam apostolus electus fuit, et Barnabæ postquam à Paulo discessit, ac de utriusque morte, nil certi habemus. Quòd verò attinet ad septuaginta duos Domini discipulos non nisi quorumdam nomina nobis innotescunt : neque verisimile est ex eorum numero fuisse Lucam, cuius extant Evangelium et Actus Apostolorum, neque Marcum qui etiam Evangelium scripsit, et austerissimam vivendi rationem crudelissimo martyrio gloriosè consummavit *(ib. n.* 244 *ad* 259*).*

CAPUT VIII.

Ecclesia scriptis apostolicis instruitur.

Libri novi Testamenti docent credenda et agenda 1. *Dei perfectiones, et idololatrarum cæcitas* 2. *Trinitatis mysterium* 3. *Iesus-Christus Deus et homo, hominumque Redemptor. Lex nova* 4. *Ecclesiæ dotes : est una, sancta, catholica* 5, *et apostolica. Petrus primus inter Apostolos* 6. *Sacramenta : Baptismus* 7 : *manuum impositio, sive Confirmatio* 8 : *Sacramentum corporis Domini* 9. *Pœnitentia : infirmorum Unctio* 10. *Ministrorum ordinatio, et Matrimonium* 11. *Cœtus fidelium multi, illorumque diversa consilia* 12. *Doctrinæ morum principia* 13. *Officia erga Deum et Redemptorem nostrum Iesum-Christum* 14 : *erga templa : erga ipsam Ecclesiam* 15 ; *erga proximum et nosmetipsos* 16. *Ad hæc officia implenda variè excitamur* 17 ; *et efficaciter ob timorem Dei iustè punientis* 18. *Doctrina novi Testamenti non ab hominibus inventa, sed à Deo data est* 19.

§ I. Quæ de prædicatione Apostolorum, et discipulorum Christi nobis ex antiquitate referuntur, hactenùs indicavimus : nunc doctrinæ, quæ in Apostolorum et Evangelistarum scriptis continetur, summam exhibeamus. Ante omnia præ oculis habendum est doctrinam omnem, quam Iesus-Christus aut ipse publicè prædicavit, aut Apostolos docuit, ut eam orbi promulgarent, verum esse verbum Dei : quo erudimur non tantùm sacris libris novi Testamenti, sed etiam veteris : neque solùm scripto, verùm etiam traditione. Etenim in ipsis novi Testa-

menti libris legimus Deum per prophetas locutum esse, et à Iesu monitos iudæos ut antiquas scripturas scrutarentur: imò passim observatur res Christi à Moyse et prophetis præsignificatas fuisse. Ut proinde scripturas veteris Testamenti esse divinas, et verè verbum Dei, veritatibus in novo Testamento clariùs enuntiatis annumerandum sit. Similiter nec Iesus-Christus scripsit, nec Apostolos scribere iussit, sed prædicare. Ex his quæ Christus, Apostolos instruens, dixit, aliqua scripta sunt, at certè non omnia: et Paulus et Ioannes plura verbo docuisse, quæ non scripserunt, apertè testantur. Itaque libri ipsi novi Testamenti nobis ostendunt, quòd Apostoli doctrinam à Christi ore susceptam non totam scripto consignarunt, sed partim scripto, partim etiam verbo tantùm posteris tradiderunt. Ideò libri novi Testamenti sufficienter nos edocent ea quæ fide credere, et nobis præcipiunt quæ operibus complere debeamus: credenda scilicet de Deo, de Iesu-Christo, et de Ecclesia: agenda verò erga Deum, erga Iesum-Christum, erga proximos nostros, et erga nosmetipsos. Itaque præcipua dogmata quibus novo Testamento erudimur, et graviora præcepta, quæ in ipso nobis ponuntur, saltem obiter indicemus (*Lib. III. n.* 206 *ad* 162).

§ II. A creaturis ad supremi omnium Factoris considerationem ascendendum esse admonemur, ut eius æternam potentiam et divinitatem agnoscamus. Deum quoque edocemur Spiritum esse altissimum et omnipotentem, immensam verò eius misericordiam, iustitiam, sapientiam, providentiam, bonitatem, amorem in homines, et innumeras alias perfectiones. Et quamquam in veteri Testamento præcipuè veri Dei unitas asseratur, et adversùs falsa gentilium numina vehementer declametur: etiam in novo, ut in epistola Pauli ad Romanos, de unitate Dei disseritur, et gentilium sapientium cæcitas deploratur, qui hominum simulacris, imò et belluarum, eum honorem, cultum et laudem offerebant, quæ Deo incorruptibili et immortali tantùm debentur. In pœnam etiam tam turpis idololatriæ, observat Apostolus, sapientes ipsos corrupti sui cordis pravis concupiscentiis adeò

fuisse raptos et illusos, ut in scelera magis naturæ iniuria et maximæ ignominiæ se se præcipitarent (*ib. n.* 263 *et* 264).

§ III. In novo tamen Testamento non modò clara unitatis Dei cognitio nobis exhibetur, sed de adorando trinitatis Personarum mysterio instruimur. Pater, et Verbum, et Spiritus Sanctus tres sunt: tres inquam Personæ: at unus Deus, seu unum et idem sunt. Et in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti baptisma ministrandum est (*ib. n.* 265).

§ IV. Quemadmodum in antiquo Testamento Messiam venturum prophetæ prænuntiaverant, ita in novo in hunc mundum venisse declaratur Iesum-Christum verum Deum, verum hominem, et hominum Redemptorem. Suæ redemptionis meritum ad omnes omnium temporum homines latè diffunditur: mirum in modum illos effert, profundissimâ eiusdem Domini humilitate seu exinanitione: ita ut in humanæ redemptionis ædificio et latitudo, et altitudo, et profunditas æquè miranda sint. Lex nova, seu Iesu-Christi, antiquâ illâ Moysis longè excellentior est: eius sacerdotium magis quàm Aaronis augustum: novumque fœdus antiquo fœdere multò nobilius (*ib. n.* 266 *ad* 272).

§ V. Ecclesia, seu regnum Iesu-Christi, totius mundi loca intra suos limites comprehendit, nullamque hominum classem excludit: malos etiam admittit et tolerat. Ad finem usque mundi in terris permansura est, in veritate semper firma consistens, quamquam hæreticorum dolis et erroribus multùm agitata. Una est Ecclesia, sancta, catholica, et apostolica. *Una*, quoniam unum est eius corpus, unus spiritus quo animatur, unus eius Dominus, una fides, unum baptisma. *Una* vocari debet Ecclesia potiori iure quàm Assyriorum, Persarum, aut Romanorum imperium, cùm longè perfectioribus principiis Ecclesiæ unitas innitatur. *Sancta* est, quoniam finis ad quem Ecclesiæ societas ordinatur sanctus est, imò ipsa sanctitas: sacramenta eius, et ritus omnes, sancta sunt: doctrina est omnium aptissima ut sanctos efficiat: et aliunde mortales omnes, qui sancti vocari

possunt, Ecclesiæ membra sunt, quamvis non omnia ipsius membra sint sancta. Etiam *catholica* seu universalis est Ecclesia, non solùm quia ad omnia loca, omnia tempora, et omne genus hominum latè diffunditur, sed etiam ratione doctrinæ, quæ quidquid credere, agere, vel omittere debeamus, comprehendit *(ib.* 275 *ad* 283*)*.

§ VI. Ecclesia est etiam *apostolica*, utpote fundata supra firmam petram Iesum-Christum, qui *apostolus* est, seu missus à Patre. Deinde ab Apostolis continuo successorum ministerio descendit. Successores autem Apostolorum, ut ipsi Apostoli, non modò potestatem habent docendi et prædicandi, sed etiam leges aut præcepta ferendi, et infractores puniendi : puniendi inquam privatione iurium et bonorum ab Ecclesiæ societate manantium. Apostolorum primus erat Petrus, et Ecclesiæ caput. Ecclesia verò visibile corpus est *(ib.* 284 *ad* 294*)*.


§ VII. In Ecclesiâ Christi sæpè confertur Dei gratia ope cæremoniarum sensibilium, quæ ipsam efficaciùs causant, quàm antiquæ legis cæremoniæ. Itaque legis novæ præcipuas, quæ *Sacramenta* vocari solent, indicemus. Baptismus aquæ, in nomine Patris et Filii et Spiritûs Sancti ministratus, est baptismus Christi, quo à peccatis mundamur, regeneramur in Spiritu Sancto, in Christo nascimur, et Christum induimur. Et quia omnes homines in Adam peccaverunt, omnes baptismo indigent, ut à peccato liberentur, seu peccato moriantur, et in Christo vivant. Imò statutum est, quòd nisi quis renatus fuerit ex aquâ, et Spiritu Sancto, non intrabit in regnum cœlorum. Hæc tamen generalis divina lex ab extraordinariâ Dei providentiâ exceptiones quasdam pati potest : dum nempe Deus disponit aliquos, antequam baptismum aquæ recipiant, vivificæ charitatis ardore inflammari, aut pro nomine et fide Christi mortem sustinere. Martyrium enim et charitas sanctificans etiam à peccato animam mundat : quo sensu vocare baptismos, et de baptismis pluraliter cum sancto Paulo loqui possumus *(ib. n.* 292 *ad* 294*)*.

§ VIII. Postquam christiani aquæ baptismo in Spiritu Sancto regenerati sunt, orationibus, et impositione

manuum episcoporum, nova Spiritûs Sancti dona recipiunt, quibus in Christi fide confirmantur: unde istâ manuum impositione Spiritum Sanctum accipere dicuntur. Sic Samariam Petrus et Ioannes profecti sunt, ut fideles, qui iam fuerant à Philippo diacono baptizati, orationibus et impositione manuum horum Apostolorum Spiritum Sanctum, seu copiosiora ipsius charismata susciperent. Hæ autem sacræ cæremoniæ, à baptismo omninò distinctæ, sacramentum Confirmationis iam diu vocari solent *(ib. n. 295)*.

§ IX. Cætera christianæ Ecclesiæ sacramenta immensùm dignitate superat sacramentum corporis et sanguinis Iesu-Christi, quod Dominus instituit, dum, ut Apostoli Pauli verbis utar, *in qua nocte tradebatur, accepit panem, et gratias agens, fregit et dixit: Accipite, et manducate: hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur: hoc facite in meam commemorationem. Similiter et calicem, postquam cœnavit, dicens: Hic calix novum testamentum est in meo sanguine: hoc facite, quotiescumque bibetis, in meam commemorationem. Quotiescumque enim manducabitis panem hunc, et calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis, donec veniat.* Hinc participatio calicis huius ab Apostolis, et eorum in sacerdotio christiano successoribus, benedicti aut consecrati, *communicatio sanguinis Christi est:* et participatio panis *participatio corporis Domini est.* Ex qua doctrinâ conclusionem hanc, cuius christiani ad sacram mensam accedentes semper meminisse debent, deducit Apostolus: *Itaque quicumque manducaverit panem hunc vel biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis et sanguinis Domini (ib. n.* 296 *et* 297 *)*.

§ X. Quoniam qui per baptismum peccato mortui, et in Christo nati sunt, et manuum impositione in fide confirmati, atque Domini corpore et sanguine nutriti in vitâ gratiæ, hanc amittere possunt: ideò aliam sacram cæremoniam, seu aliud sacramentum, in horum remedium, aut resurrectionem à morte culpæ, Iesus-Christus instituit, nempè iudicium et remissionem peccatorum. *Quorum remiseritis peccata*, dicebat Iesus Apostolis,



remittuntur eis, et quorum retinueritis retenta sunt. Ex quibus facilè colligitur opus esse peccata commissa ministris Iesu-Christi denuntiari, ut remittenda à retinendis opportunè distinguere valeant. Hoc iudicium et ministerium remittendi peccata, vocari solet sacramentum Pœnitentiæ. Quamdam etiam sacram cæremoniam ad levamen infirmorum institutam, commemorat S. Iacobus his verbis : *Infirmatur quis in vobis? Inducat presbyteros Ecclesiæ, et orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini, et oratio fidei salvabit infirmum, et alleviabit eum Dominus, et si in peccatis sit, remittentur ei* (*ib. n.* 298 *ad* 303).

§ XI. Demum sacris cæremoniis ministros Ecclesiæ debere institui, et christianorum matrimonia celebrari posse, observandum est. Saulus et Barnabas, iubente Spiritu Sancto, ad opus ministerii apostolici orationibus et impositione manuum dicati seu consecrati sunt. Septem quoque priores diaconos in suo ministerio manuum impositione constitutos fuisse vidimus. Paulus apostolus Timotheum admonet, ne gratiam negligat, quæ ipsi manuum presbyterii impositione data est. Et hæc sufficiunt, ut dedicationem seu consecrationem ministrorum Ecclesiæ quodam externo ritu fieri, quo Christi Domini gratia confertur, agnoscamus; ac proinde hanc consecrationem inter Ecclesiæ sacramenta iure numerari. Simili quoque modo ritus, quibus inter christianos matrimonia celebrantur, sacros et symbolicos posse evadere, et Christi benedictiones seu gratias secum afferre, facilè sibi persuadebit, quicumque observet Christum Dominum præsentiâ suâ ac primo edito miraculo nuptias honorasse, et matrimonii vinculum non tantùm indissolubile declarasse, sed arctiùs constrinxisse; atque à S. Paulo matrimonium esse unionis Christi cum Ecclesiâ symbolum, et ideò *sacramentum magnum*, affirmari (*ib.* 304 *et* 305).

§ XII. Frequentissimi fuerunt semper christianorum cœtus, ad Dei cultum, ad eucharistici panis sumptionem, et etiam ad fideles de doctrinâ Christi erudiendos. At præter hos diurnos aut valdè frequentes, celebra-

bantur quoque plures alii cœtus extraordinarii, in quibus aut tantùm principes Ecclesiæ ministri, aut etiam alicuius urbis totus populus christianus, congregabantur, sive ad ministros eligendos et ordinandos, sive ad dubia decidenda, sive ad alia (*ib.* 306 *et* 307).

§ XIII. De doctrinâ morum, quæ in novo Testamento traditur, tandem aliqua dicenda sunt. In qua quidem, quibus principiis innitatur, ante omnia considerare oportet: deindè præcepta quæ ponit: ac demum qua ratione ad ipsa observanda alliciamur. Primum doctrinæ morum principium ex ipso Deo desumendum est, quòd scilicet ante Dei conspectum sint omnia, ita ut nihil omninò Deum lateat, nihil eius providentiam effugere possit. Dei bonitas ac iustitia æquè infinitæ sunt: à Deo in iudicium vocandi sunt omnes homines, nullo omninò excepto; atque æterna sunt, et omnem imaginationem longè superant, non modò præmia bonis post mortem conferenda, sed supplicia quoque infligenda malis. Præterea christiana doctrina, etiam hominum habitâ ratione, nonnulla principia statuit, ex quibus opportunissimæ regulæ seu præcepta facilè colligantur. Omnes enim homines ab uno homine à Deo in statu innocentiæ creato descendere edocemur: ex quo diversa fraternitatis officia inter homines, erga Deum autem grati animi ac obedientiæ suâ sponte nascuntur. Edocemur etiam, quòd licèt è morte peccati, cui propter primi hominis inobedientiam addicti nascimur, in baptismo liberemur, et ad vitam gratiæ nascamur, manent tamen in nobis, seu in mentibus nostris, leges et propensiones repugnantes legi mentis nostræ, et facilè captivantes nos in lege peccati. Monemur, à concupiscentiâ quæ parit peccatum abstractos et illectos nos tentari: tentari etiam à diabolo seu ab adversario nostro, qui nos circuit, quærens quem devoret. Tandem edocemur, ad fugandos dæmones, ad carnis illecebras superandas, et ad omnes tentationes vincendas, Dei gratiam ex meritis Christi collatam esse sufficientissimam: Deum verò humilibus, ac firmâ fide petentibus, hanc gratiam non denegare. Ex qua doctrinâ christianâ tum de periculis quæ nos circumdant, cùm de Di-

vinâ gratiâ quæ ad nos liberandos sufficit, velut ex fœcundis principiis, vigilantiæ, sobrietatis, humilis orationis, aliarumque virtutum præcepta manant. Denique ut principium doctrinæ morum habendum est etiam, felicitatem seu beatitudinem perfectam in hac vitâ mortali nullatenus inveniri posse : nosque etiam cum propriis corporibus esse quandoque à mortuis suscitandos, aut perpetuâ felicitate potituros, aut cruciatibus æternis puniendos, prout in ultimo iudicio infinita Dei iustitia sanciverit *(ib. n.* 308 *ad* 320 *)*.

§ XIV. Ex iis principiis suâ veluti sponte oriuntur sublimia præcepta, in quibus nostra erga Deum officia, erga Redemptorem nostrum, erga cæteros homines, erga nosmetipsos continentur. Purissimi cultûs qui Deo debetur præcipua pars præcepta sunt de amore ac timore Dei, de oratione, et de vehementi ob irrogatas Deo iniurias aut offensas dolore ac pœnitentiâ. Redemptorem nostrum Iesum-Christum non modò ut Deum colere et adorare debemus, sed nunquam oblivisci quantum ipsi debeamus ut Mediatori inter Deum et homines, et quot et quanta sint religionis nostræ officia, quæ ex hoc solo capite nascuntur. Saltem operibus nostris palàm facere debemus, ipsius doctrinam et exempla nobis esse gratissima ; et mortificationem Iesu in corpore nostro circumferentes, etiam in nostrâ carne mortali vitam Iesu manifestare. Fidem verò etiam verbo palàm nostrum est confiteri, quotiescumque oportuerit. Quòd si doloribus aut contumeliis inde opprimamur ; in cruce Domini nostri Iesu-Christi cum gaudio gloriemur *(ib. n.* 321 *ad* 326*)*.

§ XV. Præterea nostra erga Redemptorem nostrum religio iubet, ut summâ veneratione ipsius templa prosequamur, memores quàm vehementi zelo eos qui antiquum profanabant suis ipse manibus puniverit. Ecclesiam verò sponsam suam ita venerari opus est, ut tamquam ethnicus vel gentilis à nobis habeatur, quicumque Ecclesiæ iussa vel monita contempserit ; et ministris eius etiam obsecundare oportet, quoniam qui eos audit, Dominum audit, et qui contemnit, eius maiestatem contemnere censendus est *(ib. n.* 327 *)*.

§ XVI. Aliundè venerationis ac obedientiæ officia erga supremas potestates, et accurata vectigalium solutio nobis iniunguntur : perfectus item amor proximi , etiam inimicorum : irrogatas nobis iniurias patienter ferre , et de illis nullam vindictam sumere ; atque pauperum tenerè et liberaliter misereri. Particularia, et cuiuscumque statui propria præcepta ponuntur , cùm filiis et parentibus , tum viris et uxoribus , dominis et servis , tributorum etiam exactoribus , militibus , iuvenibus , senibus , viduis , ac iis maximè qui Ecclesiæ ministerio consecrantur. Omnibus necessaria docetur summa veritas , vera fortitudo patientiæ ac mansuetudini sociata , temperantia prudens , et intemerata castitas. Denique ad animi humilitatem, ad spiritûs paupertatem, ad austeritatis amorem, et ad perfectam vitæ sanctimoniam hortamur et ducimur *(ib.* 328 *ad* 349 *).*

§ XVII. Hæc verò tam accurata et pura doctrina morum cunctis terræ populis , nec modò viris doctis aut potentibus , sed infimæ plebi , et speciatim pauperibus nuntiatur ; atque simplici stilo et eâ methodo , quæ ut à populo intelligatur opportunior est. Neque proponitur ut celebris alicuius philosophi opiniones vel placita continens , sed ipsius Dei omnipotentis præcepta ac leges : eâ scilicet auctoritate proponitur , quæ summam ipsi venerationem conciliet , ut ei humilis obedientia ab omnibus exhibeatur. Præterea peculiaribus quibusdam rationibus ad morum præcepta servanda christiani excitantur. Principio nobis ante oculos iugiter ponitur severum Dei iudicium , et etiam gloria aut pœnæ æternæ , quæ ipsum consequentur. Edocemur etiam in cœlestem patriam ingredi nullum posse , in quo immundum aliquid supersit ; et aliquos in die Domini salvos fore quasi per ignem , seu etiam post mortem quibusdam pœnis, ut aurum igne, purificandos à defectibus aut levibus maculis , quas morientes habere in Dei iudicio inventi sunt. Ut proindè ad mercedem à Domino statim post mortem accipiendam, necessum sit adeò à terrenorum affectu cor mundum habere , illâ sanctitate et vitæ perfectione pollere , ut nil omninò purificandum post mortem supersit. Ulteriùs

Divinæ gratiæ auxiliis, sacramentis, et angelorum præsidio adiuvamur. Denique sanctorum exemplis ducimur; et, quod caput est, ex vitâ, passione, et morte ipsius Domini Redemptoris nostri innumera ac efficacissima argumenta se se offerunt, quibus ad omnium virtutum amorem et exercitium excitemur. Apostolus Paulus, epistolâ ad Hebræos, vehementer nos admonet, ut *in Dominum nostrum Iesum-Christum tamquam auctorem et consummatorem fidei nostræ semper aspiciamus (ib. n.* 350 *ad* 357 *).*

§ XVIII. Quoniam verò plures sciebat Apostolus Iesu-Christi exemplis adducendos non fore, ut eius disciplinam, quæ in præsenti vitâ non gaudii sed mœroris esse videtur, et amore susciperent et opere complerent; timore Dei eos commovere conatur terribili illâ sententiâ: *Deus noster ignis consumens est.* Quæ sententia ipsa sola sufficientissima esse debet, ut salutari timore christianorum omnium, sapientum etiam, corda penetrentur; et ut Domini sacerdotes ac ministri vehementer declamare non desinant adversùs impiam æternarum pœnarum oblivionem; quam quibusdam libris foveri ac commendari cernimus, et ex eis aliquos à viris etiam catholicis inconsultissimè laudari *(ib. n.* 358 *ad* 362. *)*

§ XIX. Et dicta sufficiant pro doctrinæ moralis novi Testamenti summario: ex quo, quamtumvis breve sit, duo consectaria opportunissima deduci possunt. *Primum*: Nimis esse rectæ rationi dissonum, id quod increduli plures ausi sunt, nomine doctrinæ moralis Evangelii eam exhibere, in qua mysterium nullum proponitur à mente humanâ docilitate credendum, nulla pœna æterna, cuius timore appetitus inordinati concupiscentiæ frenentur: quæque ad labores mortalis vitæ patienter sustinendos, atque ad actus cæterarum virtutum frequenter iterandos, efficacissima exempla Dei, qui factus est homo, imitanda nunquam proponit. *Secundum*: Si summarium istud cum eo conferatur, quod nuper de philosophorum gentilium circa mores extraneis opinationibus dictum est, evidentissimè patebit christianam doctrinam à fonte nasci longè puriori ac eminentiori, quàm sit humana ratio, ex qua

gentilium philosophia manavit. Ac proinde non rationis humanæ, sed Dei ipsius opus esse Evangelii doctrinam (*ib. n.* 363).

CAPUT IX.

Ecclesia triumphat de iudæis.

Mundus insectatur Ecclesiæ doctrinam et membra 1. *Inimici Ecclesiæ* 2. *Iudæi puniuntur* 3. *Statua Caligulæ. Agrippa rex. Legatio iudæorum* 4. *Deceptores. Portenta: Iesus Ananus. Iudæi in Romanos insurgunt* 5. *Obsessio Ierusalem. Stupendæ calamitates* 6. *Templum flammis absumptum. De Iudæa triumphus. Barcochebas* 7. *Iudæi puniuntur à Deo, non tamen ob idololatriam* 8. *Iudaicus populus existit in bonum Ecclesiæ* 9.

§ I. Cum Moyses mandata suæ legis fideliter observantibus temporalia bona polliceretur; è contrario Iesus-Christus monebat discipulos suos in ipsâ paupertate, fame, siti, lacrymis, atque inimicorum insectationes magnâ patientiâ sustinendo, felicitatem seu beatitudinem suam esse quæsituros. Ecclesiam immani odio mundus iugiter insectatur, non modò dogmata illius seu decreta, sed etiam membra seu fideles: at Ecclesia gloriam suam in ipsis pœnis seu laboribus invenit. Quia tamen prima Ecclesiæ ætas est, in qua duriùs à persequentibus vexabatur, ut inde ætas vel *epocha persecutionum* appellari soleat; eam tunc à quatuor distinctis inimicorum generibus insectatam, et de ipsis gloriosè triumphantem consideremus (*Lib. IV. n.* 1 *et* 2).

§ II. Ecclesiam iudæi insectantur; sed illi Deus ultionem dedit ex eis, et prophetiis adimpletis gloriosa

exultat. Persequuntur tyranni : at ipsam quoque sanguimartyrum fœcundat, et eorum mirabilis fortitudo nobis litat. Insectantur mundi sapientes : at solidissimis apologiis defenditur, et prudentiores philosophos ad se trahit. Insectantur denique hæretici, et quodammodò etiam pravi catholici : magna tamen in eâ est sanctorum copia, quorum exemplis, et sapientûm, quorum eruditione et doctrinâ, veritas dogmatum et morum sanctitas in ipsâ conservantur. Singula paulò distinctiùs consideremus *(ib. n.* 3 *)*.

§ III. Christianos nunquam non immaniter infestarunt iudæi; apertâ quidem vi, seu carceribus, tormentis, et etiam morte, quotiescumque poterant : ubique tamen et semper mille probra et contumelias in ipsos calumniosè evomentes. Ita Dei omnipotentis vindictam in se provocare non cessabant; et manum Dei punientis supra se statim sentiebant. Anno trigesimo nono æræ christianæ Alexandriæ et Seleuciæ horrendâ crudelitate à gentilibus iudæi oppressi sunt. Ad imperatorem Caligulam magnâ cum pompâ legationem mittebant, contra has populares persecutiones immanissimas eius patrocinium implorantes. Frustrà tamen; nam is Imperator ut Deus à populo haberi et coli contendebat : unde ipsa iudæorum religio, quæ à tam turpi idololatriâ eos arcebat, ultimæ ipsorum ruinæ occasio fuit *(ib. n.* 4 *ad* 8 *)*.

§ IV. Iubet Caligula in Ierosolymitano templo ipsius statuam colendam collocari. Ab eius ore id audiens rex Agrippa horrore stupefactus in terram cecidit : et tanta Regis consternatio non compassionem sed iracundiam Caligulæ excitat. Hinc iudæorum legati, quorum caput erat Philo, dum ab Imperatore audiri postulant, mille iniuriis afficiuntur. Moritur Caligula : ita infelici iudæorum populo paulisper respirare permittitur : quamquam tunc etiam diversis in locis contra iudæos plebs ipsa commovebatur *(ib. n.* 5 *ad* 14 *)*.

§ V. Interea impostoribus et grassatoribus plena erat tota Iudæa, et plura portenta rarissima Ierosolymis apparebant; quorum præsentiâ, ac præcipuè stupendis Iesu Anani clamoribus, illius urbis incolæ terrore replebau-

tur. Tandem ultimum Iudææ bellum anno vulgaris æræ sexagesimo sexto incipiebat. Iudæi iam consilii omnis expertes in Romanos insurgunt : romanam cohortem Ierosolymis vincunt, militesque omnes quamquam in deditionem receptos immaniter iugulant. Per Iudææ provincias simili furore agunt in eos, quos viribus superant : eâdemque barbarie vice versâ passim trucidantur. Cestius totius Syriæ romanus præses, cùm civitatem Ierusalem capere posset, inopportunè retrograditur, et vincitur : tunc iudæi plurimi ab urbe recesserunt, et christiani Pellam profecti sunt (*ib. n.* 13 *ad* 23).

§ VI. Iudaici belli supremus dux Romæ Vespasianus electus est, qui Galilæam occupabat, dum per totam Iudæam, ac præcipuè intra Ierusalem, iudæi ipsi ferarum more se mutuò crudelissimè necabant. Post pascha anni septuagesimi, dum maxima erat in eâ iudæorum multitudo, copiis à Tito romani exercitûs duce urbs cincta est ; et tandem horrendâ in duas aut tres factiones divisione, et inauditâ fame intùs opprimebatur. Qui verò cives infelicem civitatem fugere poterant, aut cruci figebantur à romanis, aut à barbaris militibus romanorum auxiliaribus eviscerabantur. Neque mortuorum multitudo numerari, neque calamitatum acerbitas describi in civitate poterat : et tantis malis desperatorum hominum flagitiosus ille grex in urbe congregatus cedere nesciebat (*ib. n.* 24 *ad* 34).

§ VII. Romani templum aggrediuntur : et quamquam Titus, illud conservari desiderans, ubi erumpebat flamma, protinùs et ipse ad extinguendum ignem accedebat, incassùm laboravit, et templum omninò combustum est. Totius civitatis Ierusalem ruina completur, et Vespasianus ac Titus triumphum de Iudæâ celebrant. Sub imperatore Traiano multa etiam iudæi passi sunt. Iterum postea sub Adriano, cùm grassator quidam in romanos rebellabat, et nomen *Barcochebas* seu filii stellæ sibi assumens, et fanaticorum plurium iudæorum ducem se constituens, à totâ Iudæâ romanos expellere aggrediebatur : qua seditione vigente mille ferè illius provinciæ

oppida cum incolis omnibus, qui iudæi erant, exterminata sunt *(ib. n. 35 ad 39)*.

§ VIII. Quòd si tantam iudaicæ gentis calamitatem, cum iis quas quondam passa fuerat conferamus, in omnibus sanè specialem providentiam, qua Deus suum populum gubernabat, facilè deprehendemus. Inter antiquas tamen et hanc postremam cæteris omnibus longè duriorem ac diuturniorem illud notabile discrimen intercedit, quòd illæ in pœnam idololatriæ à Domino infligebantur, ultimam verò cladem ab alio populi iudaici crimine ab idololatriâ longè diverso, et quidem multò graviori, repetendam esse, ipsorum eventuum ordo demonstrat. Tantum enim abest ut tempore Caligulæ, Vespasiani ac Titi idolum aliquod iudaica gens coluerit, quo Divinam vindictam in se provocaret, ut potiùs nunquam antea legem ac cæremonias tantâ fidelitate servarit : imò verò tot laborum causa ipsa religiosa constantia fuerit, qua idolorum cultum detestabatur, et Caligulæ statuas exhorrebat. Iam verò civitatis ac templi sub Vespasiano ac Tito ruinam à Divinâ iustitiâ in punitionem gentis iudaicæ ordinatam fuisse, non modò facta ipsa testantur, sed ex iteratis præcedentibus prophetiis apertè colligitur. Eam Iesus perspicuè prædixerat, discipulosque etiam monuerat, quo tempore ab urbe ipsis recedendum foret. Antiqui quoque iudæorum prophetæ longè antè prænuntiaverant, à Deo tandem populum derelinquendum esse, sacrificia abolenda, ac iudæos inter cæteras nationes dispersos permansuros non ad septuaginta annos, sed quasi perpetuò, seu per plura sæcula, ut modò experimur *(ib. n. 40 ad 55)*.

§ IX. Quemadmodum verò in iudæorum adeò constanti dispersione et afflictione pœna seu punitio à Divinâ iustitiâ inflicta facilè cognoscitur; ita etiam in ipsius populi conservatione ad nostra usque tempora, seu in statu quo ipsum hodie conspicimus, post tot sæcula, et inter tot adversa permanentem, Divina providentia ipsum conservans speciatim elucet. Subsistit adhuc populus iudaicus : et ut cæcus est, et obstinatus subsistit. Subsistit tamen quoniam Ecclesiæ christianæ iam nunc multis in-

servit; ac præcipuè scripturas veteris Testamenti conservans, eorumque fidem authenticam comprobans, atque dispersione suâ et laboribus quos patitur demonstrans, quàm accuratè civitatis, templi, et populi ruinam, et futurum statum Iesus prænuntiaverit. Postea verò ipsius gloriam maximè illustraturus est, quando, ut antiqui prophetæ præsignificarunt et apostolus Paulus explicuit, in bonam frugem convertendus est, et Ecclesiam ingressurus. Itaque assentiamus oportet iudaici populi gesta omnia à Divinâ providentiâ dirigi ad maiorem Ecclesiæ gloriam; quæ ipso etiam odio, quo iudæi eam insectantur, feliciter promovetur *(ib. n. 54 ad 66)*.



CAPUT X.

Ecclesia de sævis tyrannis patientiâ triumphat.



Persecutiones Ecclesiæ in bonum ipsius consulens permittit Deus 1 : *eas iniustè tyranni suscitant, ut Ecclesiam destruant* 2. *Acta martyrum* 3. *Nero. Domitianus. Ad Traianum scribit Plinius* 4. *Ignatii epistolæ, martyrium, reliquiæ* 5. *Adrianus. Sanctæ Symphorosa et Felicitas* 6. *Antonini Pii celebre rescriptum* 7. *Marcus Aurelius erga christianos minimè benignus* 8. *Epistola ecclesiæ Smyrnensis, et S. Polycarpus* 9. *S. Iustinus et socii* 10. *Martyres Lugdunenses et Viennenses* 11. *S. Apollonius occisus Senatûs iussu* 12. *Populus gentilis in christianos sævissimus. Severus. Scyllitani* 13. *Perpetua et socii. Castus et Emilius* 14. *Leonides et discipuli. Potamiæna* 15. *Rutilius martyr. Alexander Severus* 16. *Maximini persecutio* 17. *Alexandriæ popularis commotio contra christianos* 18. *Causæ persecutionis Decii* 19, *sævities* 20. *Martyres Romæ et Alexandriæ* 21 : *In Pa-*

læstinâ, Antiochiâ, Ponto 22, Carthagine et alibi 23. Pionius et Acacius 24. Valeriani persecutio 25 : valde sævit. S. Cyprianus : plurimi martyres in Africa 26, in Hispania et alibi 27. Ab initio imperii Diocletiani plures martyres 28. Tempore celebrioris persecutionis edicta 29 : initium in ipsa Nicomedia 30 : clades in Ægypto 31, ubi Didymus et Theodora 32 : in Africa 33 : in Hispaniâ 34 : in Galliis et Italiâ 35 : in Rhætiâ et Pannoniâ 36 : in Macedoniâ, Thraciâ, Ciliciâ 37 : in Cappadociâ et Ponto 38 : in Phrigiâ et aliis regionibus 39 : in Palæstinâ 40 : altera edicta anno sexto 41 : ibi ad octo annos persecutio deducta est 42. Celebres martyres tempore ignoto 43. In Actis martyrum doctrina et exempla 44. Ex his evincitur Ecclesiam esse opus Dei 45 : Persecutorum obitus Omnipotentis consilium demonstrant 46 : apertè innotescit in propagatione Ecclesiæ primâ ætate 47 : clariùs miracula vera, fortitudoque martyrum patefaciunt 48.

§ I. Jesu-Christi discipulos in hac mortali vitâ cruentos labores immanesque persecutiones frequentissimè pati, certè non est cur miremur. Ita enim futurum esse, tam veteris quàm novi Testamenti prophetiis prænuntiatum fuisse novimus. Et quid mirum Ecclesiæ membra doloris et afflictionis igne purgari et probari, cùm Dominus ipse, ut suam Ecclesiam in terrâ fundaret, acerbissima tormenta turpesque calumnias sustinere voluerit? Præterea dum insectantium Ecclesiam furore fideles agitantur, ab eorum cordibus, velut paleæ à tritico in ventilabro, terrenarum rerum amor excutitur : unde æterna et cœlestia bona anhelant. Fides etiam, qua Ecclesiam ut Dei opus veneramur, seu à Deo ipso erectam et conservatam credimus, fructuosè nutritur, et altas radices agit; dum consideramus Ecclesiam per totum orbem diffusam fuisse iis ipsis tercentis annis, quibus ingens virorum sapientiâ humanâ, divitiis ac imperio potentum turba in eius ruinam conspirans, cruentissimum bellum contra ipsam constanter gerebat (*Lib.* IV. *n.* 67 *ad* 70).

§ II. Agnoscamus ergo sanctissima esse consilia Dei, in permittendis Ecclesiæ persecutionibus, quamquam iniustissimæ forent causæ quibus ad eas suscitandas homines passim movebantur. Duæ fuere præcipuæ, et ex quibus cæteræ suâ sponte nascebantur : nempè iudæorum in christianos odia et dedecoræ calumniæ, atque gentilium erga falsa numina et simulacra turpis superstitio. Romani quamvis aliarum nationum Deos facilè adorarent, suos tamen contemni sustinere non poterant; quos cùm christiani adorare nollent, et Deos esse negarent, ecce sufficientissima causa, quòd romanorum in rebus sacris tolerantiam ad christianos extendi non potuisse pro certò habeamus *(ib. 71 ad 73)*.

§ III. Sunt etiam pleraque antiquitatis monumenta præclarissima, quibus christianos solius religionis causâ morti addictos fuisse, apertissimè constat. Iudiciorum huiuscemodi fideles relationes, quas vocare solemus *Acta Martyrum*, aut ex ipsis actis publicis transcriptas, aut à quibusdam fidelibus coram stantibus dum martyres interrogarentur et torquerentur notis consignatas, aut ab ipsis martyribus scriptas in carcere, aut plurium testium accuratâ declaratione formatas, christiani omnes, ac præcipuè Ecclesiæ antistites summo studio sibi comparabant, et in privatis domibus et publicè in Ecclesiis magno fructu legere solebant. Ex iis pretiosis documentis non pauca supersunt, ex quibus notitiam aliquam celebriorum decem prioris *epochæ* persecutionum sumere aggredimur *(ib. 74 ad 76)*.

§ IV. Nero imperatorum primus qui christianos persecuti sunt, quamplurimos Romæ pretextu incendii urbis quæsitissimis tormentis affecit : eosque per omnes imperii provincias exagitari iussit. Domitiani tempore martyrium passus est Flavius Clemens consul cum totâ ipsius domo, et aliis pluribus. Imperator iste eos omnes undique conquiri, et ad se trahi voluit, quos Iesu-Christi cognatos esse constaret : eos verò postquam audivit et eorum inopiam observavit, contemnens, liberos dimisit. De christianis ad Traianum referebat Plinius iunior Bithyniæ præses; ex cuius percelebri epistolâ, et ex rescripto

Imperatoris magnum esse tum christianorum, sed et martyrum numerum, aliaque plura notatu digna attentus lector facilè colliget. Quamquam verò ingens procul dubio fuerit martyrum qui sub Traiano obiere numerus, paucorum nomina constant. Duo tamen, nempè Simeon et Ignatius, multis æquivalent. Simeon Ierosolymitanus episcopus, venerabilis centum et viginti annorum senex, ob fidem Christi anno centesimo septimo capite damnatus est (*ib. n.* 77 *ad* 89).

§ V. Eodem anno S. Ignatius episcopus Antiochenus, qui et *theophorus,* seu ferens Deum, appellari solebat, cùm Traianus ad bellum Parthorum per Antiochiam transiret coram Imperatore se sistit, à quo de fide interrogatus, et Christum verum Deum Filiumque Dei unigenitum constanter confessus, ab Imperatore Romam duci iubetur à belluis devorandus. Dum Ignatius hoc iter ageret, quamcumque urbem aut vicum pertransiret, fideles omnes convocans, eos in fide erudiebat, et confirmabat. Smyrnæ mirandam epistolam ad romanos scripsit, in qua martyrii desiderium et ardens Ecclesiæ amor maximè elucent. Vix Romam pervenit, subitò ad bestias proiectus fuit, et sicut priùs optaverat promptissimè discerptus et devoratus est. Sacra eius ossa, seu duriores sui corporis partes, nempe sanctæ reliquiæ, quæ remanserant, Antiochiam delatæ sunt, ut discipuli ipsius Sancti testantur in relatione seu Actis martyrii ipsius: ubi addunt eas reliquias ut inæstimabilem thesaurum in ecclesiâ Antiochenâ custodiri (*ib. n.* 90 *ad* 100).

§ VI. Quæ à provinciarum præsidibus persecutio movebatur, paulò post sedata est: exacerbata verò, quæ ex populorum tumultibus erumpebat. Adrianus imperator hos populorum motus contra christianos cohibere suo celebri rescripto ad Minucium Fundanum conabatur; et nihilominùs sub eius imperio fideles plurimi martyrium passi sunt: imò ipsius decreto S. Symphorosa, septem eius filii, et alii cognati capitis sententiâ damnabantur. Sancta Felicitas cum septem quoque filiis martyrium passa est sub Antonino Pio, quo tempore alii plures martyrii coronam consecuti sunt (*ib. n.* 101 *ad* 106).

§ VII. Celebre rescriptum hic Imperator ad Commune Asiæ misit, in quo testem minimè suspectum habemus, quòd tunc frequentissimum foret christianos morti addici, eò solùm quòd Christum adorarent: ipsos verò mortem hac de causâ etsi cruentissimam, non modò non pertimescere, sed desiderare, et sibi generatim maximæ gloriæ ducere, pati et mori pro Deo suo. Quòd si quis hoc rescriptum cum epistolâ Plinii ad Traianum, huius rescripto, et alio Adriani ad Minucium Fundanum conferat, deprehendet Plinium et Traianum, quamvis christianos perquirere prohiberent, delatos tamen duas ob causas ad supplicium ducendos putasse: nempè si Deos adorare nollent, vel si christianos se esse et perseverare velle faterentur, et Christo maledicere recusarent. Adrianus iubebat, ne quis christianorum indictâ causâ puniretur: accusatos verò pro gravitate delicti puniendos, si probatum fuerit quidquam contra leges agere. At verò Antoninus Pius christianos in ius vocatos, eò quòd christiani essent, seu quòd Christum ut Deum adorarent et colerent, absolvendos declarabat: et solùm puniri posse, si contra Romanum imperium aliquid moliri invenirentur. Animo igitur Antonini Pii, adoratio Christi ut Dei cum deorum patriæ cultu optimè coniungi poterat. Quoniam verò apud romanos sacrificia pro salute Imperatoris, aut pro victoriis romanorum exercituum, et alia sæpè Deorum cultum spectantia, iubebantur, quibus interesse nolle, ipsius imperii bonum nolle romanis videbatur; inde est quòd Antonini Pii edictum, quamquam christianis multùm faveret, persecutioni tamen locum relinquebat (*ib. n.* 107 *et* 108).

§ VIII. Profectò immanissima fuit sub Marco Aurelio imperatore, quem à philosophiâ benignitatem erga christianos induisse, recentes aliqui philosophi coniicere amant. Contrà verò clamat historiæ fides. Sive enim quòd philosopho huic Imperatori, religiones omnes aut inutiles aut indifferentes æstimanti, nimis exosa esset christianorum constantia, qua suam necessariam et unicam, cæteras omnes falsas et noxias esse propugnabant: sive quòd eius imperiali dignitati intolerabile videretur,

quod præceptis aut legibus sacrificandi diis patriis christiani non obedirent: sive quòd stoicorum philosophorum cum sacerdotibus gentilibus conspirationi in christianos stoicus ipse Imperator indulgeret: sive alia illi in causâ fuerint, cur in christianos sæviret; in eos tamen Marcum Aurelium immaniter sæviisse nimis certò constat, tum ex sancti Iustini, Theophili Antiocheni, Athenagoræ et Melitonis apologiis, tum ex factis ipsis seu ex plurimis martyrum illius temporis documentis, quæ adhuc supersunt. Aliqua indicemus (*ib. n.* 109).

§ IX. Extat adhuc tota Smyrnensis ecclesiæ *epistola* ad omnes ecclesias catholicas, in qua precibus ecclesiæ quæ erat apud Philomelium indulgens, quæ in martyrio sancti Polycarpi contigerant fusiùs exponit. In hoc autem summi pretii monumento legimus magnam fuisse tunc martyrum multitudinem ante Polycarpum, cuius martyrio persecutio illa finita est. Aliqui flagris ita conscissi sunt, ut tota corporis compago ad intimas usque venas inspiceretur: alii in ignem proiecti: alii ad bestias damnati, et in carcere diutissimè detenti, diversisque suppliciis excruciati, ut ad Christi fidem negandam adducerentur. Omnes tamen iuvante Christi gratiâ constantes permanserunt, uno excepto, qui se sponte iudici obtulerat, quod Smyrnensis ecclesia non probat. Demum Polycarpus perquisitus est, captus, et ad amphitheatrum ductus, ubi in mediis flammis moriens se se in holocaustum ferventissimâ oratione Deo offerebat. Polycarpus autem Ioannis Apostoli discipulus fuit, et multa senex referebat, quæ à Ioanne et aliis audierat, qui cum Iesu-Christo collocuti fuerant. Smyrnensi ecclesiæ à sancto Ioanne præfectus, eam sexaginta, et ampliùs, annis felicissimè gubernaverat (*ib. n.* 110 *ad* 117).

§ X. Anno centesimo sexagesimo sexto, sancti Polycarpi martyrium fuit: et eodem circiter tempore Ptolemæus, Lucius, et alius christianus qui cum eis, dum ad supplicium ducerentur, iungebatur, Romæ occisi sunt: ex quorum martyrio, quod sanctus Iustinus apologiâ secundâ ad Marcum Aurelium refert, perspicuum est, christianos ob solam confessionem quòd christiani essent,

de nullo alio interrogati, etiam tunc summâ levitate capite damnari. Iustinus autem ipse, et aliquot socii, altero vel duobus labentibus annis Romæ capti fuere; fidem constanter confessi, et hac præfecti sententiâ damnati: « Qui diis sacrificare et Imperatoris edicto parere noluerunt, flagellis cæsi, capite pœnas luant, quemadmodum leges præcipiunt ». Itaque securi percussi in Salvatoris confessione martyrium consummarunt (*ib.* 118 *ad* 122).

§ XI. Multò tamen maiorem fuisse martyrum multitudinem circa annum centesimum septuagesimum septimum, ex iis colligimus quæ de martyribus ecclesiarum Lugdunensis et Viennensis, in Galliâ, enarrat *epistola* harum ecclesiarum ad ecclesias Asiæ et Phrygiæ. Eam ferè totam in historiâ suâ transcribit Eusebius, monens, quòd innumerabiles prope martyres per universum orbem tunc temporis fuisse, ex iis quæ in unâ ac solâ provinciâ contigerunt, coniicere est. In christianos enim tumultuariè irruens gentilium plebs, quotquot inveniebat diversis cruciatibus et calumniis oppressit, et ingentem numerum, quos inter omnes erant utriusque ecclesiæ viri præcipui, in carceres vel ergastula trusit. Alii plures etiam postea præsidis iussu perquisiti et incarcerati sunt. In carcere sævissimis tormentis adeò cruciabantur, ut in ipso plurimi morerentur: quorum notissimus fuit beatissimus Pothinus Lugdunensis episcopus, vir nonagenario maior, qui post datum fidei suæ in tribunali testimonium, à vilissimâ plebe raptatus, innumeris plagis affectus, calcibus et pugnis contumeliosè appetitus, vix adhuc spirans in carcerem proiectus est, ubi post biduum animam exhalavit. Nonnulli qui persecutionis initio fidem abnegarunt, et nihilominùs in carcere detinebantur, dum eos postea sibi se sistere iudex præcepit ut absolveret, fidem constanter confessi sunt, et in carcerem iterum missi, sævissimè cruciati. Tandem magnus christianorum numerus, aut àd bestias in amphitheatro proiecti, aut in ferreâ cathedrâ igne combusti, aut capite amputato, aut aliis mortis generibus occisi sunt (*ib. n.* 123 *ad* 130).

§ XII. Post tantam christianorum stragem, qua in totâ provinciâ Lugdunensi eos exterminatos gentiles sibi persuadebant, in eâdem inventi sunt, et morti addicti duo clarissimi generis iuvenes Alexander et Epipodius, qui in domo pauperis viduæ iam diu latebant; et præter alios plurimos etiam sanctus Symphorianus. Postea verò cùm romanum imperium iam obtineret Commodus, sub quo, Dei gratiâ, cunctæ orbis terrarum ecclesiæ pace frui videbantur, Apollonius, qui in humanioribus litteris et in philosophiâ eximius habebatur, decreto Senatûs martyr obibat. Erat etenim Apollonius aut ex senatorio ordine, aut ipse senator : quem cùm eius servus ut christianum accusasset, servus quidem iuxta Imperatoris edictum contra eos qui talia detulissent, statim occiditur : Apollonius verò suæ religionis rationem Senatui reddere iubetur : quod elegantissimâ oratione pro fide christianâ coram omnibus pronuntiatâ exequitur ; unde capitis, Senatûs sententiâ, damnatur (*ib. n.* 131 *ad* 134).

§ XIII. Imperator Septimius Severus populi in christianos commotiones primis sui imperii annis compescebat. Populus autem in dies magis furere contra christianos ob duplicem præcipuè causam videbatur. Primò, quòd eos, utpote deorum inimicos, calamitatum omnium reipublicæ reos intelligeret. Secundò, quòd Imperatoris et ipsius reipublicæ inimicos sibi persuaderet, quoniam nec divinos honores Imperatori tribuere vellent, nec festis et oblectamentis publicis interesse, quibus crasissima superstitio, et morum corruptio præerat. Postea verò cùm anno ducentesimo secundo ab Oriente ovans rediret Imperator, quemlibet fieri christianum aut iudæum severissimè prohibuit : ex quo, vel forsan etiam aliquo alio Severi edicto, tam atrox in christianos ubique bellum motum est, ut Antichristi tempora pervenisse plures opinarentur. Sed neque ante hoc edictum pauci, Severo imperante, martyres fuerant, aut ex popularibus motibus, aut ex quorumdam præfectorum seu præsidum singulari in christianos odio. Sic Irenæus Lugdunensis episcopus cum aliis pluribus in Galliâ pas-

sus est, circa annum ducentesimum : quo currente celeberrimâ Carthagine duodecim Scyllitanorum, seu ex urbe Scyllitâ, christianorum præclarissima fuit fidei generosa confessio, cuius merito capite truncati fuere (*ib. n.* 135 *ad* 137).

§ XIV. Post Severi edictum in ipsa Carthagine stupendum martyrium passi sunt perillustris sancta Perpetua, quatuor catechumeni, et alii socii, cuius Acta ferè tota ipsa beata virgo scribebat in carcere : et in iis cœlestium visionum, aliorumque miraculorum, quibus martyres inter tormenta solari, et instruere, eorumque firmare fidem, et spem erigere solebat Deus, multa exempla legimus. Plures alii tunc fuere Carthaginensis ecclesiæ martyres : inter quos memorandi sunt Castus et Emilius, qui, ut ait sanctus Cyprianus, in primâ congressione devicti fuere, seu ignibus primò cesserunt. Eos tamen Dominus in secundo prælio victores reddidit, et ignibus fortiores, ac per ignem passionis martyrium cum gloriâ consummarunt (*ib. n.* 138 *ad* 148).

§ XV. Tunc etiam Leonides, famosi Origenis sanctus pater, Alexandriæ captus et in carcerem missus est; constantique in fide christianâ caput illi abscinditur, eiusque bona seu facultates omnes in fiscum Principis inferuntur. Ex scholâ Leonidis plures martyres in eâdem persecutione numerantur, ut sanctus Basilides, qui occasione martyrii sanctæ Potamiænæ ad fidem conversus est. Potamiæna christiana virgo formosissima erat, et conditione servili : unde ob servandæ virginitatis propositum tormenta multa à domino suo perpessa, tandem iudici præsentatur, et in fidei christianæ confessione ac virginitatis amore perseverans, in lebetem pice ferventi plenum sensim demissa, horribilem mortem patientissimè sustinet. Eam verò ad supplicium Basilides, qui iudicis minister erat, abduxit; et in viâ vulgus, qui eam vexare, et obscenis verbis illudere ei conabatur, pro viribus propellebat. Unde Potamiæna eum bono animo esse dixit, et æternam eius salutem à Domino se impetraturam promisit. Post martyrium verò Potamiæna Basilidi noctu apparuit, et capiti eius coronam imposuit : atque Basilides

ad christianos statim accedens baptizatus est, cui non multò post fidem confesso caput amputatum est (*ib. n.* 149 *ad* 151).

§ XVI. Severi tempore passus quoque videtur sanctissimus martyr Rutilius, qui, ut ex Tertulliano novimus, de loco in locum pluries persecutionem fugerat, et nummis etiam quandoque periculum redemerat : postea verò ex inopinato apprehensus, et præsidi oblatus, passionem, quam vitarat, misericordiæ Dei retulit, et fidem confessus, tormentis dissipatus, et flammis iniectus est. Deinde Alexandro Severo imperante longâ et felici pace ab anno ducentesimo vigesimo secundo ad ducentesimum trigesimum quintum Ecclesia fruebatur ; cùm Imperator iste christianos suam servare religionem pateretur, imò Christum, idololatrarum tamen more cum diis falsis coniunctim adoraret. Nihilominùs, etiam mediâ pace, quod tribus prioribus sæculis semper contigit, quibusdam in locis aut ex populi motibus, aut ex aliquorum præsidum odio, christiani plures, vel bonorum amissione, vel carcere, tormentis, vel item morte facilè vexabantur (*ib. n.* 152 *et* 153).

§ XVII. Occiso Alexandro postquam tredecim annis regnaverat, Maximinus eius succesor, gravi odio succensus adversùs Alexandri familiam, ex qua plerique erant christiani, horum plurimos pretextu conspirationis interfici iussit, et novam sævissimamque persecutionem in totam Ecclesiam excitavit. Quæ persecutio, terræmotuum causâ quæ tunc temporis acciderunt, sevior facta est, ob gentilium, etiam plurium qui aliàs sensati videbantur, præiudicium, quo publicas calamitates à christianis provenire arbitrabantur. Maximinus solos evangelicæ prædicationis auctores, seu Ecclesiæ ministros, qui aliorum instructioni vacabant, interfici iussit. In quibusdam tamen locis, ut in Cappadociâ, fideles omnes perquisitos, et diversimodè vexatos certum est (*ib.* 154 *et* 155).

§ XVIII. Maximino post triennium vitâ functo, cessavit persecutio ; et nondum pace finitâ, nempè anno ducentesimo quadragesimo octavo, ut refert apud Eusebium sanctus Dionysius tunc Alexandriæ episcopus, ab

infausto quodam vate Alexandrinorum gentilium turbæ in christianos commotæ, in omnes, plurium cædibus, sæviebant. Senem quemdam, Metram nomine, quoniam verba impia proferre noluit, fustibus verberarunt, acutis arundinibus vultum eius oculosque punxerunt, et in suburbium deductum lapidibus obruerunt. Mulierem, Quintam nomine, quia ad templum perducta idolum adorare noluit, per vicos rapientes, et flagris verberantes, ad suburbium itidem adducunt, et lapidibus interficiunt. Postea uno impetu in domos omnes christianorum irruunt, spoliant, eos qui fugere nequeunt sævè excruciant, quæ pretiosa sunt secum afferunt, et cætera per vias concremant, ut captæ ab hostibus imaginem urbs exhibeat. Tunc Apollonia, excussis eius dentibus, igne cremata est. Serapion acerbissimis tormentis excruciatus, et ex cœnaculo domus suæ præceps datus. Christiani verò omnes ab urbe fugere coacti sunt, quoniam qui verba impia, quibus idololatra probaretur, proferre abnuisset, flammis ultricibus absumendum clamabatur (*ib. n.* 156 *et* 157).

§ XIX. Vix tam immanis furor populi Alexandrini in christianos cessaverat, cùm imperatori Philippo, quem erga christianos benignissimum sanctus Dionysius appellat, Decius successit, et mox edictum terribile ad provinciarum præsides direxit, in quo christianos omnes ad suam religionem abiurandam et antiquum deorum cultum amplectendum severissimis suppliciis cogere iubebantur. Ut tam immanem persecutionem moveret Decius, eum præcipuè impulit odium in Philippum qui christianos protexerat, decidentis deorum cultûs per totum imperium notitia, atque zelus specie tenus eos coercendi abusus, qui ob culpam decessoris crebruisse dicebantur. Sanctus verò Cyprianus, cur tam diram fidelium vexationem Deus permitteret, novam adinvenit causam in solutione morum, quæ longæ pacis tempore apud christianos invaluerat (*ib. n.* 158).

§ XX. Mox ut Decii edictum promulgatum est, magistratus urbium non nisi in perquirendis et puniendis christianis elaborare videbantur; et horum sævissima

supplicia unica erant ad populi oblectamentum spectacula. Fidelibus tamen solatium gloriosæ mortis magno conatu adimebatur: sanabantur priora vulnera, ut novis tormentis esset locus: et omnis præsidibus curæ erat summum doloris cum vitæ conservatione coniungere, seu vitæ christianorum parcere, ut magis magisque torqueri possent, atque horrenda et exquisita supplicia invenire, quibus tandem fessi fidem abnegarent. Plures sanè aut ante tormenta, aut eorum initio, aut etiam cùm aliquamdiu fortiter sustinuissent, abiecerunt se, et miserè lapsi sunt. Sed ingens fuit eorum numerus, qui longam sævissimorum et inauditorum tormentorum seriem alacri et prompto animo, atque mirabili constantiâ sustinuerunt. Aliquos memoremus *(ib. n.* 159 *et* 160 *)*.

§ XXI. Romæ sanctus Fabianus martyrium pertulit, ibidemque plures alii, post longa ac diversa supplicia, aut martyrium consummabant, aut in carcere ad mortem usque Decii detenti excruciabantur. Alexandriæ sanctus Dionysius dum ad iudicem deferebatur, à christianis invitus capitur, et latere cogitur. Interea ex pluribus, qui diversis tormentis probabantur, martyrium aliqui consummarunt, vel igne consumpti, vel securi percussi, vel vivæ calcis incendio ipsi colliquefacti. Sanctus Dionysius, qui horum martyria singulatim refert, complures alios per oppida et vicos à gentilibus discerptos esse ait: longè verò plures in montibus ac per solitudinem oberrantes, fame et siti, frigore ac morbis, et latronum aut bestiarum occursu oppressos interiisse: multos quoque à barbaris saracenis captos in servitutem redactos fuisse *(ib.* 161 *ad* 165 *)*.

§ XXII. Antiochiæ episcopus sanctus Babilas cum tribus iuvenibus, quos erudiebat, incarceratus fuit, et post confessionem in vinculis moriebatur. Alexander Ierosolymorum episcopus, vir decorâ senectute conspicuus, qui iam in persecutione Severi Christum confessus fuerat, post hanc secundam confessionem in carcerem etiam coniectus est; et in custodiâ animam exhalavit. In Cæsareâ Palæstinæ multa sustinuit Origenes, vincula scilicet, corporis cruciatus, ferrei torquis ignominiam, pedes in

nervo diu summè distentos, et alia, ad mortem usque Decii, ut videtur. In Ponto christiani, sancto Gregorio Thaumaturgo suadente, omnes fugerunt: plures tamen capiebantur, et sævissimè torquebantur: unde tam multi fuere martyres, ut, pace restitutâ, Gregorius totam regionem visitans, in singulis oppidis martyrum, qui tunc eo loci passi fuerant, festa ordinaverit *(ib.* 166 *ad* 168*)*.

§ XXIII. Carthagine persecutionis initio exilio mulctabantur christiani, vel incarcerabantur. Posteà verò etiam verberibus, equuleo, igne, cæterisque suppliciis afficiebantur: unde maximus fuit martyrum numerus, eorum præcipuè, qui in carcere aut fame, aut etiam calore et fœtore consumpti vitam finierunt: nam arctis in ergastulis plurimi trudebantur, ut sensim abiicerent se, et tandem idolis sacrificarent. Lampsaci inter alios martyres celebris fuit sancta Dionysia virgo vix sextum decimum annum agens, cuius castitatem contra iniuriam et vim duorum iuvenum, quibus à iudice tradita virgo fuerat, miraculo Dominus defendebat, et postea capite truncabatur. In aliis quoque Asiæ regionibus, in Hispaniâ et in Galliâ plures tunc fuisse martyres, apertè constat: sævissimam verò in Hispaniâ fuisse hanc persecutionem, ex epistolâ sancti Cypriani, in qua *de lapsu Basilidis et Martialis* sermo est, evidenter colligitur *(ib.* 169 *ad* 173*)*.

§ XXIV. Omnium documentorum de rebus gestis martyrum, qui in persecutione Decii fidem confitebantur, lectu dignissimum est, quod Acta martyrii sancti Pionii et confessionis sancti Acacii continet. Pionius post dira tormenta in mediis flammis alacri animo Deum laudans, et orans, mortuus est. Acacius ab Imperatore è carcere solutus. In verbis autem utriusque, et in totâ Actorum serie plures veritates fidei nostræ testatas invenimus, et quantum à ratione ipsâ abhorreat idola venerari, et in christianos sævire, solidè ac prudenter demonstratur. Cadente anno ducentesimo quinquagesimo primo, Decius moritur: et pace Ecclesiæ restitutâ, innumeri fidei confessores ex carceribus ubique egrediebantur. Anno verò sequenti, cùm dira pestis diversas provincias

depopularet, Gallus imperator Apollini aliisque diis sacrificia offerri severè imperabat; et hinc sævissimâ etsi brevi procellâ in christianos excitatâ, fidem confitebantur Romæ plurimi martyres, ut sanctus Cornelius cum sociis, et celebris sanctus Hippolytus; ac etiam Carthagine fideles multa patiebantur *(ib. 174 ad 184)*.

§ XXV. Fuit tamen immanior Valeriani persecutio: qui cùm initio imperii christianis favisset, anno ducentesimo quinquagesimo septimo nova edicta contra Ecclesiam promulgavit. Statim Dionysius Alexandriæ episcopus cum quodam presbytero tribusque diaconis præfecto Ægypti oblatus, deos imperii adorare iubetur. Dionysius verò respondet: *Non omnes ab omnibus coluntur dii..... Nos quidem unum Deum omnium rerum opificem, qui Valeriano et Gallieno sacratissimis augustis imperium tradidit, colimus et adoramus. Huic continuas preces offerimus pro imperio illorum, ut stabile et inconcussum permaneat.* Euseb. *Hist. Eccl. l. VII. c.* 11. Instabat præfectus ut præter hunc Deum alios etiam, quos cuncti norunt, adorarent. Respondente verò Dionysio: *Nos nullum alium adoramus*, in exilium missi sunt. Simili modo sanctus Cyprianus exilio mulctatus est. Quamquam verò Valeriani priora edicta solùm ad Ecclesiæ ministros referri videantur, in Africâ tamen plurimos omnis statûs, ætatis ac sexûs christianos carcere detentos, verberatos, et in metallum damnatos iam priori anno, dubitari non debet *(ib. n. 185 ad 188)*.

§ XXVI. Anno verò proximè sequenti epistolam ad Senatum Valerianus ab Oriente mittebat, qua episcopos, presbyteros et diaconos sine morâ interficiendos, et laicos christianos singulari in republicâ dignitate insignitos singularibus quibusdam pœnis mulctandos iubebat. Cuiuscumque autem conditionis et sexûs martyres plurimos invenimus: quamquam ecclesiastici viri maiori vigilantiâ perquisiti et statim morti addicti deprehendantur. Româ nobis præsto sunt sanctus Sixtus romanus Pontifex equuleo tortus, ut videtur, et cruci affixus: atque hispanus noster illius ecclesiæ diaconus sanctus Laurentius, glorioso martyrio celeberrimus. Carthagine sanctus Cyprianus

simul ac diis sacrificare nolle testatus est, hac sententiâ damnatur: *Thascius Cyprianus gladio pereat*: quam cùm iudex legisset, ipse respondit, *Deo gratias*. Post Cyprianum aliquot eius clerici et plures laici in vincula coniecti et tandem morti addicti sunt. Etiam in hac persecutione in calcariâ fornace illi circiter tercenti christiani obibant, qui *massa candida Uticensis* vocari solent. Demum ex actis sanctorum Iacobi, Mariani et sociorum martyrum, certò colligitur ingentem fuisse in Numidiâ et aliis Africæ regionibus in hac Valeriani persecutione martyrum numerum *(ib.* 189 *ad* 201 *)*.

§ XXVII. Inter martyres aliarum regionum singulari memoriâ digni videntur sanctus Cyrillus tenerrimus puer, sanctus Nicephorus laicus humillimus, sanctus Felix presbyter Nolanus, et perillustres hispani Fructuosus Tarraconensis episcopus, et ipsius diaconi Augurius et Eulogius. Horum acta, lectu dignissima, antiquissima omnium hispanorum sunt, quæ authentica esse in dubium venire non potest. In ecclesiis Africæ sancti Augustini tempore ea lecta fuisse ex eius sermonibus constat; et ipsa præ oculis abs dubio habebat Prudentius, cùm hymnum in laudem sancti Fructuosi et sociorum scripsit. Valerianus in servitutem Regis Persiæ redactus est, à quo inauditâ barbarie opprimebatur. Tunc brevi pacis intervallo Ecclesia quiescebat: nihilominùs sanctus Marinus, strenuus miles, quoniam accusatus christianum se esse confessus est, non solùm centurionis munere privatur, sed martyrii coronam adeptus est. Anno ducentesimo septuagesimo quinto contra Ecclesiam edictum aliquod Aurelianus edidit, et bellum excitavit, quod tamen maioris fuit timoris quàm ruinæ *(ib. n.* 202 *ad* 212 *)*.

§ XXVIII. Ante generalem contra Ecclesiam persecutionem, Diocletiani nomine famosissimam, sub hoc Imperatore et sociis ingens fuit in diversis regionibus martyrum numerus. Claudius, Asterius, Neon, Domnina et Theonilla in equuleo suspenduntur, faces ardentes pedibus et toti corpori admoventur, ungulis et testulis latera scinduntur, virgis et nervis verberantur, aliisque immanissimis tormentis excruciantur. Domnina et Theo-

nilla in ipso equuleo, illa inter verbera, hæc carbonibus superimpositis, moriuntur. Tres viri cruci affigi, et eorum corpora avibus laceranda relinqui iubentur. Hæc in Ægeâ Ciliciæ anno ducentesimo octogesimo quinto contigebant, ut aiunt *Acta proconsularia*, in quibus sanctorum gravissima responsa data iudici legi debent. Romæ Genesius mimus cùm in theatro mysteriis christianorum illuderet, Dei virtute repentè mutatus, et Christum altâ voce confessus, tormentis exagitatur, et coronam martyrii consequitur. In Galliis sub Maximiano militabat Thebæa legio ducibus Mauricio, Exuperio et Candido, cuius cùm omnes milites Maximianus christianos esse nosceret, et in fide constantes inveniret, primò decimari legionem, postea milites omnes et duces interfici iubet. Victor autem, alterius legionis veteranus miles, illac tunc casu pertransiens, tantâ militum strage exhorrens, se se christianum quoque confessus est, et occisus. Maximianus id temporis per Gallias aliquoties peragens iter, diversis ecclesiis ingentem martyrum numerum dedit: quos inter Victor alius Massiliensis miles prodigioso martyrio celebris est. In Hispaniâ, Angliâ, Italiâ, et Africâ plures etiam fuisse illis temporibus martyres, dubitari non potest. Plures verò in Tarso Ciliciæ viciniisque regionibus Orientis fuisse, Acta passionis sancti Bonifacii testantur, quæ ad ipsius martyris et sanctæ Aglaæ eius dominæ mirabilem historiam cognoscendam legi digna sunt (*ib.* 213 *ad* 227).

§ XXIX. Tandem in Ecclesiam proclamatum fuit bellum omnium atrocissimum, ex quo maximæ gloriæ ac summæ utilitatis triumphos Ecclesia consecuta est. Diocletianus à Cæsare Galerio incitatus, anno trecentesimo tertio æræ christianæ, et eâ ipsâ die vigesimâ tertiâ februarii, qua gentiles *terminorum* festa, seu *terminalia* celebrabant, bellum in Ecclesiam indicit, quasi religionis christianæ finis seu terminus constituendus esset; et ad decem integros annos diversa edicta maioris vel minoris sævitiei promulgabantur. Eodem die festo terminalium Nicomediensis ecclesia solo æquatur, et statim ecclesias omnes dirui, librosque omnes igne cremari edicto iu-

betur. Iubetur etiam christianos omni honore et dignitate reipublicæ privari, ministros Ecclesiæ in carcerem mitti, christianos quoscumque in omni lite causâ cadere; et ut cætera prætercam, iussum est, in omni urbe, oppido ac vico, ab incolis omnibus sacrificia diis patriis offerri, iudices verò exquisita tormenta excogitare, quibus renuentes cogerent *(ib. n.* 228 *ad* 233 *)*.

§ XXX. Immanium edictorum cruentæ executionis initium, supplicium Nicomediæ fuit cuiusdam christiani, qui edictum è loco ubi fixum erat evulserat, et mors, exilium aliæque pœnæ gravissimæ, quas plures passi sunt christiani ex domo ipsius Diocletiani. Anthimus Nicomediensis episcopus, et eiusdem ecclesiæ presbyteri et diaconi mox diligenter perquisiti sunt, capti, ad tribunal delati, et simul ac se christianos esse fatebantur, absque alio examine multis modis torquebantur, et ad supplicium deducebantur: Anthimus capite truncabatur. Ingens etiam fuit ex fidelibus laicis martyrum multitudo: quotquot enim Dei cultores inventi sunt, vel gladio, vel flammis periere, vel etiam aquis submersi: innumerabiles enim vinctos scaphis impositos in profundum mare carnifices proiecerunt. Hæc Nicomediæ gesta sunt. In provinciis autem ab initio carceres christianis, ac præcipuè clericis replebantur. Cùm verò novo edicto statueretur carceribus inclusos, si diis sacrificarent, liberos abire; si verò renuerent, tormentis gravissimis cruciari, vix iam iniri potest numerus martyrum, qui deinceps in singulis provinciis passi sunt. Hæc generatim Eusebius de provinciis: aliquas percurramus *(ib.* 234 *ad* 237 *)*.

§ XXXI. Horrenda fuit in Ægypto hæc persecutio, et martyrum patientia summè admirabilis. Viri propè innumeri cum uxoribus et liberis pro Servatoris nostri doctrinâ diversa mortis genera sustinuerunt. Post ungulas, verbera, aliosque horrendos cruciatus, alii flammis absumpti, alii in mare demersi, alii capite truncati, nonnulli tormentis ipsis immortui, quidam fame consumpti; alii denique in crucem acti, vel ut solent malefici, vel atrociùs capite deorsum verso, clavis confixi, et vivi eò usque servati quoad in ipsis patibulis fame interi-

issent. Atque hæc non paucis diebus, sed prolixo aliquot annorum curriculo perpetrata sunt : et nunc deni, interdum viceni, nonnunquam ad triginta vel sexaginta, quandoque et centeni, viri simul ac mulieres cum parvulis uno die interficiebantur. Hæc omnia et alia plura Eusebius, qui tunc in Ægypto fuerat, et eos maximè admirabatur, qui opibus ac nobilitate pollentes et ob eloquentiam ac philosophiæ studium magnam sibi apud homines gloriam comparantes, veram fidem in Iesu-Christo omnibus præposuerunt. In quorum exemplum adducit sanctos Philæam et Philoromum, quorum hic perhonorifico munere Alexandriæ fungebatur, Philæas verò *Tmuitarum* episcopus, nobilitate, divitiis, ac philosophiæ famâ illustris erat. Et tamen multimodè tentati ac cruciati, virili ac philosophico animo, seu potiùs religiosâ ac Deo dicatâ mente adversùs omnes iudicis minas et contumelias ambo perstantes, securi percussi sunt *(ib. n.* 238 *ad* 241 *).*

§ XXXII. Celebris etiam est memoria sanctæ Theodoræ virginis, et sancti Didymi. Theodora christiana virgo in lupanar lascivis hominibus tradenda ducitur : Didymus militem se simulans, ubi illa erat primus ingreditur ; eamque statim monet se christianum esse, et eò solùm venisse, ut illa ipsius veste induta, à tanto periculo liberaretur. Mutant vestes, exit illa quasi miles, manet ipse vestitus ut mulier, et non multò post iuvene quodam intrante, pia Didymi fraus aperta est, et ipse captus, et ut christianus capite damnatus. Dum verò ad supplicium defferretur, Theodora occurrit, de palmâ seu coronâ martyrii sibi arreptâ cum Didymo disputans. Ambo tamen ad supplicium deducuntur, et gloriosâ morte triumphant. Demum inter martyres Ægypti nominandus est sanctus Apollonius, cuius in tolerandis iniuriis patientia ad Christum convertit Philemonem gentilem procacem, qui mille contumeliis Sanctum onerare non cessabat, et postea cum ipso fidem constanter confessus, et ad supplicium ductus est : in quo et ministri qui eos deducebant, ab Apollonio in viâ conversi, pro Christo interfecti sunt *(ib. n.* 242 *ad* 246 *).*

§ XXXIII. Non tot martyres ex hac persecutione, quot in Ægypto, in aliis Africæ provinciis, sed neque in Hispaniâ, Galliis et Italiâ inveniemus; ubi non nisi biennium bellum obtinuit. In Africâ sancta Crispina brevibus ac sensu gravissimis responsis fidem Christi confessa, capite truncatur. Etiam Felix Thibaritanus episcopus, quoniam sacros libros tradere noluit. Saturninus presbyter, cùm in privatâ domo sacrum conventum celebraret, cum aliis quadraginta et octo christianis captus est, et in carcerem missus. Omnes dira tormenta passi sunt, et in fide perseverantes, aut in ipso carcere fame consumpti, aut diversis suppliciis interfecti *(ib. n. 249 ad 250)*.

§ XXXIV. Quamquam in Hispaniâ furens gentilium contra christianos odium martyrum monumenta in hac ultimâ persecutione diligentissimè quæsierit, et flammis consumpserit, adhuc plura supersunt, quibus omnes ferè antiqui hispani populi proprios tunc habuisse martyres iure ac meritò gloriantur. Gloriatur Complutum de martyrio sanctorum Iusti et Pastoris insignium puerorum. Gloriantur Emerita et Barcino in suis Eulaliis: quarum etsi nomen idem sit, ætas verò, gesta, præclara verba ad præsides, et cœli pro eis miracula valdè similia, tamen duas nec unam esse dubitari non debet. Ut autem Gerundam, Barcinonem, Abulam, Cordubam, Calagurrim, et alias civitates prætercam, quarum sub Diocletiano martyres memorat Prudentius, vel alii auctores gravissimi; in suis martyribus gloriari potest præ cæteris generosa Cæsaraugusta. In eâ Optatus et eius decem et septem socii diversis cruentissimisque tormentis coronati sunt. In eâ Caius et Eremes post duplicem fidei confessionem martyrii palmam adepti sunt. Encrates etiam, quæ toto corpore ita dirè lacerato ut cor eius pateret, abscisso pectore, iecore partim revulso, et ferè toto sanguine fuso, quasi propriæ mortis superstes, in carcerem reducebatur, ubi spiritum Deo tradebat. Innumeri etiam christiani extra portas urbis à militibus ad id paratis iugulabantur, cùm omnes ab urbe relegatos statim exire Dacianus præses iussisset. Demum cæsaraugus-

tanus diaconus erat celeberrimus martyr Vincentius, qui tot præclaras de tyrannis victorias reportavit, quas extollebat Augustinus, cantabat Prudentius, et *acta* sincera priùs retulerant *(ib. n.* 251 *ad* 261 *)*.

§ XXXV. In Galliis sacra christianorum ædificia evertebantur : fideles tamen ipsi quietam vitam sub Constantio Chloro ducebant. In Italiâ cruenta fuit persecutio. Sanctus Sabinus Asisinatum episcopus, eiusque duo diaconi Exuberantius et Marcellus à præside Venustiano comprehensi sunt. Sabino, quoniam idolum, quod adorare iubebatur, in terram deiecit, ambæ manus subitò amputabantur : diaconi in quæstione ipsâ moriebantur. Cùm verò Sabinus in carcere cæco visum restituisset, et præsidem ipsum ab oculorum morbo liberasset, præses cum totâ ipsius domo Christi militiæ adscribebatur ; et novo adveniente iudice, Venustianus, eiusque uxor et filii capite truncati sunt; Sabinus autem ad mortem usque fustibus cæsus. In cæteris Italiæ provinciis ac in insulis adiacentibus plurimi fuere martyres, Romæ præsertim ac Mediolani, quos inter sanctæ Agnetis memoria speciatim celebrari solet. Sed et memoria sancti Eupli catanensis diaconi celebranda est. Cùm is Evangeliorum librum secum habens captus fuisset, cum in manu tenens præsidi præsentatur : legem esse Domini Dei sui Iesu-Christi Filii Dei vivi apertè testatur : signo crucis in fronte se muniens, se christianum esse, atque Patrem, et Filium, et Spiritum Sanctum, trinitatem sanctissimam, Deum nempè, qui creavit cœlum et terram, et omnia quæ in eis sunt, se tantùm adorare constanter confitetur, et tandem post acerbissima tormenta caput ei amputatum est. De hoc martyrio præclarissima acta conservantur *(ib. n.* 262 *ad* 269 *)*.

§ XXXVI. In Rhætiâ dum insignis sancta Afra delicta iuventutis suæ austerissimâ vitâ expiare conabatur, pœnitentiam glorioso martyrio coronavit. Cùm enim horrenda et ignominiosa supplicia iudex ei comminaretur : *Ignominia mea*, aiebat, *mea tantùm peccata sunt. Torqueatur hoc corpus meum, quo toties peccavi. Faxit Deus, ut veniam et æternam requiem moriens pro fide*

merear. Post varia tormenta, tandem vivens cremata est; peccatorum veniam implorans, seseque in sacrificium offerens *Domino Iesu-Christo, qui Deus est, vivit et regnat cum Patre et Spiritu Sancto in sæcula sæculorum.* Afræ mater et tres famulæ corpus eius inquirentes, in manus persecutorum inciderunt, et fidem constanter confessæ, flammis etiam addictæ sunt. Has omnes sanctus Narcissus ad fidem converterat, et baptizaverat. In Pannoniâ tantùm contra ministros Ecclesiæ bellum principio movebatur. Sanctus Irenæus Sirmiensis episcopus decollatus fuit, et in flumen proiectus. Sanctus Pulio percelebris lector vivicomburio occisus. Sanctus Quirinus Sisciencis episcopus ad collum alligato lapide fluvio demersus. Sanctus verò Serenus, hortulanus et laicus, honestatis zelo meruit ante iudicem præsentari, et hac occasione fidem cum gloriâ confiteri, et capite truncari *(ib. n.* 270 *ad* 275 *).*

§ XXXVII. Inter martyres Macedoniæ singulari memoriâ dignæ sunt tres sanctæ sorores, Agape, Chionia, et Irene, quæ Thesalonicæ, quoniam ex idolo Thytis comedere noluerant, cum aliis quatuor christianis in carcerem proiectæ sunt. Tres sorores statim ad tribunal vocantur; et Agape et Chionia an libros sacros haberent interrogatæ, cùm se in Deum omnipotentem, et Filium eius unigenitum Iesum-Christum Dominum nostrum credere constanter confiterentur, vivicomburio damnatæ sunt. Irene verò tunc in carcerem reducta, novâ deinde quæstione de libris sacris, et ubinam legerentur interrogata, post dira tormenta etiam flammis consumpta moritur. Sicut tres istæ sorores in Thessalonicâ metropoli Macedoniæ, ita in Heracleâ metropoli Thraciæ tres sancti viri ecclesiastici, Philippus episcopus, Severus presbyter, et Hermes diaconus, inter flammas martyrii palmam invenerunt. Omnia ecclesiæ vasa aurea et argentea, et libros quoscumque sacros tradere, aut ubi absconditi essent designare cùm iuberentur, respondebat Philippus: *Quæ supellex aurea vel argentea in ecclesiâ sit, facilè invenies; libros autem nostros sacros surripere intendere, te certè non decet, et multò minùs me*

prodere. Diversas publicas quæstiones inter durissima tormenta sustulere: et semper in fide et patientiâ constantes, durissimam mortem, post plures in carcere transactos menses, Deum altâ voce laudantes, et orantes, subierunt. Horum trium ecclesiasticorum virorum memoriæ, totidem illustrium fidelium laicorum Ciliciæ martyrium addamus, Taraci, Probi et Andronici. Hi autem, postquam diversis in locis fuere sæpiùs ad quæstionem durissimâ semper torturâ appositi, martyrio coronabantur: et quidem gloriosissimo, tum ob portenta quæ Deus operatus est, cùm etiam ob miraudam fortitudinem qua iudices alloquebantur, et tormenta sustinebant. In Cilicia quoque sancta Iulita cum Quirico puero suo passa est (*ib.* 276 *ad* 295).

§ XXXVIII. Etiam in Cappadocia Diocletiani persecutio cruentissima fuit, plerisque christianis ad mortem usque excruciatis, aliis post immania supplicia dimissis. Apud sanctum Basilium duorum illustrium huius provinciæ martyrum mentionem invenimus, Gordii scilicet et Barlaami. Gordius centurio fuerat, et in desertum ieiuniis, vigiliis et orationibus, ad coronam gloriæ obtinendam militaturus recesserat. Aliquanto tempore huiusmodi vivendi ratione transacto, sponte fidem confessus est, et morte martyrium consummavit. Barlaam, post laceratum verberibus et ungulis corpus, coram idolo locatur, in eius manu prunæ ponuntur, quibus thus supponitur, ut, dum eas excutiat, idolo thus adolere videatur. Ipse autem constans manum igne consumi passus est, et in hoc supplicio obiisse videtur. Ibidem Iulita se Christi servam ingenuè confessa, flammis addicitur, et ad supplicium læta progreditur, mulieres hortans, ne viris fortitudine ac patientiâ in sustinendis suppliciis, morteque cruentâ, pro Domino ac Deo nostro feminis superiores esse concedant. Etiam in Calcedonia sancta Euphemia vivens in flammas proiecta est: et Aulanæ in Græcia Petrus Balsamus crucifixus. Amaseæ in Ponto cùm Theodorus miles Deum suum esse Iesum-Christum Filium Dei unigenitum constanter confiteretur, nullumque alium adorare vellet, post sæva tormenta in

flammis martyrium consummavit. Demum in Galatia ingens fuit martyrum numerus, ex quibus memorare sufficiat septem sanctas virgines Thecusam et socias, quæ in lacu demersæ obierunt: et sanctum Theodotum cauponem, qui post longam immanium tormentorum seriem capite truncatus est; cuius reliquiæ mirabiliter inventæ sunt, ut refert sanctus Nilus *(ib. n.* 296 *ad* 302*)*.

§ XXXIX. Terribilem ultimæ persecutionis in aliis Orientis regionibus imaginem nobis exhibet Eusebius. Admirandi martyres partim suffractis cruribus interibant, ut in Cappadocia: nonnulli capite deorsum verso pedibus suspensi, igne subtus accenso et fumo suffocati, ut in Mesopotamia: alii naso, auribus, manibus, aliisve membris mutilati, ut Alexandriæ: alii craticulis impositi non ut mortem subirent, sed ad diuturnitatem supplicii, ut Antiochiæ: aliis fervente metallo terga et aliæ corporis partes adurebantur, ut in Ponto: et ferè ubique iudices, novis ubique suppliciorum inventis, tamquam in certamine in quo præmia victoribus offeruntur, certatim in christianos sæviebant. Tantus fuit martyrum numerus, ut singulos commemorare non posse existimaret Eusebius. Quamdam etiam in Phrygia urbem fuisse refert, cuius incolæ, vel Curator ipse et Magistratus, christianos se esse omnes confessi sunt; et quoniam sacrificare iubentibus non obtemperarunt, eam milites armati obsidione cinxerunt: et iniecto igne totam unà cum viris, mulieribus et parvulis Christum omnium Deum ac Dominum invocantibus concremarunt. Ibi quoque, ut ait Eusebius, italus quidam, Adauctus nomine, romanâ dignitate conspicuus et Rationalis officio fungens, martyrii coronam adeptus est *(ib. n.* 303 *et* 304*)*.

§ XL. Quia tamen Eusebius eo tempore in Cæsarea Palæstinæ præcipuè habitabat, de martyribus huius civitatis et provinciæ fusiùs loquitur; ex quo pauca sumemus. Procopius martyrum primus est: quoniam mox ut capitur ad præsidis tribunal adducitur, et diis gentium sacrificare iussus, unum se Deum nosse respondet, cui sacrificandum sit eo ritu quem ipse statuit; et illicò de-

collatus est. Ab initio quoque persecutionis, dum contra ecclesiasticos viros tantùm mota videbatur, quamplurimi ecclesiarum illius provinciæ antistites comprehensi, et sævissimis tormentis excruciati sunt; solùm tamen duo capitibus abscisis interiere. Romanus item diaconus, post linguæ abscisionem, diram in carcere macerationem, pedes ad quatuor puncta in nervo distentos habens, fractâ laqueo gulâ obiit. Et hæc primo persecutionis anno. Secundo verò sævior fuit, quæ non solùm in clericos sed et in christianos omnes passim sæviebat. Tunc Timotheus post alia innumera supplicia lento igne consumptus est, et octo alii capite truncati. Anno tertio Maximinus ad imperium evectus, in huius provinciis christianos diligentiùs inquirebat, et crudeliùs vexabat. Cùm autem in Palæstinâ incolæ diis publicè sacrificare iuberentur, Aphianus sponte iudici se sistit, et divinâ quadam gravitate hortari eum cœpit, ut ab errore desisteret, et unicum ac verum Deum agnosceret: hinc horrendis suppliciis cruciatus, eaque constanti animo perpessus, in profundum mare demersus est. Simili modo Ædesius Aphiani germanus frater ad iudicem paulò post ultrò accedebat, et quòd christianos plures, viros gravissimos, mulieresque morum honestate conspicuas ignominiosis tormentis ac contumeliis opprimeret, ingenti animi fiduciâ reprehendebat: quapropter etiam post multa tormenta in mare præcipitatus est. Eodem modo post acerbissima verbera Ulpianus martyrium consummavit (*ib. n.* 305 *ad* 311).

§ XLI. Anno quarto Agapius biennio in carcere maceratus, et varia tormenta perpessus, bestiis obiicitur, à quibus laniatus, adhuc tamen spirans in mare demergitur. Anno quinto plurimi confessores ad metalla seu metallorum fodinas damnati eò mittuntur, et quibusdam pedum iuncturæ candente ferro debilitantur. Theodosia virgo post immania tormenta in mare demergitur. Domninus vivus comburitur. Auxentius senex venerabilis bestiis obiicitur. Pamphilus aliique plurimi diversis suppliciis ferè enecati, ad carcerem iterum ducuntur. Anno sexto confessoribus plùs quàm ducentis ad metalla dam-

natis oculi dextri confodiuntur, et sinistri pedis nervi aliquot igne cremantur. Virgines duæ singulari fortitudine fidem confessæ, post immania supplicia flammis absumuntur. Paulus quidam cùm ad supplicii locum pervenisset, à carnifice brevi temporis spatio obtento, Deum altâ voce humillimè ac ferventissimè oravit pro populo christiano, ut ei pax restitueretur, pro iudæis ac gentilibus, ut ad agnitionem veritatis pervenirent, pro Imperatoribus, pro iudice, necnon pro carnifice, et pro cunctis astantibus. Post hæc martyria, tam dira procella quiescere paucis diebus visa est; statim verò novis edictis à Maximino in provincias missis, cunctos viros ac mulieres, servos etiam et infantes diis sacrificare iubebatur. Tunc christiani tres ad præsidem sponte accedentes non alium esse Deum quàm universi Creatorem palàm confitentur, et statim capitali supplicio damnantur. Ennathas virgo in amore castitatis ac fide constans viva exuritur. Tres quoque ægyptii Ascalone diverso martyrii genere occubuere. Septimo persecutionis anno Petrus Aspelamus, qui asceta erat, generoso animo Christum confessus, igne consumptus est. Item Pamphilus, vir toto vitæ suæ tempore in omni virtutis genere spectatissimus, post biennium iam fidem confessus, excruciatus, et in carcere maceratus, tandem martyrium consummavit; et cum ipso undecim alii christiani diverso suppliciorum et mortis genere interierunt *(ib. n.* 312 *ad* 321 *).*

§ XLII. Demum anno octavo dum bellum in christianos ubique tepescebat, atque etiam christiani ad fodinas Palæstinæ damnati incredibili libertate fruebantur, novo provinciæ præside, sævo viro, accedente, confessores in distinctas turmas divisi sunt. Peleus ac Nilus episcopi, presbyter quidam et Patermutius, qui omnium celeberrimi erant, flammis absumebantur. Ex cæteris, illi quibus ad laborandum vires supererant, per Cyprum, Libanum, et diversa Palæstinæ loca dispersi, operum molestiis maximè vexabantur. Quotquot autem ob senectutem aut morbos ab opere faciendo immunes erant, seorsim à cæteris collocati sunt. Eorum principes erant Silvanus episcopus, et Ioannes post mul-

tos annos cæcus, qui omnes Divinæ scripturæ libros adeò fideliter memoriâ custodiebat, ut eum, quem minimè noverat, recitantem audiens Eusebius, ipsum legere credidisset. Hi omnes undequadraginta numero, quoniam fidem abnegare nolebant, uno die capite truncabantur. Hæc omnia ex Eusebio excerpta sunt, qui tandem monet etiam in pluribus aliis Orientis provinciis, sicut in Palæstina, octo annis hoc bellum perdurasse, cuius furorem vix duobus annis integris in Occidente christiani experti sunt. Et hactenus dicta de Diocletiani persecutione sufficiant, ut eam præ omnibus diuturnam fuisse, universalem, ac sævam pro certo habeatur *(ib. n.* 322 *et* 323 *).*

§ XLIII. Plures sunt præterea martyres, quos ante Constantini pacem occisos fuisse constat, quamvis sub quo imperatore id acciderit ignoremus. Huius generis est sanctus Cassianus pædagogus, cuius cruentissimum rarissimumque martyrium, manibus nempè stilisque puerorum, cecinit Prudentius. Sanctus item Arcadius, cui post alia sævissima tormenta sensim ac successivè amputabantur primò singuli pedum digiti, deindè pedes ipsi frustatim, tum eodem modo tibiæ, quousque etiam genibus iam amputatis, ad cœlestes delicias anima evolaret. Incertum est quoque tempus martyrii sanctæ Drosis, et sancti Iuliani, quorum præconia sanctus Ioannes Chrysostomus prædicabat. Drosis christiana virgo iuvenis et debilis corpore, gratiâ Dei munita, inter flammas, in quibus obiit, se in holocaustum sponso suo et Domino Iesu-Christo alacris offerebat. Iulianus ad integrum annum durissimum martyrium sustulit, diversis in locis quæstione publicâ fidem gloriosè confessus, longam sævissimorum suppliciorum seriem passus, et tandem in saccum cum viperis et scorpionibus missus, in mare proiectus fuit. His addendi sanctus Paregorius et eius amicus sanctus Leo, qui prioris sepulcrum piè visitans, desiderio martyrii inflammabatur, et eo tandem coronatus fuit. Sanctus item Phocas hortulanus, qui cùm hospitalitatem frequens exerceret, ut inde plures in fide instruendi occasionem sumeret, milites ad eum perquirendum et interficiendum missos,

quibus incognitus erat, casu domi recipiens, se se illis prodebat, et alacri animo cervicem securi tradebat. Etiam sanctus Iulius veteranus miles, et alii quoque milites : sanctus Patritius episcopus : sanctus Paulus cum aliis triginta sex viris apostolicis, qui per Ægyptum Evangelium prædicabant ; et sanctus Phidentius cum decem et novem sociis, de quibus sanctus Augustinus magnificè loquitur. Ili omnes, ut alios præteream, pro Christi fide ante Constantini pacem incerto tempore interfecti sunt *(ib. n.* 324 *ad* 331 *).*

§ XLIV. Martyrum monumentis primæ ætatis Ecclesiæ, quæ hactenùs commemoravimus, plurima addi possent, quin à iustæ critices legibus discederemus. Sed dicta satis sunt, ut maximum fuisse tantorum religionis nostræ heroum numerum pro comperto habeamus : ut in eorum actis et aliis documentis pretiosissima fidei nostræ testimonia, et præclarissima virtutum omnium, præcipuè christianarum, exempla facilè adinveniri noscamus : atque ut de historiâ illius ætatis argumenta plurima, quibus Ecclesiam opus Dei esse comprobemus, depromere, et quàm gloriosi tunc fuerint Ecclesiæ inter ipsos labores triumphi cognoscere possimus *(ib. n.* 332 *).*

§ XLV. Profectò si cruenta bella, quæ in primâ suâ ætate Ecclesia sustulit, diligenter considerentur : si advertimus animo à quibus agitaretur, nempè ab imperatoribus eorumque magistratibus et ministris, atque ab omnis classis hominibus, omnique loco : si animadvertitur quoque quæ in Ecclesiam intrantibus offerrentur, nempè carceres, opprobria, tormenta et cruenta mors, illisque præcipi sensuum oblectamenta contemnere, divitias, gloriam, honores mundanos, eisque vale dicere : sed et si præ oculis habeatur, ad tot mala temporalia perferenda non nisi spe metuve alterius post mortem vitæ allici et adduci : profectò cùm Ecclesia ad tria sæcula ab eius in Iudæâ initio, non modo consistere, sed per totum orbem diffusa conspiciatur ; cognoscamus necesse est, Ecclesiam ipsius Dei opus esse, non hominum : humana enim imperia, aut alia quæ sint hominum opera, non hisce mediis fundantur et firmantur *(ib. n.* 333 *).*

§ XLVI. Omnipotens illa manus, qua Deus Ecclesiam ab initio fundavit, et iugiter protegit, in bellis contra ipsam priori ætate motis, se se multis modis conspiciendam præbet. Aliquos indicemus. In mirabili et infausto persecutorum interitu, eorum præcipuè qui postremæ calamitatis auctores fuerant, Dei omnipotentiam agnosci posse, plures antiqui viri, ut Eusebius et Lactantius Firmianus, observarunt; et istius *De mortibus persecutorum* liber plura hunc scopum collimantia continet. In quo tamen non vera miracula contigisse, seu Deum supra totum generalis Providentiæ suæ ordinem in persecutorum mortibus egisse, credendum est; sed cùm omnipotens Deus qui solem tempore Iosue sistere iussit, et alia vera portenta quando vult operatur, ipse sit qui naturalem rerum ordinem voluntate suâ dirigit et gubernat: non vana superstitio, sed sublimis et solida philosophia est, eventibus valdè extraordinariis ad Dei iustitiam et providentiam considerandam vehementer excitari; atque in eâ fidei nostræ doctrinâ roborari, qua omnia quæ in mundo fiunt, in bonum electorum suorum, qui Ecclesiæ membra sunt, à Deo ordinari, credimus (*ib.* 334 *ad* 340).

§ XLVII. Clariùs etiam, quàm in mortibus persecutorum, Dei omnipotentem ac beneficentissimam erga Ecclesiam providentiam cernimus, in finibus Ecclesiæ persecutionum ope longè amplificatis, naturali etiam rerum humanarum cursu huic extensioni mirabiliter inserviente. Fidei namque strenui defensores aut ad metalla damnati, aut ad ultimas regiones inter barbaros exulare vel etiam fugere coacti, per totum orbem semen Evangelii disseminabant. In populosis verò romanorum urbibus cùm iudicia reorum publica essent, responsa martyrum in quæstione tormenti apud omnes facilè divulgabantur: eorum fortitudo, summa patientia, innocens vita, quòd non de crimine aliquo, sed de fide solâ postularentur, hæc omnia ad eorum miserationem et admirationem gentiles facilè movebant. Imò persecutorum etiam sævities, ut christiani vitam noxiæ expertem ducerent conferebat. Ita Dei providentia ordinario etiam rerum cursu ea quæ

à gentilibus in damnum Ecclesiæ fiebant, in eius bonum suaviter commutabat *(ib.* 341 *ad* 343 *)*.

§ XLVIII. Nihilominùs apertissimè se se quoque ostendebat Dei circa Ecclesiam specialis providentia magnis prodigiis, seu operibus quæ non nisi à Deo ipso naturæ auctore et domino, rerum ordinem immutare potente, effici possunt. Multa huiusmodi visa sunt ad apostatas aut etiam Ecclesiæ inimicos puniendos, vel ad fidem convertendos; et longè plura in martyrum levamen ac solatium, vel in aliorum fidelium bonum, aut martyribus orantibus, aut nec cogitantibus: quorum in sincerissimis actis martyrum frequentissima exempla sunt. Demum, aut verum miraculum, aut profectò evidentissimum Divinæ omnipotentiæ martyres protegentis et in laboribus sustinentis indicium est stupenda fortitudo, qua patiebantur et moriebantur. Non enim hîc agitur de aliquo philosopho, qui in suarum opinationum propugnatione propriam gloriam quærens mortem tranquillè patiatur; sed de pluribus fidelium millibus omnis ætatis, sexûs et conditionis, ubique terrarum patientissimè et alacriter sustinentibus mortem etiam longissimam, inter acerbissimos dolores, et inter atrocissima omnium tormenta, quæ ingeniosa crudelitas invenire unquam potuit. Certè innumeræ fuere mulieres ac teneræ virgines et parvuli, innumeri simplices idiotique fideles pro fide Christi morientes, quorum in suppliciis, equuleis ac flammis fortitudini, si Socratis morientis sæpè laudata fortitudo conferatur, Socrates ipse debilis ac timidus videbitur. Ex quibus omnibus suâ sponte fluit, supplicia et opprobria martyrum Ecclesiæ gloriam esse atque triumphum *(ib. n.* 344 *ad* 347 *)*.

CAPUT XI.

Ecclesia triumphat de mundi philosophiâ.

Scripta pro defensione Ecclesiæ 1. *Calumniæ dissipatæ; veluti quà christiani atheismi accusabantur* 2 : *aliæ de cœnis* thyesteis 3 : *de odio in rempublicam* 4 : *de regni spe* 5 : *de contemptu morum legumque publicarum* 6. *Mirabilis christianorum patientia et innocentia* 7. *De calamitatibus publicis ridiculè postulantur* 8. *Argumenta contra Ecclesiam, et eorum solutio : Apollonii comparatio cum Christo* 9. *Scandalum crucis* 10. *Deorum pluralitas* 11. *Apostoli imposturæ accusati ; et martyres temeritatis* 12. *Resurrectio corporis dicta impossibilis* 13 ; *fides autem philosophiæ contraria* 14. *Ex suppliciis christianorum eos esse Deo invisos contenditur* 15. *Christiana religio ut antiquæ traditioni adversa* 16, *et recens seu nova arguitur* 17. *His argumentis et calumniis dissipatis, de persecutionum iniustitiâ christiani conqueruntur* 18. *Rursùs idololatriæ falsitatem facilè demonstrant* 19. *Veritates rationis naturalis lumine cognitas, dæmonum confessionem et Sibyllina oracula pro christianâ religione allegant* 20. *Denum fidei christianæ veritatem probant prophetiis* 21 : *sublimitate et puritate doctrinæ christianæ : miraculis ; et resurrectione Christi* 22. *Item Apostolorum prædicatione : dilatatione Ecclesiæ : sanctitate morum christianorum* 23 ; *atque philosophorum conversione* 24.

§ 1. Quemadmodum Ecclesia de violentia et crudelitate inimicorum suorum triumphavit ; ita etiam de

eorum calumniis, fraudibus, et falsâ philosophiâ, quod nunc demonstrandum est. Humana mens seu ratio turpibus præiudiciis occupata, et inordinatis concupiscentiis delectationum sensibilium, divitiarum, rerumque terrestrium, atque honorum et gloriæ mundanæ vehementer agitata, contra Ecclesiam eiusque doctrinam mille calumnias et sophismata obiiciebat, et multis in libris præsertim Celsi et Porphyrii, prioribus sæculis publicabat. Contrà verò pro Ecclesiâ eiusque doctrinâ nonnulli catholici scriptis decertarunt: quorum licèt apologiæ plures, aliique libri temporum iniuriâ perierint, aliqui tamen supersunt ad vindicandam Ecclesiam sufficientissimi. Sancti Iustini habemus duas *Apologias*, quarum alteram, quæ longior est, ad imperatorem Antoninum Pium, ipsiusque filios, et ad Senatum populumque Romanum direxit, eamque petiit commentariis publicis inscribi, atque Senatum et populum sibi renuntiatam testari: alteram Marco Aurelio imperatori ipse obtulit, enixè rogans, ut ea cum responsione seu decreto in vulgus emitteretur, quo res christianorum omnibus patefierent. Habemus etiam huius sancti philosophi *Dialogum cum Triphone* et aliis iudæis, in quo antiquas de Christo et Ecclesiâ prophetias adimpletas esse multis ostendit: et præterea opuscula tria contra græcos, quo nomine gentiles significat: nempè *Orationem*, in qua rationem reddit, cur Christi fidem amplexus sit: *Cohortationem*, in qua, philosophorum sectis et libris contemptis, doctrinam Christi suscipere omnes hortatur: et librum *de Monarchiâ*, in quo unicum Deum ab initio mundi adoratum fuisse, idolicas verò superstitiones usu vires adquisivisse, demonstrat; atque ex ipsis poëtis ostendendum suscipit, solum Deum qui omnia novit, et omnes iudicaturus est, adorandum esse. Demum extat *Epistola ad Diognetum* sancto Iustino certè dignissima, in qua cur christiani Deos non colant, quare tam serò Verbum Dei incarnatum fuerit, et alia de christianis opportunè declarat. Clementis Alexandrini tria opera supersunt, quæ ad defensionem Ecclesiæ multa utilia continent: *Pædagogus*, in quo christianæ doctrinæ de moribus ad usum

catechumenorum summarium exhibet : *Stromata*, seu veritatum christianarum sine speciali ordine scriptarum memorialis liber, sive promptuarium; et *Exhortatio ad gentiles*, ubi in idololatriâ nil nisi errorem et infamiam, in religione verò christianâ, omnia virtuti et rationi consentanea esse, testimoniis etiam gentilium poëtarum eleganter demonstrat. Tatiani *Orationem* habemus adversùs græcos seu gentiles; et aliam Hermiæ, qui philosophorum opinationes quasdam irridebant. Athenagoræ *Apologiam*, et tractatum *De Resurrectione* : Theophili libros tres *Ad Autolicum* : Minucii Felicis *Octavium* : Tertulliani duos *Ad nationes* libros, *Apologeticum*, *De testimonio animæ*, et *Ad Scapulam* : Cypriani suos *De vanitate idolorum*, et *Contra Demetrianum* : Origenis libros *Contra Celsum* : Arnobii *Apologiam*, et Lactantii celebres *Institutiones* aliosque libros (*Lib. IV. n.* 348 *ad* 366).

§ II. Videamus ergo qua ratione patroni isti Ecclesiæ iudæorum et gentilium calumnias dissipent : quomodò eorum obiectionibus ac sophismatibus respondeant; et quibus argumentis religionis nostræ veritatem demonstrent. Hæc tria attentè consideremus. Principio antiqui Ecclesiæ defensores facilè ac evidentissimè ostendunt non nisi summâ stultitiâ christianos accusari posse quòd athei, aut sine Deo sint, sive quòd deos ridiculos colant. Omnibus enim notum est, christianos etsi neque astra adorent, neque homines mortuos, neque simulacra, adorare tamen Deum Altissimum, Solis ipsius et creaturarum omnium auctorem. Unde stupendum sit Tacitum tam crassâ ignorantiâ laborasse, aut tam furenti calumniandi impetu fuisse arreptum, ut à iudæis et christianis caput asini tamquam Deum adorari asseruerit (*ib.* 367).

§ III. Neque minùs ridicula erat alia calumnia, qua cœnarum thyestearum insimulabantur, quasi cœnas celebrarent, in quibus effrenata libido, et immanis sævitia regnabat. Puro oculorum obtutu, christianorum cœtus quotiescumque religionis causâ congregabantur; conviviaque ipsa quæ vocabant *agapes* ob charitatem

seu mutuum amorem in ipsis elucentem ; accuratus ordo et perfecta tranquillitas quibus omnia in his cœtibus agebantur ; et tota christianorum vivendi ratio, meridianâ luce clariùs ostendebant nihil esse in hisce eorum conventibus quod iure reprehenderetur ; nihil quod moribus ruinæ aut reipublicæ damno esse posset *(ib. n.* 368 *et* 369 *).*

§ IV. Cur enim mutua inter christianos charitas et unio formidabilis reipublicæ aut privatis viris haberi poterat ? « Christiani, ut aiebat sanctus Iustinus ad Diognetum, incolunt græcas aut barbaras civitates, prout « cuiusque sors tulit, et indigenarum instituta sequentes « in vestitu, victuque, et cæteris quæ ad vitam pertinent, « mirabilem suæ politiæ statum oculis omnium proponunt. Patrias proprias habitant, sed tamquam inquilini. Quæ ipsorum propria sunt, ut cum aliis communia « habent tamquam cives ; et omnia patiuntur tamquam « peregrini. Uxores ducunt ut cæteri, et patriæ liberos « procreant, sed non abiiciunt fœtus. Mensam communem apponunt, minimè verò cubile. In carne sunt, « sed non secundùm carnem vivunt. In terrâ degunt, sed « in cœlo politiam suam habent. Obsequuntur legibus, et « suo vitæ genere leges superant. Amant omnes, et omnes « illos persequuntur. Ignorantur, et condemnantur : morte « afficiuntur, et vivificantur. Mendici sunt, et multos « ditant. Rebus omnibus indigent, et omnia illis redundant. Dedecorantur, et inter dedecora gloriâ afficiuntur. « Eorum fama laceratur, et iustitiæ eorum testimonium « perhibetur. Maledictis, convitiis et iniuriis appetuntur, « et bonis verbis et honore respondent. Se gerunt ut « probi, et puniuntur ut improbi. » Hæc et alia similia sanctus Iustinus, quibus etiam vanissimas esse demonstrabatur suspiciones, quæ de eorum debitâ fide et obedientiâ Imperatoribus duci solebant *(ib. n.* 370 *et* 371 *).*

§ V. Profectò de regno ipsorum proprio sæpè loquuntur christiani : at non regnum in terris gerendum, sed æternum in cœlo cum Deo ipsos præstolari compertum est. Imperatori obediunt, ipsum amant, et pro ipso Deum invocant ; Deum vivum, verum et æternum

pro ipso deprecantur, longam vitam, imperium tranquillum, domi securitatem, in militibus fortitudinem, in Senatu fidelitatem, in populo quietem, pacem cum toto orbe, et quidquid homini Imperatori feliciter accidere possit. Ab aliquibus certè legibus et moribus populorum christianos aliquando deviare conspicitur; at ab iis tantùm, quæ honestati ac iustitiæ apertè adversantur *(ib. n.* 372 *).*

§ VI. Absurdum verò foret populorum mores semper æmulandos censere, quasi qui inter scythas vivat, patrem valdè senem aut infirmum ipse interimere, et qui inter persas matrem vel sororem in uxorem ducere debeat, quoniam huiusmodi mores earum gentium sunt. Quòd verò ad leges attinet, aliæ sunt naturales seu à Deo inditæ, aliæ scriptæ seu civiles, nempè ab ipsis hominibus ad societatem constitutæ. Et quamvis æquum sit scriptas leges societatis in qua vivimus, si naturali non adversentur, observare; iniquum verò eas, quoniam ad alterius populi leges non conformantur, contemnere: nihilominùs, quando patriæ leges naturali contrariæ sunt, huic, utpote à Deo latæ, potiùs obtemperandum esse, ratio ipsa demonstrat. Atque hinc est quòd legibus civilibus superstitiones idolicas imperantibus christiani non obediant, legi naturali obedientes, quæ Deum unum agnoscere et venerari manifestè iubet *(ib. n.* 373 *et* 374*).*

§ VII. Cæteris omnibus legibus sponte obtemperant, atque Imperatoribus fideliter serviunt. In solvendis autem tributis nemo fidelior et promptior est. Et quamquam aut Imperatorum iussu, aut præsidum et magistratuum odio, aut ex populorum motibus aut etiam privatorum hominum vi, assiduè vexentur, spolientur, torqueantur, interficiantur, incredibili tamen patientiâ omnia sustinent, quin aut de privatis vindictam sumant, aut in populos, præsides, vel Imperatores insurgant; licèt maximo numero ubique sint, et miranda fortitudo, qua dolores et mortem ipsam contemnunt, eos ad expeditiones bellicas valdè idoneos efficiat. Atque hinc facilè colligitur omnium civium christianos opportunissimos esse ad tranquillitatem ordinis in societate servandam.

Quòd si his addas, eos in agriculturâ, laboribus mechanicis, nauticarum rerum scientiâ, in militiâ, cæterisque reipublicæ necessariis aut utilibus perindè ac cæteros cives versari, et solùm ab iis abstinere quæ morum puritati ac rectæ rationi adversantur, quæ proindè reipublicæ semper noxia sunt, facilè colliges christianos præ cæteris civibus esse reipublicæ utiles. Ex hactenùs dictis suâ sponte fluit christianos ab omnibus criminibus, quæ ipsis obiiciebantur, esse prorsùs immunes. Quorum ut magis innocentia eluscesceret, observabat Tertullianus, inter tot sceleratos viros ob seditiones, aut alia crimina frequenter suppliciis addictos, nullum christianum inveniri : è contrà inter tot christianos ad metalla, ad bestias, aut alia supplicia damnatos, nullum esse de alio crimine postulatum, quàm quòd christianus foret, aut falsos deos non adoraret (*ib. n.* 375 *ad* 377).

§ VIII. Nihilominùs adeò cæcum et impotens erat gentilis populi in christianos odium, ut pestes, bella, cæterasque publicas reipublicæ calamitates culpâ christianorum accidere contenderet : quasi eas dii christianis mitterent, vel imperio Romano, eò quòd tam infensos diis patriis inimicos in sinu suo contineret. Christiani verò nullo negotio demonstrabant huiusmodi clades longè christianis antiquiores in imperio esse ; atque nimis multa, gravissima et publica esse crimina, quæ verum Deum ad puniendos tot cladibus gentiles ipsos inducerent. Observabant etiam hæc mala gentilibus esse reapse pœnam, christianis verò benignam probationem. Gentilibus enim, qui non nisi hæc temporalia bona amant, malaque timent, illis privari, aut his subiici supplicium est. Christiani verò, qui non nisi æterna et cœlestia desiderant, in his temporalibus malis non puniuntur, sed exercentur, aut probantur et purificantur, seu occasionem merendi inveniunt, atque laboribus ipsis in dulci spe vitæ æternæ magis firmantur. His similia multa addebant christiani. Ut autem clarè ostenderent quàm ridiculum esset, aut mundi gubernationem, aut etiam Romani imperii magnitudinem vel prosperitatem iis diis tribuere quos christiani adorare nolebant, eos animad-

vertebant omnes divinitatem suam ab hominibus acceptam habere; et magnâ ex parte, cùm exterarum nationum dii antea forent, solùm posteaquam victi fuerant à romanis, ut deos habitos et adoratos fuisse (*ib. n.* 378 *et* 379).

§ IX. Nec difficiliùs erat christianis sapientibus paganorum argumenta diluere, quorum præcipua nunc commemoranda sunt. Dum Apostoli et eorum discipuli per totum orbem Evangelium prædicabant, plures etiam gentiles philosophi diversas provincias percurrentes, doctrinâ et exemplis populos in antiquis superstitionibus confirmare conabantur. Horum omnium celeberrimus fuit Apollonius tyanæus, gente cappadox, ex urbe Tyanâ, sectâ pythagoricus, ingenio vividus, imaginatione verbisque elegans et facundus, atque moribus austerus. Huius vitam, doctrinam et gesta, quæ plebs ut prodigia mirabatur, cum evangelicâ historiâ comparare audebant multò post philosophi quidam, ut argumenta ex vitâ, doctrinâ, miraculis et prophetiis Christi in comprobationem fidei nostræ desumpta minoris ponderis esse viderentur. Maximam autem inter Dominum nostrum Iesum-Christum et Apollonium interesse distantiam, ex duplici præcipuè capite Patres antiqui evidentissimè demonstrabant. Primò, quoniam quæ de Apollonio dicebantur, unico nec probatæ fidei teste innixa, non historiam sed fabulam esse attentè legentibus facilè constabat. Secundò, quia licèt omnia vera forent, non inde tamen aliud colligeretur, quàm Apollonium fuisse hominem vanum, præposterum, crudelemque, qui præstigiis et fraudibus sibi admirationem plebis conciliare satagebat. In cuius rei comprobationem memorare sufficiat, quòd, ipso eius panegyristâ referente, Achilles Apollonio noctu apparuit, et illi secreta Iliadis revelavit: aves inter se idiomate proprio ut homines colloquuntur, quod callebat Apollonius; atque hic ipse philosophus, ut ephesios à peste liberaret, senem inopem et innocentem lapidibus obrui iussit (*ib. n.* 380 *ad* 382).

§ X. Non nisi ad finem sæculi tertii Apollonius cum Iesu-Christo à gentilibus comparabatur. Prius autem et

omnium validissimum argumentum, quod ipsos à christianâ religione deterrebat, erat scandalum crucis: nempè quòd ut Deum christiani adorarent virum supplicio crucis damnatum et occisum, quod tunc erat maximæ infamiæ: quasi ex tanto supplicio argui posset, Christum aut sceleratum fuisse, aut si minùs debilem vel ignarum, quòd tale mortis genus vitare aut præcavere nesciverit, vel nequiverit. Christiani tamen in tantâ Christi voluntariâ exinanitione, vel in speciem debilitate, Dei sapientiam et fortitudinem deprehendi observabant. Summè necessarium humano generi esse Legislatorem, Magistrum, ac Mediatorem, qui Deo homines reconciliaret, huncque mediatorem Deum et hominem fore, multis evincebant. Scandalum crucis, exemplo à cruce quam in navi malus cum antenna format, et aliis è rebus naturalibus petitis mitigabant; ac præcipuè multis ostendebant Iesum-Christum esse abs dubio verum Deum, eiusque Divinitatem non eam esse quàm hominibus ob gestorum famam post mortem gentiles tribuebant; sed æternam, quòd nempè Dei Verbum, Unigenitus Filius et Virtus sit. Demonstrabant quoque ex ipsâ Evangelii historiâ, Christum se se ultrò morti crucis obtulisse, eamque solùm quia voluit et quando voluit obiisse. Iustum verò esse ut Deum adorare eum qui infame patibulum subiit, dum ipsum constat propriâ voluntate subiisse, et verum Deum Deique Filium esse ab æterno *(ib. n.* 585 *ad* 585 *).*

§ XI. Neque plures deos agnoscunt christiani, dum Deum Patrem et Deum Filium venerantur, quoniam non Filium genitum ad instar filiorum hominum credunt, sed Filium qui est Verbum, Intellectus et Sapientia Patris: quod Verbum nomine Filii appellamus et adoramus, quemadmodum adoramus etiam Spiritum Sanctum, qui prophetis dicenda inspirat. Itaque in Deo agnoscimus et adoramus sanctam Trinitatem, Patris et Verbi et Spiritûs: in hac verò Trinitate non tres Dii sunt, sed unus Deus. Hæc mysteria, quamquam incomprehensibilia, credimus christiani gravissimis rationibus adducti, ut postea dicemus *(ib. n.* 586 *).*

§ XII. Apostolis talia mysteria nuntiantibus sine hæsitatione credimus, quoniam tota eorum vivendi ratio summâ fide dignos ostendit: unde omninò contemnenda est intentata in eos imposturæ accusatio, cùm nullâ nec ad speciem quidem probabili ratione innitatur. Martyres quoque veneramur, quoniam non desperatione aut furore acti, neque gratuitò mortem et tormenta desiderant et sustinent, sed tranquillo animo, et ex firmâ et prudenti spe. Nam si belli labores, pericula et damna milites alacriter sustinentes iure laudantur, quoniam in bonum patriæ et humanæ gloriæ causa se se illis malis offerunt; cur et martyres laudandi non sint, qui pro Dei ipsius honore, et pro acquirendâ æternæ gloriæ palmâ decertant? Profectò martyres omnes christiani supplicia mortemque sustinent ob causam multò digniorem ac iustiorem quàm Mucius, Empedocles, Dido, Regulus, aliique gentiles, qui inter heroes ob fortitudinem in moriendo numerantur: ut proindè summa stultitia sit temeritatis notâ martyres insignire eos ipsos, à quibus summis laudibus extolluntur qui vel ex impotenti desperatione, vel inanis gloriæ desiderio, vel ad summum pro temporali bono alicuius populi vel regis fortiter moriuntur (*ib. n.* 587).

§ XIII. Iam verò christiani non solùm felicis immortalitatis animæ, seu æternæ ipsius gloriæ spe ac desiderio ad ardua sustinenda et agenda animantur; sed etiam spe resurrectionis ipsius corporis, quæ non vanâ sed prudenti ratione fundata est. Primò enim resurrectio procul dubio possibilis est: velle etenim eius impossibilitatem inferre ex impotentiâ figuli et aliorum opificum opera sua omninò instaurandi postquam in pulverem per aërem sparsum redacta sunt, est debili hominis potentiæ Dei omnipotentiam æquare, seu manifestum delirium. Profectò Deus, qui priora duo humana corpora tam admirando modo creavit; et creavit quoque materiam, ex qua cætera stupendo etiam modo generantur: eâdem facilitate postquam dissoluta fuerint, iterum conformari seu resurgere faciet, si velit. Posse autem velle, inde manifestè patet, quòd resurrectio corporis nil de-

decoris continet vel iniustitiæ, ac proindè nihil Divinæ voluntati repugnans. Imò verò consentanea resurrectio est fini, ad quem Deus hominem creavit, nempè ut Dei potentiam et sapientiam in creaturis etiam sensibilibus fulgentem in æternum contempletur et laudet. Est conformis ipsius hominis naturæ, cùm unio animæ cum corpore naturalis homini sit. Et Divinæ quoque iustitiæ, cui consentaneum est corpus animæ socium existere, sicut in actionibus quibus meretur aut demeretur; etiam in pœnis aut præmiis, quibus in alterâ vitâ iustorum ab iniustis distinctio perfecta instituenda est. (*ib. n.* 388 *ad* 390).

§ XIV. Ideò christianorum defensores argumentis etiam à ratione naturali petitis utebantur, et doctrinam christianam nomine philosophiæ significare non horrebant: imò sanctus Iustinus in solâ doctrinâ christianâ inveniri aiebat philosophiam, quæ vera et utilis sit. Quamquam verò gentiles philosophi scientiâ suâ superbi, fidem rerum non intellectarum ut catenas rationi invisas detestarentur, christiani tamen in eo præcipuè philosophiæ suæ sublimitatem et ingenuitatem sitam esse existimabant, quòd humana ratio Dei testimoniis liberum assensum docilis præberet. Imò summæ gloriæ ducebant, quòd ob fidem mysteriis sublimibus præstitam credulitatis arguerentur. Fidem verò etiam humanam in vitâ sociali esse non modò utilem sed etiam necessariam, facilè demonstrabant (*ib. n.* 391 *ad* 393).

§ XV. Christianæ philosophiæ luce illud etiam argumentum evanescebat, quod gentiles ex suppliciis et laboribus christianorum contra eorundem religionem colligebant. « Quis enim est, aiebant, Deus iste, quem « christiani colunt, qui eos tot malis ob ipsum cultum « vexari sinit? Si Deus bonus esset et omnipotens, eos « liberare posset, et abs dubio vellet ». Hæc blasphemia ex philosophiâ gentili quæ non nisi bona et mala caduca et temporalia noscit, facilè erumpebat. Eam tamen christiana philosophia facillimè dissipabat. Nempè aliam vitam noscit in æternum duraturam; alia bona, quibus comparandis omnia mala huius mundi sustinere vile

pretium foret; alia item mala, quibus vitandis omnia mundana bona relinquere levissimum esset. Docet etiam militiam esse vitam hominis super terram, in qua palmam seu coronam sequentis æternæ vitæ mereatur. Unde facilè colligitur pœnis et laboribus huius mundi christianos à Deo probari, puniri, et ad æternam felicitatem præparari. Hinc sæviora supplicia ac infamem mortem propter Deum christiani sustinentes, ea ut Divinæ bonitatis inæstimabile donum, ut pretium quo felicitatem æternam sibi comparant, et ut gloriosum triumphum considerant, atque adeò patientissimo et alacri animo patiuntur. In doctrinâ autem seu in philosophiâ christianâ diversas sectas seu hæreses inveniri, sicut etiam philosophiæ gentili accidit, mirandum non est: Christus enim ipse præmonuit. Ob hæreses autem christianam doctrinam non esse abiiciendam, sed solùm quæ vera et genuina doctrina sit accuratè indagandum, apertissimis et innumeris exemplis comprobare solebant (*ib. n.* 394 *et* 395).

§ XVI. Age verò, duo tandem commemoremus præcipua argumenta, quibus gentiles sua præiudicia tuebantur, et quæ duobus veris ac inter se connexis principiis fundari videntur. « Vera religio, aiebant, antiquis« sima sit oportet: christiana autem recens est. Item: « Vera religio à Deo procul dubio venit: cùm verò dubi« tari vix aut nullo modo possit Deum ab initio populis « declarasse quomodò ab ipsis adorari voluerit; iustum « est in singulis nationibus antiquam parentûm religio« nem fideliter conservari: unde christiana non est anti« quis idololatrarum substituenda ». Ita arguebant gentiles. Christiani verò demonstrabant nationum deos, eorumque cultum esse recentissimos; nam in populorum fastis diversarum religionum origo et ipsorum deorum ortus statim occurrunt. Contrà verò christiana religio mundo ipsi coæva est, quamquam non unum statum habuerit: Deus item quem colit, æternus est, immutabilis et prior omni sæculo; ut facilè colligatur, christianos à rei novæ adoratione toto cœlo distare (*ib. n.* 396 *ad* 398).

§ XVII. Præterea Deum Salvatorem mundi per plura sæcula nativitatem suam distulisse, divino eius cultui

minimè obesse potest : quoniam Deus Salvator, quem christiani adorant, non nativitate suâ esse incepit, ut de diis suis narrant gentes, sed erat ab æterno, antequam homo fieret et nasceretur. Et meritò sibi persuadent christiani iustissimis de causis potuisse Deum mundi redemptionem differre, quousque homines propriæ ignorantiæ et debilitatis longâ experientiâ conscii, necessitatem superni Redemptoris clariùs agnoscerent. Præterea Deum verum qui colit, eum minimè dubitabit omnia opportuno tempore peragere, nimiùmque vanam esse hominum insolentiam, qui an Deus priùs vel posteriùs quàm oportebat aliquid egerit, expendere audent *(ib.n.* 399*)*.

§ XVIII. Denique quamquam plurium deorum et simulacrorum cultus omnium esset religionum antiquissima, inexcusabilis tamen foret, quoniam ipsius falsitas notoria est : quicumque autem verè pius est, rectusque philosophus, non nisi veritatem amplectitur : opinationes enim quamvis antiquissimas facilè despicit, si falsas aut iniustas comperit. Hinc priores Ecclesiæ defensores altè querebantur, quòd christiana religio esset in Romano imperio interdicta, in quo religiones innumeræ apertè falsissimæ, atque in rebus sacris frequentes abusus honestati et iustitiæ valdè repugnantes, legibus silentibus, ubique publicè permittebantur. Querebantur etiam, quòd saltem in christianorum iudiciis non is ordo servaretur, quem ipsæ romanæ leges ad crimina inquirenda et punienda præscribebant. Sic, exempli gratiâ, quæstioni torturæ rei sua crimina candidè confessi iuxta leges non subiiciebantur, sed ii tantùm qui negabant, ut confiterentur. Contrà verò christianis accidebat. Quicumque enim se christianum esse negabat, statim absque ullâ quæstione dimittebatur. Qui verò christianum se esse, seu crimen de quo erat in ius vocatus sponte confiteretur, iste in quæstione torquebatur, ut nempè negaret, quò liber dimitteretur. Ex quibus omnibus evidentissimè demonstrabant esse undequaque iniustissimam immanem severitatem, qua christianos, eorumque doctrinam, imperatores, præsides, magistratus, ac ipsi populi persequebantur *(ib. n.* 400 *ad* 405 *)*.

§ XIX. In apologiis christianorum prioris ætatis non modò rationem invenimus, qua calumniis et argumentis contra ipsorum mores et doctrinam obiectis occurrebant; sed gentilis etiam religionis falsitatem et christianæ veritatem solidissimis argumentis demonstratas. Et sanè facillimum erat in apertâ luce collocare, quod nimis est à ratione naturali dissentaneum, aut simulacra ipsa ut deos habere et colere, aut divinitatem morte acquisitam effingere: nimis quoque philosopho indignum tam turpia præiudicia apud populum fovere; et demum nimis moribus adversum viros corruptissimos ut deos venerari, nefandaque crimina actibus deorum annumerare. Nihilominùs tanta erat gentilium etiam philosophorum in his rebus cæcitas, ut hæc multis ostendere christianorum defensores cogerentur *(ib. n. 406)*.

§ XX. Nunc verò in iis utiliùs immorabimur, quæ ad veritatem religionis christianæ firmandam speciatim impendebant. Principio argumentis è naturali ratione desumptis demonstrabant unius Dei existentiam, generalem de omnibus providentiam, iustitiam infinitam, quæ debita malis ac bonis præmia aut supplicia sanciat, et hinc animæ nostræ immortalitatem, libertatem arbitrii, aliasque similes veritates, quæ doctrinæ à Christo revelatæ viam parant. Deinde cùm frequens esset inter gentiles obsessorum à dæmone numerus, eos christiani passim liberabant, mirabile imperium in dæmones ipsos exercentes: unde ipsorum dæmonum obsessorum ore frequentem confessionem in comprobationem veritatis religionis christianæ eius defensores allegabant; et arguebant etiam ex Sibyllinis oraculis apud gentiles magni habitis *(ib. n. 407 ad 410)*.

§ XXI. Aliis quoque irrefutabilibus argumentis christianæ religionis veritatem demonstrabant. Præcipua desumebant ex ipsis sacris Libris; et primò ex prophetiis tum veteris, tum novi Testamenti: ex iis maximè quibus ipse Iesus Ecclesiæ calamitates et progressus prænuntiavit. Profectò, sive nostrarum prophetiarum numerum, sive perspicuitatem, sive rerum de quibus in illis agitur novitatem et altitudinem, sive constantem omnium veri-

tatem spectes, nihil est in oraculis et auguriis gentilitatis, quod cum his prophetiis comparari valeat. Atque omnia convincunt, non ab humanâ prudentiâ, quæ multa sæpè probabiliter futura cognoscit, ut in gentilium oraculis non raró deprehenditur; neque à sorte vel casu, sicut quando de prospero vel adverso alicuius belli vel prælii exitu agitur, in quo ex duobus unum contingere necessum est, nostras prophetias veritatem hausisse; sed à Deo omnipotente, qui omnia novit et futura disponit, necessariò fuisse dictatas. Opportunum exemplum desumebat Origenes ex Iesu-Christi prophetiâ qua discipulos suos persequendos, vexandos et ad tribunalia ducendos, et nihilominùs Evangelium per totum orbem prædicandum clarè prænuntiavit. Ut enim Origenes observat, novum omninò erat in mundo aliquem unicè ob doctrinam insectari, ita ut simul ac eam negaret, mox liber dimitteretur. Et tamen novum hoc bellum in toto mundo visum est: novus etiam et inauditus triumphus, quo christianorum doctrina morte et suppliciis eam defendentium propagata est. Hoc argumentum solidè et eleganter prosequitur Origenes, Celsum alloquens *(ib. n. 411 ad 413)*.

§ XXII. Arguebant quoque antiqui panegyristæ doctrinæ christianæ sublimitate et maximâ puritate; quæ dotes magis elucent, si cum doctrinâ philosophorum gentilium comparetur, ut antea dicebamus. Quamquam verò ad iudæos et gentiles philosophos vincendos argumenta desumpta ex prophetiis et sublimitate doctrinæ christianæ essent efficacissima; ad excitandos tamen et convincendos populos efficaciora fuerunt miracula quibus non oculati tantùm eorum testes, sed plures alii ipsorum notitiâ ad fidem accedebant. Profectò miracula Christi et discipulorum eius Divinitatem religionis christianæ clarè demonstrabant. Factorum namque plurimorum veritas in dubium verti nequit, nisi stultissimum scepticismum amplecti velimus. Et quamquam Celsus et alii gentiles, cùm facta negare non possent, ea magiæ tribuebant, stultè tamen; cùm plura sint miracula quæ omnia magices præstigia aut opera evidentissimè

superant, et non nisi ab Omnipotente virtute fieri valeant. Præterea in antiquis apologiis christianæ religionis fidentissimè allegabatur Christi resurrectio. Ut enim præclarè observat Origenes, hoc miraculo divinitas Iesu-Christi, suæque doctrinæ speciali evidentiâ demonstratur. Etenim Christum reapse fuisse mortuum dubitari non potest: in loco enim publico, in altâ cruce, et coram omni populo mortuus est. Resurrectionis eius testes oculati sunt Petrus et alii omnes Apostoli, atque quingenti discipuli : quos omnes nec in hoc falli potuisse nec fallere voluisse multis demonstrat Origenes (*ib. n.* 414 *ad* 419).

§ XXIII. Aliis argumentis ex ipso Ecclesiæ statu petitis invictissimè probabant patroni Ecclesiæ eam à Deo fundatam esse, atque Dei virtute conservari et extendi. Primò, ab effectibus prædicationis Apostolorum. Ipsi enim brevi tempore magnam humani generis partem ad avitas religiones deserendas, et novam naturæ inordinatis cupiditatibus repugnantem suscipiendam adduxerunt, et tamen Apostoli inopes erant, nec eloquentiâ nec eruditione valentes, piscatores, ac iudæi, cæteris gentibus invisi : atque non solùm humanis præsidiis prorsùs destituti erant, sed ab omnibus mundi potestatibus, sapientibus, populis, immaniter exagitati et oppressi. Quapropter necesse est, mirandam mundi conversionem seu mutationem ab Apostolis effectam, Dei omnipotentiæ, frequentibus miraculis Apostolorum doctrinam confirmanti, et efficacissimis Divinæ gratiæ impulsibus audientium corda moventibus, tribuere. Idem quoque colligitur ab Ecclesiæ amplificatis finibus persecutionum tempore, ut ex capite præcedenti constat. Etiam ex sanctitate morum apud christianos. Ut enim Origenes arguebat, si quis centum homines ab iniustitiâ, impudicitiâ et vindictæ desiderio immunes redderet, absque vi aliquâ supernaturali id effecisse non facilè crederemus. Quid ergo dicendum, quando christianorum doctrinâ per totum mundum adeò immutatos cernimus eorum hominum, qui eam amplectuntur, mores, ut strenui viri antea ad iracundiam et vindictam

proni, postea ut agni mansueti absque ullâ resistentiâ iugulentur? Cùm etiam christiani indocti et ex infimâ plebe, antea turpioribus impudicitiis inquinati, postea purissimâ castitate vestales ipsas, pontifices, ac philosophos magis continentes longè superent? « Nos, aiebat « sanctus Iustinus de christianis loquens, postquam « Verbo credidimus, qui olim stupris gaudebamus, nunc « castimoniam unicè amplectimur: qui divitias anxiè « quærebamus, nunc ea quæ possidemus in commune « conferimus, et cum indigentibus quibuscumque com- « municamus: qui mutuis odiis et cædibus pugnabamus, « nunc convictores sumus et pro inimicis oramus; et eos « qui nos iniquis odiis prosequuntur, suadendo flectere « conamur ». His similia plura addi possent. Sufficiat tamen advertere quòd Divina virtus, quæ christianæ doctrinæ prædicationem comitabatur, adhuc clariùs eluxisse videtur, dum plures philosophi gentiles visi sunt mutare consilium; de quo pro huiusce capitis coronide aliquid dicendum est *(ib. n. 414 ad 419).*

§ XXIV. Siquidem magno fuerunt numero humanæ philosophiæ studio et famâ celebres gentiles, qui prævio examine ac consultissimè, præconceptas opinationes abiicientes, christianam fidem dociles amplexati sunt. Horum iuvat aliquos nominare, præ cæteris scilicet cognitos, qui Ecclesiæ doctrinam scriptis suis postea propugnarunt. Sanctus Iustinus, ut ipse testatur, postquam per diversas philosophiæ sectas veritatem quæsierat, tandem christianæ philosophiæ firmiter adhæsit. Etiam Tatianus, Athenagoras, sanctus Theophilus Antiochenus, Pantænus, Clemens Alexandrinus, Tertullianus, Minucius Felix cum sociis, sanctus Cyprianus, qui conversionem suam epistolâ ad Donatum elegantissimè describit, et Arnobius, qui pro idolorum cultu acerrimè antea pugnaverat. In omnibus his, aliisque viris sapientibus græcarumque litterarum peritissimis, triumphabat fides de idololatriâ validissimè armata, tum præiudiciis antiquissimis, tum moribus ubique regnantibus et legum quoque auctoritate sancitis, tum denique contortis falsæ philosophiæ telis, quæ humana ratio longo

tempore magnoque labore formaverat, et acuerat *(ib. n. 424 ad 435)*.

CAPUT XII.

Ecclesia hæresibus vitiisque vexata, sapientum doctrinâ et iustorum virtutibus tuta consistit.

Oportet hæreses esse 1. *Hæreticorum notæ* 2. *Gnostici* 3. *Sabelliani. Manichæi* 4. *Novatiani* 5. *Vitiorum scandala virtutibus dissipata* 6. *Hæreses vivâ voce et scriptis impugnatæ. Scripta apochrypha* 7. *Scripta virorum apostolicorum Barnabæ, Hermæ, Clementis Romani* 8, *Ignatii et Polycarpi* 9. *Aliorum Patrum, ut Iustini* 10, *Irenæi* 11, *Clementis Alexandrini, Hippolyti* 12, *Tertulliani* 13, *Origenis* 14, *Cypriani* 15, *Dionysii Alexandrini, Gregorii Thaumaturgi* 16, *Methodii, Victorini et Pamphili* 17. *Prioris ætatis scripta pauca sunt, sed sufficiunt* 18: *benignè interpretanda* 19.

§ I. Vidimus Ecclesiam de iudæorum calumniis, de tyrannorum tormentis, et de philosophorum argutiis gloriosè triumphantem. Videamus nunc quomodò plurium christianorum erroribus ac vitiis insectata, iustorum virtutibus et sapientum suorum scriptis tuta consistebat. Quando fideles per baptismum in Christo renascuntur, licèt à peccato originali mundentur, in ipsis tamen debilitas et ignorantia ex peccato procedentes remanent: unde consequens est, eorum animos in errores ac vitia facilè prolabi, sicut doloribus et infirmitatibus sæpè corpus affligitur. Hæc autem omnia in bonum electo-

rum suorum infinita Dei providentia dirigit : ut nempè his malis electi probentur et exerceantur, eorum vigilantia excitetur, humilitas perficiatur, constantis verò fidei cæterarumque virtutum merita augeantur, et ampliùs elucescant. Oportet itaque hæreses esse ac vitia : et cùm aliunde manifestè prænuntiatum sit futuros esse antichristos, falsos prophetas, et corruptæ doctrinæ magistros, iis Ecclesiam ferè semper vexari mirandum non est. Imò cum sancto Iustino dicendum, ex enatis hæresibus veros Christi discipulos in fide et spe firmiores fieri, quoniam quæ Dominus eventura prædixit completa cernunt. De hæresibus prioris ætatis et deinde de vitiis pauca dicamus *(Lib. IV. n. 436)*.

§ II. Licèt Apostolorum tempore plures essent antichristi, et Simonem magum, Hymenæum et Philetam atque Nicolaitas, Petrus, Paulus et Ioannes impugnaverint; nihilominùs post eorum omnium qui cum Christo collocuti fuerant mortem, frequentior erat numerus hæreticorum, et maior audacia. Eorum duos præcipuos characteres Tertullianus et Clemens Alexandrinus indicabant, quibus à catholicis facilè distinguerentur : nempè quòd hæreticus inquirere et seligere quid sentiat vult, non docilis credere : unde rationis suæ inventis aut discursibus tantùm acquiescit, non maiorum traditioni, aut Ecclesiæ iudicio. Contrà verò catholicus nil invenire vult vel seligere, sed quod Apostoli docuerunt docilis amplexatur : certus enim est, quòd Apostoli ipsi nil invenerunt, sed quam doctrinam à Christo Domino audierant, hanc discipulis fideliter tradebant. Quid autem Apostoli docuerint, seu quænam sit vera et constans christiana doctrina, catholicus domi suæ nempè in Ecclesiâ facilè adinvenit. Rursùs hæretici in diversas sectas more philosophorum dividi solebant, nominibus propriis passim ex sectæ institutore aut præcipuo capite desumptis *(ib. n. 437 ad 439)*.

§ III. Primus inter hæreticos, si tamen hoc nomine appellari potest, Simon magus fuit impius apostata; et primi sæculi fuerunt quoque Ebion, Cerinthus et Nicolaitæ. Horum plures errores ab illa orientali philo-

sophiâ nascebantur, quæ de origine mali speciatim disserens, duo principia bonum et malum fingebat, et *Gnosis* vocabatur, quasi *ad veri Dei agnitionem via* esset. Hinc ferè omnes hæretici prioris sæculi *Gnostici* vocari possunt; necnon sæculi secundi Saturninus, Basilides, Carpocrates, aliique plures: licèt hoc nomen iis præcipuè hæreticis datum sit, qui ex errore duorum principiorum absurdissima de Divinis, et pravissima de moribus scita colligebant. Gnosticis etiam accenseri possunt Valentinus cum suis *æonis,* et Marcion, qui in odium corporis austerissimè vivendum iubebat. Montanus prophetias fingens, à Deo ut mores reformaret se missum iactabat: et hi sunt hæreticorum sæculi secundi celeberrimi *(ib. n.* 440 *ad* 453*).*

§ IV. Sæculo tertio, omissis aliis minùs nominatis, Sabellius negabat Trinitatem Personarum; et Paulus Samosatenus aiebat Iesum-Christum Mariæ filium non fuisse Filium Dei, antequam filius esset Mariæ, sed in eius visceribus esse incepisse. Eodem sæculo sumebat initium terribilis Manichæorum hæresis, quæ philosophiam duorum principiorum, ut exponitur à Persis, nempè *Dei* qui gubernat lucem, et *Hyle* seu *dæmonis* qui regit tenebras, cum doctrina christiana componere satagit. Manichæi summam morum austeritatem servandam docebant, solùm tamen *electis,* seu præcipuis sectariis; cæteris, qui *audientes* vocabantur, commodè viventibus. Libros sacros veteris Testamenti opus esse principii tenebrarum affirmabant; Libros novi ut omninò fictos aut adulteratos contemnebant; et plures alios ipsis substituebant. Fidei doctrinam in iis omnibus quæ rationis captum superant, planissimè negabant. Quæ Manichæorum et Gnosticorum placita qui attentè consideret, non mirabitur si sanctus Iustinus hæreticos passim omnes sui temporis, etiam Valentinianos, inter atheos aut impios numeraverit; quasi nomen *christianorum* veluti sectæ cuiusdam philosophicæ sibi assumerent, et Iesum verum Deum nec agnoscerent, nec venerarentur *(ib. n.* 454 *ad* 458*).*

§ V. Circa dimidium sæculi tertii novatianam sectam

Novatus carthaginensis, et Novatianus romanus presbyter efformabant. Eos enim qui in persecutione Decii à Christo defecerant, aut in alia gravissima peccata lapsi fuerant, ab Ecclesiâ, pœnitentiam acturos, admitti posse negabant: quam inauditam severitatem cùm Cornelius romanus Pontifex exhorresceret, ab huius communione illi recedebant; et altare contra altare erigere, seu schisma aut dissidium in ecclesiâ Urbis causare versutè intentabant. Novatianus etenim cùm ex parvis Italiæ oppidis tres episcopos, viros imperitos, Romam adduxisset, ab ipsis in munus episcopatûs consecratus est: et commentitio zelo, quo adversùs eos qui persecutionis tempore lapsi fuerant clamabat, quosdam fidei confessores seduxit, et à Cornelii communione separavit. Huic schismati error quòd Ecclesia potestatem non haberet absolvendi seu reconciliandi eos qui post baptismum in idololatriam lapsi fuerant, iungebatur; et quamquam in ipsâ Urbe schisma feliciter ac promptè compressum aut extinctum fuit, tamen etiam extra Italiam perveniebat, et ad sequentem Ecclesiæ ætatem perdurabat *(ib. n.* 459 *ad* 467 *).*

§ VI. Sicut hæresibus, etiam vitiorum scandalis Ecclesiam iam Apostolorum tempore vexatam fuisse, ex istorum epistolis satis apertè colligitur. In iis enim vehementes diversorum et gravissimorum criminum reprehensiones passim leguntur. Atque toto etiam persecutionum tempore fideles plures corruptis mundi moribus fuisse passim abreptos, ex sancti Clementis epistolâ primâ ad Corinthios, et ex diversis sancti Cypriani operibus, ut alia non tanti ponderis testimonia omittam, abundè constat. Profectò quoties nova exoriebatur persecutio, plures christianos iam antea moribus fuisse gentiles, ipsa facilitas qua fidem abnegabant ostendebat: quod malum veri fideles gravissimè lamentabantur. At etiam aliquando sanctus Cyprianus vehementer dolebat quosdam fideles ex iis ipsis qui in tribunalibus fidem fortiter confessi fuerant, paulò post aut superbiâ elatos iurgia inter fratres causare, aut in impudicitiis abominandis volutari maximo cum totius populi christiani

opprobrio et scandalo. Nihilominùs christianos maximâ ex parte vitam duxisse labis omnis nesciam, atque singularibus virtutum exemplis conspicuam, manifestè patet ex historiâ martyrum, et eorum qui persecutionis tempore in desertis vel abditis locis austerissimè vivebant, ex relatione Plinii ad Traianum, ex apologiis christianorum, et ex omnibus illius ætatis documentis. Undequaque constat, extendendæ christianæ religionis zelum, felicis immortalitatis constantem spem, bonorum omnium terrenorum, gloriæ quoque mundanæ tranquillam contemptionem, atque summè alacrem erga proximos præcipuè egenos aut infirmos, etsi gentiles vel iudæos, commiserationem et charitatem, cæterasque virtutes quæ has comitare solent, fuisse apud christianos quàm frequentissimas *(ib. n. 462 ad 465)*.

§ VII. Harum virtutum fulgore vitiorum scandala dissipabat Ecclesia: sicut etiam hæresum tenebras luce doctrinæ, qua ipsius ministri populum diligenter illustrabant. Cùm verò populus episcopos avidus docilisque audiret, et episcopi vivâ voce assiduè laborarent ad instruendos in fide catechumenos, et ad fideles monendos et dirigendos ut ab atheorum et hæreticorum fraudibus vitiorumque illecebris sibi caverent; ideò pluribus scriptis, præter sacra, Ecclesia tunc non indigere videbatur. Sacros autem Libros summâ veneratione quasi Dei verba tam in Ecclesia quàm domi christiani legebant, et suscipiebant: et inde factum est quòd hæretici plures libros sacrorum auctorum nomine finxerint et evulgaverint, quos tamen à veris distinguere semper facilè licuit. His prætermissis, præcipuorum librorum, quos christiani sapientes priori ætate ediderunt, brevem indicem instituamus. Sanctorum Petri, Iacobi, et aliorum Apostolorum nomine libri *Liturgiæ* sive sacrorum aut publicorum rituum, qui orationes et ordinem continent celebrationis sacrificii Missæ, plures editi sunt. Qui neque sacris Libris adscribi possunt, neque ab ipsis Apostolis, quibus inscribuntur scripti censeri debent; sed multò post à viris ecclesiasticis, qui non eo consilio ut fallerent, sed bonâ fide liturgias eorum Apostolorum no-

mine decorabant, quoniam non nisi quæ ab illis dicta et facta in celebratione Missæ fuerant se scribere arbitrabantur. Unde ea quæ huiuscemodi libri continent, iam priùs quàm scriberentur usitata fuisse, iure colligitur *(ib.* 466 *ad* 468*)*.

§ VIII. Extat quoque epistola nomine sancti Barnabæ inscripta, quæ licèt ipsius non sit, magni tamen habenda est; quoniam abs dubio antiquissima est, et inter alia scitu digna, opportuna morum præcepta continet. Hermas, quem Paulus apostolus epistolâ ad Romanos salutat, opus edidit inscriptum *Pastor*, quod tres partes seu libros continet: *Visiones*, *Mandata*, et *Similia*. Hos libros ut sacros antiqui plures receperunt, non tamen omnes; imò Eusebius et Gelasius Papa eos apochryphos esse, seu è catalogo Librorum sacrorum removendos monent. Post canonicos tamen magnâ veneratione digni sunt; et à nobis cum sancto Athanasio illis annumerandi, quos legere debent qui cupiunt verbo pietatis institui. Pretiosa continent traditionis Ecclesiæ testimonia circa Angelos bonos hominum custodiæ destinatos, circa duplicem in Christo naturam, Divinam et humanam, remissionem peccatorum in baptismo, pœnitentiam, matrimonium, ieiuniorum utilitatem, distinctionem graduum episcopi, presbyteri et diaconi in ministerio ecclesiastico, et alia. Quapropter mirandum non est apud Tertullianum, postquam montanistis adhæsit, et apud plures hæreticos recentes *Pastorem* malâ audire. Clementis romani Pontificis duæ supersunt epistolæ ad Corinthios, in quarum primâ, quæ celebrior est, huius Ecclesiæ dissidia extinguere conatur: presbyteris à succesoribus Apostolorum constitutis parendum esse statuit: quòd horum aliquos corinthii expellere attentaverint, acriter reprehendit: et seditionis principes hortatur, ut presbyteris pareant, et verâ pœnitentiâ tantum facinus expiare conentur. Secunda Clementis epistola plura documenta christianis salutaria continet. Huic sancto Pontifici tribuebantur *Constitutiones Apostolicæ*, *Canones Apostolici*, et alia quædam opera, quæ ab

ipso certè scripta non sunt (*ib. n.* 469 *ad* 475). Et hæc de scriptis primi Ecclesiæ sæculi.

§ IX. Secundo ineunte, scriptæ videntur epistolæ sancti Ignatii Antiocheni, de cuius illustri martyrio capite decimo § V. mentionem fecimus. Nam præter epistolam ad Romanos ibi commemoratam, alias sex habemus, quæ genuinum sancti Ignatii opus abs dubio sunt, nempè ad Ephesios, ad Magnesios, ad Trallenses, ad Philadelphios, ad Smyrnæos, et ad sanctum Polycarpum. Ex his epistolis alios ac presbyteros episcopos esse, ministerium Ecclesiæ in matrimoniis christianorum, et alia gravissima doctrinæ et disciplinæ Ecclesiæ capita apertè colliguntur. Epistolas sancti Ignatii multùm commendabat sanctus Polycarpus episcopus Smyrnensis in suâ ad Philippenses epistolâ, quæ ex pluribus huius Sancti unica nunc extat. In câ Philippensibus congratulatur, quòd Ignatium, cùm Romam cruciandus iret, in eâ ecclesiâ recipere potuissent. Egregia documenta diversorum statuum fidelibus, et maximè presbyteris præbet. Et cùm Philippenses de presbytero in grave crimen lapso Sanctum interrogassent, ei veram pœnitentiam optat, cumque benignè recipi ut infirmum iubet. Demum eos monet, ut pro Regibus et Principibus, atque etiam pro persequentibus eos, et pro inimicis crucis Deum enixè orent (*ib. n.* 476 *ad* 478).

§ X. Scriptores hactenùs memorati inter viros apostolicos iure numerantur; hoc est Apostolorum discipuli fuere, aut cum illis conversati sunt, et ab ipsorum ore Iesu-Christi doctrinam didicerunt. His proximus fuit sanctus Papias, Hierapolis in Phrygiâ episcopus, qui Apostolos nunquam audivit; Polycarpum verò et alios Apostolorum discipulos amicos habuit. Papias verborum Domini traditiones multas collegerat, quibus ob nimiam credulitatem nonnullas fabulas iunxerat: at eius opera perierunt. Quæ supersunt sancti Iustini capite præcedenti indicavimus: ipse autem christianus philosophus non scriptis modò, sed etiam vivâ voce, gentiles plures ad fidem adducebat, et fideles indefessus instruebat: nam Romæ eius domus christianæ doctrinæ schola erat, et diversas

regiones semen Evangelii spargens peragravit. Nonnulla Iustini opera evanuerunt : omnia verò sanctorum episcoporum Melitonis Sardiani, Dionysii Corinthii, et Claudii Apollinaris Hierapolitani ; quorum fragmenta quædam, et ipsorum sanctorum præclara monumenta apud Eusebium servata sunt *(ib. n.* 479 *ad* 482 *)*.

§ XI. Post dimidium sæculi secundi florebat in Syriâ Bardesanes, vir dissertissimus, qui fidem nostram fortiter asserebat. Valentini tamen discipulus effectus est ; et quamquam fabulas esse illius dogmata postea cognovit, vetusti tamen erroris sordes penitùs non extersit. Plura laudanda scripta edidit, quæ omnia perierunt : etiam dialogus seu liber *De fato,* in quo liberum hominis arbitrium luculentissimè demonstrabat, et cuius memorabile fragmentum in Eusebio legimus. Periit etiam *Historia ecclesiastica,* quam Hegesippus primus omnium scripserat, et ex qua Eusebius non pauca sumpsit. Periere quoque scripta Miltiadis, Modesti, et Rhodonis, quorum tempore floruisse quoque videntur Theophilus Antiochenus, Athenagoras, et Tatianus, quos capite præcedenti commemoravimus. Irenæus, Lugdunensis ecclesiæ primò presbyter, deinde post mortem sancti Pothini episcopus, non modò eam ecclesiam, sed totas Gallias doctrinæ suæ radiis illustrabat, et charitatem suam ardentemque amorem pacis ad universam Ecclesiam extendebat. Plurima contra gentiles et hæreticos, et ad fideles in Christi doctrinâ firmandos et erudiendos scripsit. Ex quibus tantùm supersunt : *Detectionis et eversionis falsò cognominatæ agnitionis, seu contra hæreses* libri quinque : in quibus gnosticæ philosophiæ principia, et hæreses ex eâ pullulantes, præcipuè Valentinianam, solidissimè impugnavit ; ac christianorum quorumdam dogmatum, quæ posteriores hæretici negare ausi sunt, præclara testimonia reliquit *(ib. n.* 483 *ad* 486 *)*.

§ XII. Clementis Alexandrini et Minucii Felicis capite præcedenti mentionem fecimus. Clementis autem, etsi pleraque eius scripta evanuerunt, præter ea tamen quæ ibi indicavimus, extat liber inscriptus : *Quis dives*

salvetur, in quo divites salvos fieri posse ostendit, eisque præclara monita præscribit. Omnia Clementis opera sacrâ et profanâ eruditione plena sunt, et in eis christianarum veritatum maxima copia est; quamquam propositiones aliquæ à veritatis normâ deviæ in eis legantur, in quibus textum corruptum fuisse non immeritò iudicari potest. Serapionis Antiocheni, Pantæni Alexandrini, et Caii Romani, quamvis multa scripta ediderint, nulla nunc extant. Inter scriptores verò ecclesiasticos qui ineunte sæculo tertio floruerunt, celeberrimus fuit sanctus Hippolytus episcopus et martyr, cuius extant *Liber de Antichristo*, *Cyclus paschalis*, *Homilia de Theophaniâ*, et quædam fragmenta aliorum operum, et præcipuè *Commentariorum* quæ ediderat plurium sacrorum Librorum. Commentaria tamen *In Danielem* labente sæculo decimo octavo Romæ integra inventa et in lucem edita sunt *(ib. n. 487 ad 492)*.

§ XIII. Hippolyto coævus æstimari potest Tertullianus, vir celeberrimus, cuius diversa opera etiam nunc extant. In idolorum cultu educatus, et vitiis irretitus, scientias accuratè coluit, et in romano iure, litterisque etiam græcis maximè profecit. Nihilominùs martyrum constantiâ inter supplicia, ac potestate quam supra dæmones christiani exercebant validè commotus, Deique iudicia pertimescens, disciplinam christianam amplexatus est, et postea Montani erroribus infeliciter adhærebat. Præter eos libros, quos antecedenti capite memoravimus, extant adhuc Tertulliani *Tractatus de baptismo*, *De pœnitentiâ*, et *De oratione*: duo *Ad uxorem* libri, et alii *De præscriptione*, *De patientiâ*, *Scorpiacum* seu de bonitate et necessitate martyrii, *Ad martyres*, *De spectaculis*, duo *De cultu feminarum*, *Adversùs iudæos*, ex prophetiis et ex Ecclesiæ extensione Messiam iam advenisse probans; *Adversùs Hermogenem*, materiam æternam esse non posse ostendens, alioquin Deo non esset subdita, imò esset Deus; et *Adversùs Valentinianos*, quorum barbara nomina explicat, et errores impugnat. Extant quoque eius libri *De exhortatione castitatis* et *De idololatriâ*, in quibus severitate doctrinæ iam ad


BIBLIOTECA UNIVERSITARIA SEVILLA

montanistas accedere videbatur. Accesserat autem, dum libros *De animâ*, *De carne Christi*, *De resurrectione carnis*, *Adversùs Marcionem*, et *De pallio*, scribebat: se se montanistam apertiùs prodit in libris *De monogamiâ*, *De ieiuniis*, *De pudicitiâ*, *Adversùs Praxeam*, *De corona militis*, et *De fugâ in persecutione*, quam illicitam contendit: et tamen in his quoque operibus inter falsas Montani visiones et scita durissima, atque catholicorum quos psychicos vocare solet iniurias, plures etiam catholicas veritates confitetur et astruit. Singularis est huius auctoris stilus; et plurima in eius scriptis occurrunt ad dogmata et disciplinam Ecclesiæ cognoscenda opportunissima. Cautè tamen legendi sunt omnes eius libri aut tractatus, etiam quos catholicus scripsit, in quibus nonnullæ novæ opiniones inveniuntur. Alii erant Tertulliani tempore christiani, qui pro Ecclesiâ, aut de rebus ipsius scribebant; sed ferè omnia illorum opera desiderantur. Extant tamen Iulii Africani, qui laudatissimam *Chronologiam*, seu rationem temporum inter alia scripserat, *Epistola quædam ad Origenem de historiâ Susannæ*, et celebre fragmentum alterius *Ad Aristidem*, in quo Christi genealogia explicatur. Extat etiam magni nominis philosophi Ammonii Saccas *Concordia* seu *Harmonia evangelica* (*ib. n.* 493 *ad* 502).

§ XIV. Origenes, cuius vita morum austeritate et puritate fuit valdè mirabilis, quamquam discipulis formandis semper deditus, frequentissimis itineribus occupatus, et inimicitiis ex suâ promotione ad sacerdotium ortis acriter agitatus, innumera opera in lucem edidit. Præcipuus ipsius labor erat sacros Libros evolvere. Primò exemplaria plura eiusdem textûs vel cuiuslibet ex præcipuis versionibus inter se conferens, emendabat; et quæ versionum loca corrigenda sibi videbantur notabat. Deinde editiones illas magni pretii disponebat, quas *Exaplas*, *Octaplas*, etc. vocabat; quoniam in quatuor, sex, octo aut etiam novem columnis, ita textus sacræ Scripturæ et diversæ versiones scribebantur, ut in quolibet versu facilè textus et versiones omnes ad latus po-

sitæ conferri possent. Cuius operis quædam fragmenta, nullus verò liber integer superest. Triplicis quoque generis commentaria in omnes ferè sacros Libros edidit, nempè *Scholia* seu breves annotationes, *Homilias* seu familiares sermones ad populum, et *Tomos* seu volumina, in quibus allaboratâ oratione, singulus liber ab initio ad finem ordine exponebatur. Horum tamen commentariorum magna pars periit; et aliorum Origenis operum sequentia tantùm supersunt. *Duæ epistolæ*, in quarum altera authenticam esse Susannæ historiam asseritur. Libri *periarchon*, seu *de principiis*, in quibus fidei seu credendorum principia constituere animo proposuit. *De oratione*, in quo orandi utilitatem, necessitatem, et modum opportunum ostendit, atque orationem Dominicam explicat. *Exhortatio* ad martyrium, quam ad confessores amicos in carceres trusos dirigebat, eos sacræ Scripturæ sententiis hortans, ut spe cœlestis gloriæ et amore in Christum animati mundana omnia, contumelias, tormenta et mortem prorsùs contemnerent. Demum libri octo *contra Celsum*, capite præcedenti commemorati, qui rationum pondere, veritatum christianarum perspicuitate et copiâ, variæ doctrinæ seu omnigenæ eruditionis prudenti delectu, et stili gravitate et elegantiâ, admodùm Origenis omnia opera præstant. Cuius maiores inimici eius vitam et sapientiam magnis laudibus extollunt; fideliores verò amici plura in eius scriptis falsa irrepsisse fatentur. Ex quibus consequens est quòd, sicut de Tertulliano dicebamus, plura ex operibus Origenis, præcipuè ex libris contra Celsum, ad Ecclesiæ dogmata et disciplinam cognoscenda assumi possunt: cautè tamen legenda sunt. At videatur omninò gravissimum iudicium quod de Origene et eius scriptis S. Vincentius Lerinensis pronuntiat *(ib. n.* 503 *ad* 511*)*.

§ XV. Inter præcipua Ecclesiæ luminaria maximè fulgebat sæculo tertio sanctus Cyprianus: tum mirabili morum sanctitate ab ipso conversionis suæ tempore; tum singulari vigilantiâ qua, pacem inter Ecclesiæ, gregem suum doctrinâ et exemplis præsens pascebat et dirigebat; et etiam, persecutione vigente, dum exulare

aut delitescere cogebatur, ecclesiæ suæ bono providus consulebat; tum denique glorioso martyrio, et eloquentissimis ac solidissimis scriptis, quibus Ecclesiam totam mirificè illustrabat. De tanto viro antea mentionem fecimus, et iterum loquendi usus veniet : nunc eius scripta quæ supersunt numeranda sunt. Nempè liber seu *Epistola ad Donatum*, in quo mente et corde se fuisse feliciter immutatum baptismo recepto, eleganter describit. *Testimoniorum libri tres* adversùs iudæos, *De habitu Virginum*, *De unitate Ecclesiæ*, *De lapsis*, *De oratione Dominicâ*, *De mortalitate*, *De exhortatione martyrii*, *De opere et eleemosynâ*, *De bono patientiæ*, et *De zelo et livore*. Necnon tractatus *De vanitate idolorum*, et *Contra Demetrianum*, quorum capite præcedenti memoriam egimus. Supersunt quoque plures sancti Cypriani epistolæ, inter quas aliorum aliæ, v. g. cleri Romani et sancti Cornelii Papæ, inveniuntur. Sancti Cypriani scripta ex iis abs dubio sunt, in quibus theologici viri attentiùs frequentiùsque versari debent : in iis enim præcipua religionis nostræ dogmata solidè stabilita, Ecclesiæ disciplina accuratè ac magnificè repræsentata, et Evangelii doctrina moralis optimè exposita et validè commendata leguntur *(ib. n.* 512 *ad* 525*)*.

§ XVI. Ex variis scriptis quæ sanctus Dionysius Alexandrinus et alii viri ecclesiastici eiusdem temporis in lucem ediderant, non nisi quædam fragmenta, magni tamen pretii, supersunt. Plura etiam scripserat sanctus Gregorius; qui ob stupenda prodigia, quæ Deus eius precibus operabatur, *Thaumaturgus* vocatus est. Mirabili modo electus Gregorius episcopus Neocæsareæ in Ponto, cœlesti visione à sancto Ioanne in fide Trinitatis instruebatur, et quæ audierat protinùs scribens eam expositionem seu symbolum, manu propriâ scriptam suis successoribus legavit. Alexandrum magnæ sanctitatis virum, qui sub humili carbonarii famulatu ignotus vitam degebat, in episcopum Comanæ constituebat; et Neocæsaream urbem idololatram, in cuius conversione indesinenter laborabat, frequentibus prodigiis, et præcipuè gravissimam pestem à domibus quas visitabat avertens, omninò

christianam effecit. Huius sanctissimi viri usque hodie extant *Symbolum*, seu expositio mysterii Trinitatis, quam à sancto Ioanne audivit : *Panegyris* etiam in laudem Origenis magistri sui, quæ oratio eloquentissima est : *Epistola canonica*, in qua gradus pœnitentiæ publicæ indicati leguntur : *Paraphrasis* libri Ecclesiastes ; et etiam inter genuina ipsius opera numerari merentur tres sermones *De Annuntiatione Virginis*, et alius de *Theophaniâ* et baptismo Christi *(ib.* 524 *ad* 532 *)*.

§ XVII. Denique ante pacem Constantini Ecclesiam scriptis suis illustrabat sanctus Methodius, cuius extat celebris *de castitate* liber, quem *Virginum convivium* inscripsit : Theognostus, qui materiam æternam non esse, sed à Deo creatam, scriptis suis probabat : Archelaus qui acta disputationis suæ cum Manete scripsit : sanctus Victorinus Pictaviensis episcopus, cuius innumera scripta perierunt, et tantùm superest *Commentarius in Apocalypsim* stilo seu verbis humilis, sententiis autem sublimis : Pierius Alexandrinus presbyter qui prophetiam Osee explicaverat, et alia opera ediderat, quæ omnia desiderantur ; et ut cæteros mittam, magnus sanctus Pamphilus, cuius martyrium antea memoravimus. Sanctus iste in transcribendis libris indefessus laborabat : pingues opes suas in colligendis undequaque selectis voluminibus expendebat, et triginta millia in bibliothecâ, quam Cæsareæ fundaverat, moriens reliquit. Academiam christianam in eâdem urbe erexit : multa scripsit, et inter ea *Origenis apologiam* sex libris constantem. Cuius liber primus usque hodie extat, et sententiarum gravitate et rationum pondere solidissimus habetur. Extat etiam Pamphili *Actuum Apostolorum breve summarium*. Cætera ipsius opera perierunt *(ib. n.* 533 *ad* 536 *)*.

§ XVIII. Dum scriptores ecclesiasticos prioris ætatis, cuius scripta aliqua supersunt, omnes, aut capite præcedenti ut Ecclesiæ contra gentilium philosophiam defensores, aut in isto commemorare conati sumus, passim observatum est illorum ferè omnium aliqua, et sæpè plura opera periisse : multos etiam memoravimus cele-

bres scriptores, quorum nulla supersunt: plures alios similes designare possemus; et valdè verisimile est plures extitisse sapientes viros, qui multa scripserant, et tamen non modò libri sed eorum quoque memoria et nomen hominibus periere. In quo profunda Dei iudicia curiositatem nostram frenare volentis, sicut antea dum de paucis vitæ Sanctissimæ Virginis et Apostolorum monumentis agebamus, considerare oportet. Simul autem benignam Dei providentiam venerari, qua in scriptis, etsi paucis, quæ abs dubio ab illa ætate veniunt, integrum doctrinæ christianæ depositum, per traditionis canalem ad nostram usque ætatem transmissum esse, sufficientissimè ac solidissimè demonstratur *(ib. n. 537)*.

§ XIX. Iuvat etiam observare priorum sæculorum Patres, dum contra gentiles scribebant de mysteriis incomprehensibilibus, ut sunt illa Trinitatis et Incarnationis, sæpè obscurè fuisse locutos, quo gentilium irrisiones vitarent. Sæpè etiam, dum hæresim aliquam impugnabant, ad errorem, illi omninò è regione situm, id quod semper facilè fuit, accedere videbantur. Præterea diversis locis ac temporibus, ac præcipuè apud diversas philosophicas sectas iisdem vocibus non una mentis notio facilè respondet. Sic voces *Anima*, *Corpus*, *Substantia*, *Verbum*, et alias similes apud philosophos etiam gentiles passim usurpatas, facillimum est diverso sensu à Patribus trium priorum sæculorum fuisse acceptas ac à nobis; imò à sæculorum post prima euntium viris, præcipuè postquam aristotelica philosophia in locum sectarum quæ antea regnabant substituta, notiones, ac modi loquendi ad eas exprimendas, sensim obscurissimæ factæ sunt. Præterea notarios sive transcribentes frequentissimis gravibusque mendis scriptorum exempla sæpè deturpasse, nemo ambigit; et operum primæ istius ætatis codices antiqui nimis rari sunt, ut alius error aliorum collatione corrigatur. Perierunt quoque multa auctorum opera; quòd si illorum extarent omnia, quorum habemus nonnulla, fortè in eis clara legeretur veritatum confessio, quæ ab illis perperàm aut obscurè enuntiatæ videntur. Imò plura Sanctorum scripta ab hæreticis adulte-

rata seu corrupta fuisse, Patres ipsi iam tunc lamentabantur. Ex quibus concludendum est, à prudentis critices legibus deviare eos auctores, qui Patres trium priorum sæculorum, aut arianismi, aut aliorum errorum facilè accusant. Multis enim de causis excusandi sunt, non quòd error tunc inculpatus esset, sed quòd non erraverint, quamvis in eorum libris aliquæ propositiones legantur, quæ nunc prolatæ errorem enuntiare censendæ forent. Non inde tamen aut Tertullianus, aut Arnobius, aut alii ab iis erroribus immunes æstimari possunt, de quibus iam à Patribus secundæ ætatis passim accusabantur *(ib. n.* 538 *et* 539 *)*.

CAPUT XIII.

Ecclesiam gubernant Apostoli et eorum successores.

Attendenda Episcoporum successio 1, *præcipuè Romæ* 2. *Sæculi primi episcopi Romani* 3 : *alii notissimi* 4. *Res Ecclesiæ in Hispaniâ et generatim* 5. *Romana ecclesia à sæculo secundo usque ad Anicetum* 6 : *sub Sotere et Eleutherio* 7 : *sub Victore quæstio de die Paschatis* 8 : *alii episcopi* 9 : *schola Alexandrina et aliæ* 10. *Res Ecclesiæ in fine sæculi secundi* 11. *Millenarii in tertio* 12 : *horum plurimi post tranquillam concionem convertuntur* 13. *Conversio Natalis :* catacumbæ : *Romæ episcopi* 14 : *Fabianus : Romæ clerus sede vacante* 15. *Cornelius et eius clerici* 16. *Lapsorum reconciliatio : libellatici et* sacrificati *sive sacrificantes* 17. *Pueri recens nati baptizentur* 18. *Basilidis et Martialis hispanorum iusta depositio : Martinus Arelatensis schismaticus* 19. *De baptismo hæreticorum : Cypriani epistola ad Magnum* 20, *et alia : Stephani*

decretum de non innovando 21 : *frequentius hac de re Carthaginense concilium : Firmilianus* 22. *Hæc controversia seriò consideranda* 23 : *monitum S. Augustini* 24. *Res Ecclesiæ ad dimidium sæculi tertii* 25. *Ad episcopum Romanum de quadam difficultate verba fecit Alexandrinus ; et violatæ fidei accusatur* 26. *Æræ martyrum. In Marcellinum papam calumnia* 27. *S. Babylas Antiochenus. Paulus Samosatenus depositus* 28. *S. Dionysius Alexandrinus* 29. *S. Petri Alexandrini canones. Sanctus Alexander S. Narcissi administer* 30. *Canones Eliberitani et Apostolici* 31.

§ I. HACTENUS vidimus Ecclesiam ab inimicis suis multa pati, de omnibusque triumphare. Nunc quomodò res ipsius gubernatæ fuerint observemus ; quo facilè deprehendamus ministrorum eius successionem ab Apostolis ad finem usque prioris ætatis sine interruptione continuasse : ac proinde non humano sed Divino consilio Ecclesiam gubernari potuisse. Profectò vera Dei Ecclesia illa sola esse potest, quam IESUS-CHRISTUS instituit Apostolique propagaverunt : quæque depositum doctrinæ atque ritus et mores à Christo institutos accuratè servet : quod fieri non potest nisi per ministros continuâ successione ab Apostolis, atque adeò ab ipso Christo, descendentes gubernetur. Hinc Tertullianus contra hæreticos generatim arguebat, quòd suarum ecclesiarum originem ab Apostolis non esse, ex ipsâ suorum episcoporum serie demonstrabatur, quorum nullus Apostolus, vel ab Apostolis institutus fuerat. Plurium ecclesiarum apostolicarum, seu ab Apostolis fundatarum, in Actibus Apostolorum, Epistolis canonicis, Apocalypsi, et etiam in probatis antiquitatis ecclesiasticæ monumentis memoria superest. Præter quas ingentem fuisse aliarum ecclesiarum apostolicarum numerum dubitari vix potest. Etenim Apostoli in urbibus, in quibus prædicabant, discipulos suos novarum ecclesiarum regimini constituebant; imò discipulos ad alias ecclesias formandas sæpè mittebant. Nempe hoc erat unum ex præcipuis Apostolici muneris officiis, sine quo Ecclesia per tot provincias ac

earum populos extendi non potuisset. Hinc obiter observandum, non facilè contemnendas esse plurium ecclesiarum antiquas et constantes traditiones, quibus innixæ ab aliquo ex Apostolis, aut immediatis Apostolorum discipulis, fundatas fuisse gloriantur.

§ II. Ut autem veram fidem et traditionem ab Apostolis descendentem agnoscamus, non opus est omnium apostolicarum ecclesiarum successionem indagare, et omnium fidem et traditionem accuratè perquirere, sed sufficit ecclesiam Romanam omnium principem convenire. Ita docebat sanctus Irenæus. Cùm enim *ad eam traditionem quæ est ab Apostolis, quæ per successiones presbyterorum in ecclesiis custoditur,* hæreticos provocasset, opportunè monet non ad omnes apostolicas ecclesias esse confugiendum, sed ad hæreticos confundendos satis esse *eam traditionem et fidem, quam Romana ecclesia omnium maxima et antiquissima, et omnibus cognita, et fundata à gloriosissimis Petro et Paulo, habet ab Apostolis, usque ad nos pervenientem per successiones episcoporum suorum. Ad hanc enim ecclesiam propter potiorem principalitatem necesse est omnem convenire ecclesiam, hoc est, eos qui sunt undique fideles.* Hæc et alia similia sanctus Irenæus *(Lib. IV. n.* 540 *ad* 543 *).*

§ III. Romanam ecclesiam, etiam vivente sancto Petro, ut eius vicarii, Linus, Cletus et Clemens gubernasse videntur, dum scilicet sanctus Petrus, ob frequentia sua ad alias ecclesias de novo erigendas aut visitandas itinera, aberat. Post martyrium verò sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, primus Romanam ecclesiam ut sancti Petri successor gubernavit sanctus Linus, cuius meminit sanctus Paulus. Lino successit sanctus Cletus vel Anacletus, qui unus et idem sub duplici nomine fuisse videtur. Anacleto autem successit Clemens, quem ipse sanctus Petrus episcopum consecravit; sanctus verò Paulus inter eos numerat quorum nomina in libro vitæ scripta sunt. Clementis tempore ecclesiam Romanam ecclesia Corinthi conveniebat, dissidiorum quæ in eâ mota fuerant rationem reddens, et remedium postulans. Clemens verò ecclesiæ Romanæ nomine potentissimas

litteras mittebat, dubia declarans, et perturbatores pacis pœnitentiæ subiici præscribens, ut antea diximus. Et hæc Clementis epistola post multos annos tam Corinthi, quàm in aliis ecclesiis passim legebatur *(ib. n.* 540 *)*.

§ IV. Antiochenam ecclesiam post sanctum Petrum gubernavit primò Evodius, deinde Ignatius, ambo Apostolorum discipuli. Ignatius in epistola ad Romanos, Syriæ episcopum se dicit : unde facilè intelligas, quòd cùm Antiochia totius Syriæ caput seu metropolis esset, iam tunc Antiochiæ episcopus ut caput omnium ecclesiarum Syriæ habebatur ; adeòque postea nomine *Patriarchæ* insignitus fuit. Ignatii tempore ecclesia Antiochena sub Traiano diversis procellis agitata est. Ignatii autem oratione ac ieiuniis, doctrinâ et exemplis, non solùm immota permansit, sed magna incrementa sumpsit. In ecclesiâ Alexandrinâ sancti Marci successores fuere primò Anianus, deinde Abilius, et postea Cerdon, qui omnes ipsius sancti Evangelistæ discipuli fuisse videntur. Ierosolymitanam ad annum usque centesimum septimum gubernavit Simeon, immediatus sancti Iacobi successor *(ib.* 541 *et* 542 *)*.

§ V. Sub finem prioris Ecclesiæ sæculi maximè dilatatam fuisse Ecclesiam non modò in regionibus orientalibus, sed etiam in occidentalibus, ex iis quæ de Apollinari Ravennatensi, Dionysio Parisiensi, Paulo Narbonensi, et aliis ecclesiarum in Galliâ et Italiâ primis episcopis seu fundatoribus sensati auctores referunt, sat coniici potest. Certiùs autem ex documentis Hispaniæ nostræ, eò quidem quòd in extremis Europæ terminis ad Occidentem sita est. Eam Apostoli Iacobus et Paulus perlustrarunt ; et quidem ille præcipuè provincias occidentales et boreales, iste autem per orientales ingressus. Uterque verò abs dubio in omnibus civitatibus quas percurrebat, gentiles quosdam ad fidem traxit, eos in cœtus collegit, quibus præsides episcopos seu presbyteros præfecit, nempè aliquas ecclesias erexit. Præterea probatæ fidei antiquis monumentis nobis constat, septem apostolicos viros Torquatum et socios ab Apostolo Petro missos ; et etiam, ut quibusdam videtur, sancti

Iacobi discipulos ad meridionales Hispaniæ seu Bæticæ oras appulisse, inde ad Abulam usque nonnullas ecclesias fundasse. Ex quibus omnibus Evangelii semen ante prioris Ecclesiæ sæculi finem per totam Hispaniam seminatum fuisse, verisimillimum est. In Hispania tamen sævissimam fuisse Neronis persecutionem antea diximus; et tam Romæ quàm Antiochiæ, cæterisque Orientis et Occidentis regionibus, tum Neronis et Domitiani iussu, tum ex gentilium et iudæorum odio, christianos toto sæculo passim fuisse vexatos, in dubium vocari non potest. Etiam hæreticos plures in Ecclesiam iam tunc insurrexisse observavimus. Veram tamen fidem speciali auctoritate ac vi ad finem usque sæculi defendebant viri apostolici, qui cum ipso Domino nostro Iesu-Christo conversati fuerant, aut saltem ab ipsorum Apostolorum ore doctrinam Christi susceperant. Etenim circa annum vulgaris æræ centesimum vivebat adhuc Ephesi in Asia sanctus Ioannes apostolus, et plures in aliis ecclesiis erant adhuc episcopi Apostolorum seu Evangelistarum discipuli, ut Romæ sanctus Clemens, Antiochiæ sanctus Ignatius, Alexandriæ sanctus Cerdon, Ierosolymis sanctus Simeon, Smyrnæ sanctus Polycarpus, et Ephesi sanctus Onesimus *(ib. n.* 543 *ad* 545 *).*

§ VI. Clementi, anno Christi centesimo, Evaristus succedebat; cuius tempore fide, charitate aliisque virtutibus florentissimam fuisse Romanam ecclesiam, ex epistolâ sancti Ignatii ad Romanos constat. Post Evaristum eam ecclesiam successivè gubernarunt Alexander, Sixtus, Telesphorus, Higinius, Pius circa dimidium sæculi secundi, et post eum Anicetus. Quidam hæretici, præcipuè Valentinus et Marcion, per ea tempora Romam adeuntes, eam ecclesiam erroribus suis dirè vexabant: defendebant autem non modò ipsi romani Pontifices, eorumque presbyteri, sed insignes quoque fidei præcones, in Urbem opportunissimè è longè venientes. Etenim sub Pio Romam accedebat sanctus Iustinus, ibique, ut diximus, scholam christianam regebat. Sub Aniceto sanctus Polycarpus, qui Romanæ ecclesiæ fidem eandem esse, quam ipse ab Apostolis didicerat, altè clamabat.

Et paulò post Hegesippus qui etiam veram fidem ab Apostolis continuatâ successione ad Anicetum pervenisse probabat. Aniceto Ecclesiam gubernante, Peregrinus philosophus cynicus, postquam se christianum esse aliquamdiu simulaverat, in flammas se se proiiciens, horrendam sibi mortem inferebat: qua occasione impius Lucianus, etsi impotenti odio contra christianos præoccupatus, eos fatebatur liberalissimè succurrere omnibus qui causâ fidei patiebantur *(ib. n.* 546 *et* 547 *).*

§ VII. Romana ecclesia iam inde ab ipso religionis exordio magnis subsidiis succurrere solebat fratribus et etiam ecclesiis remotissimis, præcipuè persecutionum aut aliarum calamitatum tempore. Quod et sanctus Soter, Aniceti successor, non solùm præstitit, sed abundantiùs præstitit, tum munera copiosè subministrans, tum fratres, tamquam liberos suos pater amantissimus, blandis sermonibus consolans. Ita testatur Dionysius tunc perillustris corinthiorum episcopus, addens epistolam, qua Soter dona sua Corinthum misit, in hac ecclesiâ perpetuò legendam fore, utpote præceptis ac documentis optimis abundantem. Sub hoc Pontifice christiani milites exercitûs Marci Aurelii prodigiosam pluviam à Deo impetrabant. Soteri succedebat sanctus Eleutherius, ad quem martyres lugdunenses scribebant, et Irenæum tunc presbyterum mittebant, enixè deprecantes, ut novas Montani prophetias et dissidia, quæ eius sectatores in Ecclesiâ seminabant, compesceret et subitò suffocaret. Etiam Lucius Britanniæ Rex, fidem Christi profiteri desiderans, legatione missâ ad Eleutherium postulabat, ut viri docti ipsum et eius populum instructuri, à Pontifice in Britanniam mitterentur *(ib.* 548 *ad* 550 *).*

§ VIII. Eleutherii locum tenebat Victor, qui ab anno centesimo nonagesimo secundo ad primum sequentis sæculi Ecclesiam contra hæreticos strenuè propugnabat, et nonnullis libris latinè scriptis illustrabat. Tunc maximè effervescebat de die Paschatis iam antea mota controversia, de qua nonnihil dicendum est. Ecclesia Ephesi cæteræque Asiæ proconsularis festum Paschæ diem ipsâ

quartâ decimâ lunâ celebrabant, atque ipso die, quicumque septimanæ fuisset, finem ieiuniis imponebant. Romana verò aliæque omnes ecclesiæ, non aliâ septimanæ die quàm dominicâ, ieiuniis paschalibus seu quadragesimæ terminum imponendum, et mysterium Resurrectionis Domini celebrandum iubebant. Atque illæ exemplo sancti Ioannis apostoli, sancti Polycarpi et aliorum nitebantur: istæ auctoritate aliorum Apostolorum, et constanti usu omnium ecclesiarum, asiaticis illis exceptis. Aniceti tempore cùm beatissimus Polycarpus Romam venisset, et de rebus Ecclesiæ cum Aniceto ageret, de cæteris ambo facilè conveniebant; at circa diem Paschatis uterque in suâ opinione eiusque ecclesiæ praxi permansit; et nihilominùs pacem communionemque inter se amicissimè conservarunt, et Anicetus consecrandi munus in ipsa sua ecclesia Polycarpo honoris causâ concessit. Ante Victorem cæteri omnes romani Pontifices asianas ecclesias more suo Pascha celebrare sinebant. Victor autem synodos episcoporum hac de re ubique celebrari curabat; et omnes uno consensu celebrandum Pascha die dominicâ tradiderunt, præter synodum Asiæ proconsularis, cui Polycrates Ephesinus episcopus præerat, quæ morem suum constanter defendebat. Victor receptis synodorum epistolis, asiaticum morem proscribendum, easque ecclesias eodem dominico die festum Resurrectionis et ieiuniorum finem cum cæteris omnibus celebrare iubebat: renuentes verò ab unitate Ecclesiæ separandos vel declarabat, vel minabatur. Tunc Irenæus iam Lugdunensis episcopus Victorem decenter admonebat, ne integras Dei ecclesias morem sibi à maioribus traditum custodientes à communione abscinderet: id quod decessorum ipsius Victoris exemplo, et aliis etiam circa ieiunium variis moribus toleratis, efficacissimè persuadebat. Nec irrita fuerunt Irenæi vota: pax enim integra mansit; et de die Paschatis usque ad Nicæense concilium non ampliùs disputatum videtur. Præter concilia super quæstione de die Paschatis, alia plura sæculo secundo contra montanistas celebrata fuisse tradit Eusebius *(ib. n. 551 ad 554)*.

§ IX. Romanorum episcoporum sæculi secundi continuatam seriem texuimus. Quosdam ex insignioribus aliarum ecclesiarum memoremus. In Antiochena maximè enituit sanctus Theophilus zelo defendendæ fidei scriptis suis, ut antea diximus. Item sanctus Serapion, qui evangelium sancto Petro tributum primò contempsit, sed postea impugnavit, quando occasione illius quosdam in hæresim incidisse novit. Alexandrinam ecclesiam quadraginta tribus annis rexit Demetrius, qui cùm Origenem priùs protexisset, postea eum severè insectatus est. Demetrii tempore complures sapientes viri, divinâ quadam æmulatione succensi, ad prædicandum Evangelium nationibus Orientis properabant ; quos inter celeberrimus Pantænus ad Indos usque penetrasse dicitur. Ierosolymorum episcopus labente sæculo secundo fuit sanctus Narcissus, vir in multis mirabilis, præcipuè verò profundâ humilitate, qua, cùm atrocis criminis admodùm calumniosè accusaretur, episcopatui renuntiavit, et aliquot annis in eremo latuit. De ipso sequenti sæculo erit iterum loquendi locus *(ib. n.* 555 *et* 556 *).*

§ X. Aliorum celebrium secundi sæculi episcoporum apud antiquitatis scriptores memoria superest. Hìc autem uno aspectu præcipuos præsentare sufficiet, qui exeunte sæculo simul diversas ecclesias gubernabant. Quatuor præcipuæ à memoratis Victore, Serapione, Demetrio et Narcisso, viris celeberrimis, id temporis regebantur. Lugdunensi præerat Irenæus, Ephesinæ Polycrates, Bachilus verò ecclesiæ Corinthi, et Cæsareæ in Palæstinâ S. Theophilus. Ecclesiam eodem tempore illustrabant Caius romanus, et magis alexandrini Pantænus, Clemens, et Origenes. Et quidem hac in urbe iam inde à priscis temporibus sacrarum litterarum schola, ad instar antiqui ipsius musæi, fuerat instituta. Huius præsides tres istos præcelsos viros successivè fuisse novimus : ante illos præsidem ullum nescimus. Quoniam verò Alexandrinam scholam etiam ante Pantænum celeberrimam fuisse constat, licèt nulla pro eo tempore ipsius memoria supersit, et etiam florentissimam scholam Cæsareæ in Palæstinâ extitisse, quamvis de eâ pauca sciamus ; non immeritò,

licèt aliarum similium scholarum rarum vel nullum monumentum supersit, colligere possumus iam ab eo sæculo christianos viros, in sacris et profanis scientiis apprimè versatos, scholas, ut Romæ Iustinus, passim erexisse, et in eis etiam humanas disciplinas docuisse, ut hac ratione opportunior, et persecutionum tempore securior, alliciendi iuvenes ad Christi fidem via pateret *(ib. n.* 557 *ad* 560 *).*

§ XI. Ecclesiam labente sæculo secundo et ineunte tertio adeò per orbem diffusam cernimus, ut Tertullianus tunc observaverit, præter eos populos quos Actus Apostolorum in primâ solemni Evangelii per Apostolos promulgatione memorant, Evangelium prædicatum esse apud romanos, getulos, mauros, per totam Hispaniam, per plures Galliarum regiones, apud britannos, sarmatas, dacios, germanos, scythas, et alias gentes, regiones et insulas romanis ignotas. Et quamquam modicus in aliquibus regionibus esset christianorum numerus, erat tamen pluribus in locis adeò frequens, ut inde idolorum templa mansisse deserta gentiles conquererentur. Erant etiam adhuc frequentia in christianis Dei extraordinaria dona, quibus dæmones ab obsessis expellebant, futura prædicebant, infirmos sanitati, mortuos etiam vitæ restituebant, atque aliis prodigiis Divinam virtutem præ se ferentibus, Divinam quoque esse doctrinam suam comprobabant. Ita dum Ecclesiam Deus immani persecutorum odio, et mundanæ philosophiæ atque hæresis fraudibus vexari permittebat, eam quoque multis modis sustentabat : quod sæpè observandum, et præ oculis iugiter habendum est *(ib. n.* 561 *ad* 563 *).*

§ XII. Sed ad tertium sæculum accedamus. Anno ducentesimo primo, Victore vitâ functo, eligebatur romanus Pontifex sanctus Zephyrinus, sub cuius pontificatu Caius presbyter Proclum montanistam, et Cerinthum millenariorum principem impugnavit. *Millenarii*, seu *Milliarii*, aut *Chiliastæ*, illi vocati sunt, qui de futuro adventu Iesu-Christi in terram cum gloriâ et maiestate loquentes, aiunt tunc ad mille annos, seu longo temporis tractu, in terrâ Dominum permansurum, et

cum eo Sanctos in terrâ regnaturos: nempè opinantur in ipso secundo Christi adventu futuram primam resurrectionem, in qua excelsos sanctitate viros tantùm resurrecturos ponunt, eosque cum Christo longissimo tempore regnaturos; donec fiat resurrectio secunda, seu omnium hominum, quam iudicium universale et sententia pœnæ aut præmii æterni immediatè consequentur. Hanc opinionem plures sancti viri defendebant; et, ut monet sanctus Augustinus qui eam primò tenuerat et postea reiecit, tolerabilis esset, si in illo regno, seu sabbato mille annorum, deliciæ spirituales adfuturæ Sanctis Domini præsentiâ crederentur. Intolerabilis autem omninò est, prout eam Cerinthus et ferè omnes priorum sæculorum hæretici, præcipuè iudaizantes, defendebant; nempè sanctos viros immoderatissimis carnalibus epulis et delectationibus tunc deditos effingendo (*ib.* 564 *et* 565).

§ XIII. His accessisse videtur Nepos Ægypti episcopus, qui edito libro quem inscripsit *Confutatio Allegoristarum,* promissiones factas Sanctis in sacris scripturis nimis ad litteram sensu iudaico capiebat, et regnum mille annorum corporalibus refertum deliciis in terrâ fore affirmabat. Nepotis opinionem acriter impugnabat sanctus Dionysius, Alexandrinus in libris *De promissionibus;* et cùm Nepotis, viri profectò venerandi, doctrina schismatum in Arsinoiticâ præfecturâ occasio esset, eò profectus Dionysius, presbyteros et doctores in concionem vocat, et Nepotis liber summâ pace et ordine ad tres continuos dies discussioni subactus, et cum sacris Libris collatus est. Atque doctrinæ Nepotis præcipuus defensor et signifer oppositis argumentis se convictum fatebatur, nunquamque ampliùs de eâ disputaturum ac locuturum promittebat: quo perfecta pax, reconciliatio et consensio magno omnium plausu restituta est (*ib. n.* 566).

§ XIV. Eiusdem Zephyrini tempore, discipuli cuiusdam Theodoti, qui ob negatam Christi Divinitatem à Victore fuerat ab Ecclesiæ communione remotus, Natalem, qui fidem in persecutione generosè confessus

fuerat, seduxerunt; eumque ut, accepto salario, sectæ illius episcopus crearetur induxerunt. Natalem ut à tanto crimine removeret, misericors Dominus in somniis sæpè monebat: at incassùm; donec nocte quadam à sanctis Angelis gravissimè verberatus est. Tunc primò diluculò ad pedes Zephyrini episcopi se abiecit, fidelium sæcularium genibus etiam procumbebat, et magnis fletibus Christi et Ecclesiæ misericordiam implorabat. Tandem iteratis precibus, et ostensis vibicibus plagarum quas pro Christi confessione pertulerat, ad communionem admissus fuit. Zephyrino, cùm annis ferè octodecim Ecclesiam rexisset, sanctus Calixtus successit, qui unum ex cæmeteriis subterraneis seu *catacumbis*, quas Prudentius et Hieronymus postea describebant, aut ampliavit aut de novo construxit. Profectò cum ingens christianorum in Urbe numerus foret, christiani verò simul cum gentilibus consepeliri, aut in profanis sepulcris condi exhorrescerent; mirandum non est, plura fuisse christianorum propria cæmeteria etiam in arenariis, aut in *catacumbis*: quorum capacitatem ampliari ad reliquias martyrum cum honore collocandas, et ad sacros conventus persecutionum tempore securiùs celebrandos, opportunissimum fuit (*ib. n.* 567 *et* 568).

§ XV. Deficiente Calixto, Romanum episcopatum suscepit sanctus Urbanus: et deinde anno ducentesimo trigesimo sanctus Pontianus, sub quo dissidia propter Origenis ordinationem nascebantur, et sæva item Maximini persecutio, in qua Pontianus in insulâ Sardiniâ exulans pro fide Christi moriebatur, et eius successor sanctus Antenus post paucos episcopatûs menses martyr occumbebat. Tunc singulari miraculo disponebat Deus, in episcopum Romæ eligi Fabianum, qui Galliarum Apostolus dici potest, quoniam celebres fidei præcones in eas provincias misit, ad illam extendendam atque firmandam. Sub initio persecutionis Decii, anno ducentesimo quinquagesimo, Fabianus martyrio coronabatur. Decius verò tranquilliùs audivisset levari adversùm se æmulum principem, quàm constitui Romæ Dei sacerdotem: unde nova electio multùm differebatur; et interea Roma-

nus clerus, confessorum auxilio, lapsorum pœnitentiæ, cæterisque Ecclesiæ necessitatibus, coactis synodis, et ad ecclesias distantes datis litteris, magno zelo providebat *(ib. 569 ad 571)*.

§ XVI. Tandem post sexdecim menses Cornelius presbyter romanus, vir scientiâ et virtute conspicuus, ad sacerdotii sublime fastigium ascendebat. Erant tunc Romæ presbyteri quadraginta quatuor, et ut videtur, totidem basilicæ christianæ, septem diaconi totidemque subdiaconi, acolythi duo et quadraginta, exorcistæ et lectores cum ostiariis quinquaginta duo, viduæ denique cum infirmis et egentibus plùs quàm mille et quingentæ: quibus universis gratia et benignitas Dei alimenta suppeditabat. Contra Cornelium schisma movebat Novatianus, ut diximus capite præcedenti: et sanctus Cyprianus magno zelo et prudentiâ pro Cornelio et pro unitate Ecclesiæ pugnabat. Uterque autem in ordinandâ iuxta Ecclesiæ doctrinam reconciliatione lapsorum contra errorem duritiemque Novatiani, et contra nimiam quorumdam indulgentiam, efficacissimè laborabat *(ib. 572 et 573)*.

§ XVII. Sunt quædam epistolæ, quibus nimias lapsorum et suorum protectorum instantias tempore persecutionis è loco sui recessûs Cyprianus temperabat: et eâ cessante concilium anno ducentesimo quinquagesimo primo celebrabat, in quo Felicissimum eiusque in schismate socios, qui aliunde lapsorum impatientiam fovebant, ob quædam crimina ab Ecclesiæ communione separabat. Lapsos reconciliari posse, contra Novatum declarabat; pœnitentiam verò magis vel minùs diuturnam pro uniuscuiusque circumstantiis ipsis imponendam decernebat. *Libellaticos* monebat cum *sacrificatis* æquandos non esse: hoc est, eos qui sacrificium nefandum re ipsâ obtulere, cum iis qui, ne offerrent, pecuniâ sibi compararunt libellum, quo eos iam sacrificasse dicebatur. Itaque *libellaticos* statim admitti debere statuebat: *sacrificatos* verò saltem in articulo mortis, et quotiescumque nova persecutio moveretur, dummodò veram pœnitentiam, seu verè pœnitentem animum præ se ferrent. Demum episcopos et alios Ecclesiæ ministros in

idololatriam lapsos admitti posse ad pœnitentiam decernebat : ita tamen ut sacerdotii sui honoribus orbati manerent. Omnia hæc concilii decreta Cyprianus ad Cornelium misit, qui sexaginta episcoporum et plurium presbyterorum concilio Romæ convocato, ea probavit, et cæteris ecclesiis communicavit. Interea Novatiani schismatici contra sanctum Cornelium non solùm Romanum clerum et populum, sed Orientis episcopos, et præcipuè illos Africæ commovere conabantur ; sed frustrà : imò aliqui confessores Romanæ ecclesiæ quos seduxerat, ad Cornelii communionem revertebantur *(ib. n.* 574 *ad* 579 *).*

§ XVIII. Novo Carthaginensi concilio in causâ lapsorum anno sequenti celebrato, pœnitentes omnes protinùs reconciliantur, et ad communionem admittuntur, ob imminentem persecutionem. Decernitur etiam pueros recens natos esse baptizandos, quin octavum diem præstolari necesse sit aut opportunum. Paulò post concilium scribens ad Cornelium Cyprianus, se excusabat quòd de schismatici cuiusdam ordinatione ad eum non retulisset. Cornelius verò eodem anno ducentesimo quinquagesimo secundo martyrio coronabatur. Etiam Lucius eius successor post sex pontificatûs menses. Et tunc Romanus episcopus consecrabatur sanctus Stephanus, de cuius episcopatu tres extant inter epistolas sancti Cypriani memoriâ dignissimæ : quarum una ad ecclesiam hispanam spectat, alia ad gallicanam, et tertia ad universam *(ib.* 580 *ad* 583 *).*

§ XIX. Romam ad sanctum Stephanum confugêre Basilides et Martialis hispani episcopi, qui è suis sedibus eiecti fuerant, utpote libellatici et aliorum criminum rei, et Stephanum rei veritatis ignarum fefellerunt. In Hispaniâ verò eorum loco Felix et Sabinus ritè episcopi electi et constituti fuerant. Cùm verò ex protectione, qua depulsi apud romanum Pontificem fruebantur, magna dissidia inter hispanos facilè nascitura forent, Ecclesia Legionis, Asturicæ et Emeritæ, aut ipsæ solæ, aut simul cum aliis, africanos episcopos de re tam gravi consultabant. Felix quoque Cæsaraugustanus episcopus

aliis litteris suis quod gestum fuerat renuntiabat; et ipsi electi Sabinus et Felix Carthaginem profecti litteras concilio tradiderunt. Africanis episcopis, post rem in synodo examinatam, hispanorum sententia contra Basilidem et Martialem, atque aliorum episcoporum in ipsorum locum institutio, iustæ et sustinendæ videbantur. Et Cypriani et aliorum triginta sex episcoporum nomine, synodus illis ecclesiis epistolâ dignissimâ ut legatur respondebat. Eundem sanctum Stephanum deprecabatur sanctus Cyprianus, ut Martianum Arelatensem episcopum, virum schismaticum, ab illâ sede et ab Ecclesiæ communione deturbaret (*ib n.* 584 *ad* 588).

§ XX. Inter hos præclarissimos sanctos Stephanum et Cyprianum, magna deinde nata est controversia; an scilicet baptizati ab hæreticis dum ad catholicam fidem convertebantur essent iterum baptizandi: de cuius disputationis historiâ nonnulla dicenda sunt. Saltem ab initio tertii sæculi invaluerat in Africâ consuetudo baptizandi omnes qui ab hæresi ad fidem catholicam accedebant, quamquam priùs fuissent ab hæreticis baptizati. Dubitabatur postea, an essent quoque baptizandi, qui in schismaticâ novatianorum factione baptizati iam fuerant. Hanc dubitationem Magnus presbyter sancto Cypriano decidendam per epistolam proponebat; et Sanctus ei rescribens firmiter asseverabat, neque hæreticos, neque schismaticos, nullum omninò qui extra unitatem Ecclesiæ foret, posse baptismum *validè* ministrare, hoc est ritè et verè. Quæsierat etiam Magnus, an illi qui in infirmitate, atque adeò non infusione sed solâ aspersione baptizabantur, *validè* baptizati seu legitimi christiani habendi essent: et S. Cyprianus respondebat, in iis aspersionem aquæ instar salutaris lavacri obtinere, seu eos *validè* baptizari, atque gratiam baptismi hac de causâ minimè debilitari (*ib.* 589 *ad* 593).

§ XXI. Fidem habere et intra Ecclesiam esse eum qui baptismum conferret, necessarium esse affirmabat sanctus Cyprianus anno sequenti, ducentesimo, ut videtur, quinquagesimo quinto æræ vulgaris, in concilio triginta et unius episcoporum; et item epistolâ ad Quin-

tum, in qua contra se pugnare non negans antiquam Ecclesiæ consuetudinem, eam petitis è ratione argumentis, ad speciem validis, infirmare conabatur. Anno sequenti frequentius concilium, nempè septuaginta unius episcoporum, idem decretum ratum habebat; aliudque ferebat, quo presbyteros et diaconos ab hæresi et schismate ad hæresim redeuntes, quamvis antea fuissent in Ecclesiâ ritè ordinati, solùm ad communionem, ut laicos, admittendos esse decernebatur. Utrumque decretum ad sanctum Stephanum Romanum episcopum Cyprianus mittebat. Pontifex verò de valore baptismi extra Ecclesiam collati altè silens, nil innovari iussit, sed antiquam servari consuetudinem recipiendi baptizatos ab hæreticis absque novo baptismate (*ib. n.* 594 *ad* 600).

§ XXII. Tam prudenti decreto pontificio sanctus Cyprianus non acquiescit: nullius valoris esse baptisma extra Ecclesiam collatum asserere pergit: decretum sancti Stephani acriter impugnat; et concilium congregat, in quo africani episcopi octoginta quinque conveniunt, et sigillatim omnes sententiam suam, ut plurimùm aliquo argumento roboratam, dicentes, unâ voce concludunt baptismum ab hæreticis ministratum esse prorsùs invalidum. Huius concilii acta Cyprianus mittit ad Firmilianum Cæsareæ in Cappadociâ episcopum, ubi africanus mos invaluerat, et Firmilianus Cypriano rescribens in sanctum Stephanum impotenter invehebatur (*ib. n.* 601 *ad* 604).

§ XXIII. Hæc vehemens inter duos præclaros sanctitate viros concertatio ut attentè consideretur dignissima est. In qua statim se se offert decreti pontificii prudens œconomia, qua dogmatis fide tenendi decisionem in tempus opportunius differens, de disciplinâ tantùm agebat, seu quid agendum foret tantùm decernebat. Unde oriebatur sanctum Cyprianum nulli dogmaticæ sancti Stephani decisioni resistere; sed unicè œconomico de re, quæ disciplinam spectat, decreto parendum esse denegare. Quoniam verò inobediens tantùm erat Cyprianus ad privatam ecclesiæ suæ consuetudinem sustinendam, quæ ad animarum salutem longè tutior quàm Romanæ et

aliarum ecclesiarum praxis videbatur, et principiis ad speciem certissimis, quamquam reipsâ falsis, erat innixa; ideò iure credi potest Cypriani inobedientiam ab omni culpâ fuisse prorsùs immunem. Negari tamen non debet reprehensibilem fuisse Cyprianum propter resistendi modum, eò quòd nimio æstu, verbisque parùm ad christianam patientiam compositis, Stephani decretum impugnabat. Quod Cypriani peccatum, ut animadvertit magnus Parens Augustinus, longè levius fuit, quàm primo aspectu videbatur; hancque nebulam Cyprianus, quæ in ipsius lucidam mentem irrepserat, ardenti charitate ac demum martyrio penitùs dissipavit *(ib.* 605 *ad* 607 *).*

§ XXIV. Huius sancti Cypriani agendi rationis occasione, ita eius defensor Augustinus opportunè monebat: *Oh! quàm detestandus est error illorum, qui se laude dignos putant, dum illustres viros in iis, quæ minùs rectè agebant, æmulantur.* Quòd verò ad sanctum Stephanum attinet, magnâ prudentiâ in tam gravi negotio se gessisse fatendum est; neque in oppositum errorem incidisse, sed unicè ratum existimasse baptismum ab hæreticis eâ ratione collatum, qua dum confertur à catholicis ratum esse nemo ambigit; nempè trium Divinarum Personarum invocatione. Demum licèt africanis excommunicationem comminatus sit, reipsâ tamen eam non tulit *(ib n.* 608 *ad* 610 *).*

§ XXV. Stephanus, ut primùm Valeriani persecutio imminere cœpit, maiori studio christianos ad constantiam in fide hortabatur, et anni ducentesimi quinquagesimi septimi mense augusto martyrii coronam obtinuisse videtur. Sanctus Cyprianus eodem mense in exilium mittebatur, et post annum paucosque dies gloriosam mortem obibat, ut diximus capite decimo, ubi quàm immanis ea Valeriani persecutio fuerit innuimus. Interea, tum ex ipsius persecutionis et illius etiam anterioris Decii stragibus, tum ex magno episcoporum in multis regionibus numero, tum ex diversis quæ scripta sancti Cypriani documenta continent, facilè colligimus, per omnes qua latè patebat imperii romani provincias, circa

medium sæculi tertii frequentissimas esse ecclesias, et in singulis in dies augeri fidelium numerum. Cum christianâ religione etiam boni mores propagabantur, et præclara virtutum exempla frequentiùs apparebant; quorum illustre admodùm anno ducentesimo quinquagesimo et sequentibus visum est in pluribus civitatibus, dum immani peste ferè cunctas imperii provincias depopulante, curandis infirmis etiam gentilibus, et cadaveribus sepeliendis, alacriter christiani, animosè et gratuitò incumbebant. Legantur omninò apud Eusebium quæ hac de re aiebat sanctus Dionysius Alexandrinus; et quomodò christianorum charitas erga gentiles peste infectos, et Gregorii Thaumaturgi ad eos à morte liberandos Divina virtus Neocæsareæ gentiles omnes ad fidem adduxit. Legatur etiam præclarus *De mortalitate* liber, quem tunc sanctus Cyprianus scripsit. Itaque sanctissimis moribus, miraculorum gratiâ, ac magnis virtutibus et cœlestibus donis abundabat Ecclesia: nihilominùs etiam puro tritico admixta erant zizania scandalorum, ut plurium fidelium ab initio persecutionis in abnegandâ fide facilitas, lapsorum indocilis impatientia, confessorum quorumdam superbia et lascivia, et schismaticorum audacia, nimis demonstrant *(ib. n.* 611 *ad* 615*)*.

§ XXVI. Stephano succedebat Sixtus Papa secundus, cui arduum negotium Dionysius Alexandrinus proponebat. « Quidam ex fratribus, aiebat, iam pridem pro fideli « inter nos habitus, cùm nuper baptismo in nostrâ eccle- « siâ interfuisset, pedibus meis advolutus confiteri cœpit, « apud hæreticos initiatum fuisse baptismo, quod nil habet « commune cum nostro, sed est plenum blasphemiæ et « impietatis: proinde orabat, ut nostro baptismate dona- « retur. Quod equidem facere non sum ausus: sed diu- « turnam illi communionem ad id sufficere dixi; et ut « bonæ spei plenus ad Dominici corporis participationem, « ut sæpè hactenus, accederet, iussi. Verum ille renuit, « lugendi finem non facit, et baptizari instanter postulat. « Ego verò sententiam tuam expecto, ne fortè ipse ha- « lluciner ». Hæc Dionysius: at quæ Sixtus rescripserit ignoramus. Sixto in persecutione Valeriani martyrio

coronato, ut antea diximus, post annum circiter successit sanctus Dionysius Romanus presbyter, eruditissimus planèque admirandus vir. Apud hunc Dionysium alter Alexandrinus violatæ fidei accusatus fuit: ipse verò solidâ impugnatione erroris Sabelii, et alterius oppositi ad quem postea Arius declinavit, scriptâ et ad Romanum missâ, suæ fidei integritatem demonstravit (*ib. n.* 616 *et* 617).

§ XXVII. Anno ducentesimo sexagesimo nono sanctus Dionysius romanus Pontifex moriebatur, et eius locum occupabat sanctus Felix; sub cuius pontificatu celebre illud Aureliani imperatoris decretum editum est, quo Antiochenæ ecclesiæ domum episcopalem illi episcopo dari iubebat, qui cum romano communicaret. Felix in Aureliani persecutione martyr obibat; et post eum romani Pontifices eligebantur primò Eutychius, deinde Caius, cuius tempore, anno scilicet ducentesimo octogesimo quarto, æra quæ vocatur *martyrum* incipiebat. Inde enim seu ab initio imperii Diocletiani magnus fuit martyrum numerus, quanquam generalis persecutio non nisi anno trecentesimo tertio inceperit, quando iam post septem annos Caio in episcopatu Romano Marcellinus successerat. Marcellinum, et aliquot eius presbyteros in persecutione sacros codices tradidisse, imò idolis sacrificasse, iam diu hæretici donatistæ asserebant: sanctus verò Augustinus hanc esse omninò temerè calumniam ostendebat. Post Marcellini mortem triennio vacantem fuisse Romanam sedem videtur, et ad ipsam anno trecentesimo octavo promotus fuit sanctus Marcellus; qui cùm eos, qui in persecutione lapsi fuerant, pœnitentiæ subiicere conaretur, priusquam ad Ecclesiæ communionem eos admitteret, multa à fidelibus opprobia et dissidia passus est, et deinde exulans obiit. Eius locum tenuit sanctus Eusebius, qui etiam ob zelum servandæ disciplinæ erga lapsos, à pluribus qui hos absque ullo pœnitentiæ exercitio reconciliari volebant, maximè vexatus fuit, in exilium missus, et ibi mortuus. Tandem anno trecentesimo undecimo Romanam sedem occupabat sanctus Melchiades, in cuius pontificatu cœlesti visione ad

dandam Ecclesiæ pacem Constantinus vocatus est, ut posteà dicemus (*ib. n.* 617 *ad* 620).

§ XXVIII. Nunc aliarum ecclesiarum notissimos episcopos memoremus. Inter eos qui Antiochenam ecclesiam sæculo tertio gubernarunt, magno nomine fulsit sanctus Babilas (cuius gloriosum martyrium antea retulimus): præcipuè ob christianam prudentiam ac fortitudinem qua Philippo imperatori generosè ac modestè notum fecit ipsi non licere christianæ ecclesiæ sacris conventibus interesse, nisi ipsum pravè gestorum pœniteret, et noxæ expiationem subeuntibus accenseri pateretur. Contrà verò famosus, malâ utique famâ, fuit Paulus Samosatenus, ad hanc sedem anno circiter ducentesimo sexagesimo evectus. Cùm enim Iesu-Christi Divinitatem negaret, ut capite præcedenti dicebamus, adversùs ipsum plurium episcoporum concilium sæpiùs convocatum est: quos inter eminebant Firmilianus Cæsareæ Cappadocum, Gregorius Thaumaturgus et eius frater Athenodorus, episcopi apud Pontum, Helenus Tharsi in Cilicia, et Himenæus Ierosolymitanus. Item Dionysius Alexandrinus, qui cum ob senectutem et infirmitatem ad synodum ire non posset, epistolâ errorem detestabatur. Et quamquam in prioribus synodis impietatem suam dissimulare vel retractare Paulus videbatur, novo tamen concilio anni ducentesimi sexagesimi noni vel sequentis apertè convictus, et de sede deturbatus fuit, et alius in eius locum suffectus. Cùm verò Zenobiæ Palmyrenæ reginæ protectione munitus, et astu ac divitiis potens, è domo ecclesiæ post depositionem nullatenùs excedere vellet: tandem imperatorem Aurelianum catholici appellarunt, qui domum episcopo, ad quem Romanus et itali scriberent, dari iussit; et ideò Paulus expulsus est (*ib. n.* 621 *ad* 623).

§ XXIX. Alexandrinam ecclesiam sexdecim integris annis à ducentesimo quadragesimo septimo rexit celeberrimus Dionysius; qui dum presbyter Alexandrinam scholam regebat, hæreticorum libros cœlesti visione animatus legebat, ut eos impugnare posset. Episcopus creatus difficillimis quidem temporibus, præcipuè ob

sævissimam pestem, et immania Decii et Valeriani in Ecclesiam bella, gregem suum prudenti ac ferventi zelo ad constantiam in fide, ad charitatem erga infirmos, et ad omnes christianas virtutes, magno fructu indefessus hortabatur. Millenarios præfecturæ Arsinoiticæ ad veram doctrinam reduxit, et dissidia illarum ecclesiarum obtrivit. Novatiani schisma, et Pauli Samosateni impietatem efficacissimè impugnavit. Ad Romanos episcopos multis de causis, et præcipuè ad Stephanum ut in controversiâ de hæreticorum baptismo rei gravitatem et imminentia dissidia seriò consideraret, sæpius scripsit, multùmque ad pacem Ecclesiæ conservandam suis epistolis contulit. Lapsos pœnitentiæ subiecit; et in omnibus litteris suis de rebus gravissimis disserens, totam Ecclesiam mirè illustravit. Tanti viri virtutem non modò exilio et mille aliis laboribus, sed diris etiam calumniis fuisse probatam, antea innuimus (*ib. n.* 624 *ad* 626).

§ XXX. Ab anno trecentesimo Alexandrinæ ecclesiæ summâ cum laude præfuit sanctus Petrus, qui anno persecutionis nono martyr obiit. Ab initio persecutionis vitam semper sine labe duxit ac sine requie; ut plebem suam instrueret, moribus sanctificaret, et in fide firmaret, summoperè laborans. Varia scripsit, quorum unicè supersunt canones pœnitentiam spectantes, ad lapsorum reconciliationem ordinandam, in quibus prudens ad veram lapsorum conversionem promovendam œconomia fulget. In horum quinto facilè obvervamus, eos qui sacrificare constanter renuebant, se tamen vel sacrificasse fingebant, vel datâ pecuniâ libellum seu testimonium ipsos sacrificasse asserens sibi comparabant, reos et pœnitentiâ dignos ob fictionem et scandalum æstimari, quamquam culpâ multò leviori, quàm illa eorum esset, qui reapse sacrificabant. In duodecimo verò cernimus, eos qui datâ pecuniâ ab omni persecutorum molestiâ liberabantur, ita ut nec re ipsâ sacrificarent, nec sacrificasse viderentur, ab omni culpâ immunes haberi; quoniam pecuniæ damnum sustinebant, ut animæ ruinam vitarent. Demum Ecclesiam Ierosolymitanam initio tertii sæculi mirabilis vir sanctus Narcissus è deserto

redux sanctissimè gubernabat. Quando ob extremam senectutem ministerium suum in multis obire iam non poterat, dispensatione Divinâ per varias revelationes declaratâ, Alexander in Cappadociâ episcopus socius ei in episcopali officio datus est. Alexander autem, qui ab aliâ ecclesiâ translatus, ut cooperator Ierosolymitanam regere incepit, decedente Narcisso solus eam sanctissimè gubernavit ad dimidium usque sæculi tertii, nempè ad annum ducentesimum quinquagesimum primum, in quo decorâ iam senectute conspicuus, post iteratam christianæ fidei confessionem in carcerem coniectus obiit. Et hæc nobis de episcopis sæculi tertii dixisse satis sit (*ib. n.* 627 *ad* 631).

§ XXXI. Frequentissima eodem sæculo fuisse concilia, ex dictis de Paulo Samosateno, et de controversiâ baptismi hæreticorum sufficienter colligitur. Hîc tamen unicum commemorabo, quòd extremo sæculi tertii, seu initio quarti celebratum fuisse verisimillimum est, nempè Eliberitanum in Hispaniâ. In eo minimùm decem et novem episcopi sederunt, et octoginta et uno canonibus aut capitulis pretiosum disciplinæ ecclesiasticæ corpus conformatum est. Ex his canonibus aliqui pœnitentiam præscribunt, cui subiiciuntur idololatriæ, homicidii et adulterii noxii. Quia tamen aliquibus pœnitentibus etiam in horâ mortis communio interdicitur, animadvertendum est, *communionis* nomine non sacramentum Pœnitentiæ seu absolutionem sacramentalem, sed tantùm participationem Eucharistiæ, seu communionem corporis Christi significari. Sunt etiam canones qui de clero, de matrimonio, de baptismo, deque aliis disciplinæ ecclesiasticæ capitibus multa gravissimè decernunt. Canon trigesimus quartus *cereos*, ait, *per diem placuit in cœmeterio non incendi: inquietandi enim spiritus sanctorum non sunt.* In hoc canone duo notari debent: prohibitio, et eius causa. Prohibitio non tollit cereorum usum per diem ab omni ecclesiastico officio et loco, sed solùm à cœmeteriis. Causa multiplex illis verbis significari potest. Nempè vel quòd aliqua superstitio gentilitatem sapiens, et sanctis defunctis ingrata illi usui admixta foret; vel

quòd cereorum occasione fideles ibi orantes molestiâ afficerentur; vel etiam quoniam eo cultu adeò publico exacerbati gentiles, tollendi, aut *inquietandi* reliquias martyrum ansam indè sumerent. Item canon trigesimus sextus ait: *Placuit picturas in ecclesiâ esse non debere, ne quod colitur et adoratur in parietibus depingatur.* Huius verò canonis sensus magis obvius est, solùm picturas parietibus ecclesiæ prohiberi, ne scilicet à gentilibus persecutionum tempore profanarentur. Fortassis etiam tunc generatim imagines pictæ, illæ præcipuè quæ Deum quem adoramus repræsentant, in ecclesiis prohibebantur; ne scilicet gentiles sibi persuaderent eas à nobis ita adorari, sicut ipsi deorum suorum simulacra adorabant. Unde ex his canonibus nil Ecclesiæ doctrinæ circa cereorum usum et imaginum cultum colligi potest. Ad primam quoque Ecclesiæ ætatem referri debet celebris octoginta quatuor canonum collectio, qui *Apostolici* vocantur. Quamquam enim ea collectio Apostolorum opus non sit, facta tamen fuisse videtur saltem initio sæculi quarti; et ideò canones seu regulæ, licèt essent ab episcopis aut conciliis sæculi secundi et tertii constituti, *Apostolici* tamen vocati sunt, quoniam ex Apostolorum et virorum apostolicorum institutione initium sumpsisse videbantur *(ib. n. 632 ad 647)*.



CAPUT XIV.

Ecclesiæ doctrina in scriptis ecclesiasticis prioris ætatis.



Auctoritas sacræ Scripturæ 1, *et Traditionum apostolicarum* 2. *Deus unus creator omnium* 3. *Mysterium sanctissimæ Trinitatis* 4, *et Incarnationis Verbi Dei* 5.

Ecclesiæ christianæ dotes 6, *seu dignitas* 7. *In Ecclesiâ est vera hierarchia, cuius ordo incipit ab episcopo Romano* 8. *Episcoporum potestas et electio* 9. *Presbyteri, Diaconi, et alii ministri* 10. *Cleri honos et victus : Diaconissæ* 11. *Baptismi ritus* 12, *et effectus* 13. *Confirmatio* 14 : *Eucharistia* 15. *Peccatorum remissio seu Pœnitentia* 16 : *eius actus* 17. *Extrema unctio, et Ordo* 18. *Matrimonium* 19. *Ecclesiæ sive domus Dei* 20 : *sacri conventus* 21. *Regulæ morum. Ignis æternus* 22. *Peccatum originale* 23. *Martyrium. Castitas. Ieiunium* 24. *Cultus sanctorum, et reliquiæ* 25. *Ignis purgatorius* 26. *Dei gratia. Angeli custodes* 27.

§ I. ACCEDAMUS tandem ad doctrinam et disciplinam Ecclesiæ in priori suâ ætate considerandam, prout nempe ex martyrum confessionibus, ex decretis aut canonibus conciliorum quæ inter persecutiones celebrabantur, et ex libris tunc scriptis colligere valeamus. Ac primò quidem ex his fontibus præclaras notiones de Libris sacris hauriemus. Ex. gr. : Libri sacri Divina scriptura sunt, Divinitùs inspirati, et à Verbo Dei, et Spiritu Sancto dictati. Intelligi non possunt, nisi voluntate Dei ad id nobis gratiam infundentis. Hæc gratia in episcopis Apostolorum successoribus passim invenitur, qui cum episcopatûs successione charisma veritatis certum secundùm placitum Patris acceperunt. Ad Libros sacros intelligendos attentio, studium, et humanæ scientiæ quoque prosunt ; sed præ cæteris omnibus humilis ad Deum oratio. Scripturæ sacræ in nullo secum pugnant ; si aliquando secum pugnare mihi videntur, ea me non capere omnibus modis mihi persuasum erit, et ita fatebor. Utriusque Testamenti scriptores sacri uno eodemque Spiritu Dei inspirati locuti sunt. Quòd Iudæi sacros Libros conservent, opus est Divinæ providentiæ erga christianos, ne scilicet ab his fictos aut corruptos esse credatur. Demum quos Libros sacros esse Tridentina synodus postea declaravit, omnes in scriptis prioris ætatis ut canonici

passim habentur, licèt de aliquibus nonnulli dubitarent (*Lib.* IV. *n.* 648 *ad* 651).

§ II. Non tantùm Libris sacris Ecclesiam instrui, sed etiam doctrinâ à Christo et Apostolis, traditione ore acceptâ, descendente, multis ostendunt antiqui Patres, quorum duos tantùm laudabimus. Sanctus Irenæus observabat plures esse tunc populos ad fidem conversos absque ullâ scripturâ, et solâ nudi verbi traditione, fidem et rectos mores integrè servare. Hæreticos reprehendit quòd traditionem, quæ est ab Apostolis, non recipiant : et hanc traditionem admonet in bono lumine facilè collocari iis qui vera velint videre, nempè in ecclesiis quæ per continuam successionem ab Apostolis descendunt, præsertim in Romanâ. Apud Tertullianum plura exempla invenimus morum ex solâ traditione in Ecclesiâ servatorum : sic baptizandi renuntiant diabolo et pompis eius, et ter in aquam merguntur : Eucharistiam ieiuni sumunt : oblationes pro defunctis, necnon in memoriam martyrum, quotannis fiunt : die dominicâ nec ieiunatur, nec genibus oratur : frontem crucis signo frequentissimè munimus. *Harum*, concludit Tertullianus, *et aliarum huiusmodi disciplinarum, si legem expostules, scripturam nullam invenies : traditio tibi prætendetur auctrix, consuetudo confirmatrix, et fides observatrix* (ib. n. 652 ad 654).

§ III. Summa Dei maiestas magnificè à Patribus et martyribus prioris ætatis extollitur. *Deus,* aiebat Minucius Felix, *mens et ratio, et spiritus est, invisibilis, infinitus, immensus, et sibi soli tantus quantus est notus.* Deum unicum esse, summè bonum, et rerum omnium creatorem, multis probabant : impiosque errores de duplici rerum principio bono et malo, atque de æternitate materiæ, quos à falsâ philosophiâ plures hæretici sumpserant, Irenæus, Tertullianus, Hippolytus et alii validissimè impugnarunt. Et hac occasione originem mali moralis in solâ hominum voluntate locandam; mala autem physica ab ipso Deo summè bono et iusto mirabili providentiâ ordinari asserebant. Sancti etiam martyres atrocissima tormenta eò constantiùs perferebant, quòd

eorum auctorem Deum omnipotentem agnoscerent: Deumque rerum etiam materialium creatorem, atque unicum æternum passim confitebantur (*ib. n.* 655 *ad* 664).

§ IV. Confitebantur etiam Trinitatis mysterium. Euplus diaconus in confessione aiebat: *Adoro Patrem, et Filium, et Spiritum Sanctum. Adoro inquam Sanctissimam Trinitatem.* Sanctus Vincentius item diaconus: *Dominum Christum confiteor Filium Altissimi Patris, unici unicum, ipsum cum Patre et Spiritu Sancto unum solum Deum esse confiteor.* Et multò ante sanctus Polycarpus orans antequam rogus accenderetur, sic concludebat: *De omnibus his* (nempè de tormentis et martyrio) *te laudo, ò verax Deus, te benedico, te glorifico, per sempiternum Pontificem Iesum-Christum Unigenitum Filium tuum, per quem tibi unà cum ipso in Spiritu Sancto gloria nunc et in sæcula sæculorum. Amen.* Simili autem invocatione seu glorificatione sanctissimæ Trinitatis, qua Ecclesia hymnos et psalmos claudere etiam nunc solet, terminantur Acta martyrii ipsius sancti Polycarpi, sancti Ignatii, et plurium aliorum martyrum. Apud sanctos Patres eiusdem ætatis frequentissima quoque sunt testimonia, quæ trium Divinarum Personarum inter se distinctionem, essentiæ unitatem, Verbi seu Filii, et etiam Spiritûs Sancti Divinitatem in tuto collocant. Hic tamen laudare sufficiat Theophilum Antiochenum, qui ad hoc mysterium significandum *Trinitatis* nomine iam utebatur, Athenagoram, et Origenem. Athenagoras, postquam multis probavit non plures esse Deos, sed unum tantùm, qui est totius mundi opifex, aliqua addit de sublimi doctrinâ christianâ circa Dei Filium seu Verbum Patris æternum, et circa Spiritum Sanctum, quem *effluentiam Dei emanantem et redeuntem* vocat, et subdit: *Quis igitur non miretur atheos nos vocari, qui Deum Patrem, et Deum Filium, et Spiritum Sanctum asserimus; ac eorum in unione potentiam, et in ordine distinctionem demonstramus?* Origenes expressè testatur, quòd *est trium distinctio Personarum in Pa-*

tre, et Filio, et Spiritu Sancto, et tamen una est substantia et natura Trinitatis (ib. n. 665 ad 670).

§ V. Quòd ineffabile Incarnationis Divini Verbi mysterium attinet, edocemur Iesum-Christum esse Deum et hominem cum duabus naturis, Divinâ scilicet et humanâ; unica verò Persona, quæ ipsa est Persona Filii Dei: esse item verum hominem, et ex Mariâ Virgine et Dei Matre natum, ut peccatores salvos faceret. Iesum-Christum esse Verbum Dei, Filium Dei, Deum verum, immensum, æternum, omnipotentem, et rerum omnium creatorem, martyres altè confitebantur. Et licèt Iesu-Christi Divinitatem, quam gentiles irridebant, frequentiùs defenderent et laudarent, præ oculis quoque habebant vitam, passionem et mortem Domini, eiusque resurrectionem à mortuis, quorum memoriâ constantiùs fidentiùsque tormenta sustinebant. Imò aliquos videmus, Iesum-Christum verum esse Deum et hominem simul, fuisse confessos. Sanctus Ignatius ad Ephesios aiebat: *Iesus-Christus Dominus noster unus medicus est, factus et non factus, in homine existens Deus, in morte vera vita, ex Mariâ et primùm ex Deo, passibilis et antea impassibilis.* Item ad Smyrnæos: *Dominus noster verè est de genere Davidis secundùm carnem, et Filius Dei secundùm Divinitatem: verè passus est, et verè se ipsum resuscitavit.* Sanctus Iustinus in latiori apologiâ demonstrabat *Iesum-Christum esse ipsum Verbum Dei Patris, qui est cum Patre ante creationem, et solus est propriè Filius et primogenitus Patris, et factum fuisse hominem instaurandi et revocandi hominum generis causâ: factum verò hominem ipsum Dei Verbum et primogenitum in utero Virginis absque humano concubitu; atque id, quod hominibus videtur impossibile, factum esse virtute Spiritûs Sancti.* Sanctus Irenæus: *Non alterum Filium hominis novit Evangelium, nisi hunc qui natus est ex Mariâ: hunc autem Iesum-Christum novit esse Filium Dei, et eundem hunc passum resurrexisse. Dei Verbum, seu Dei Unigenitus caro factus, ipse est Iesus-Christus Dominus noster, qui passus est pro nobis, et surrexit propter nos.* Hippolytus in psalmos: *Veniens in mundum,*

Deus et homo patefactus est. Et humanam quidem ipsius naturam facilè est agnoscere, quando esurit et sitit. Divina verò non obscurè cernitur, quando ab Angelis adoratur, ex aquâ vinum facit, etc. Cyprianus, De idolorum vanitate: *Filius Dei mittitur. Hic est virtus Dei, hic ratio, hic sapientia eius et gloria. Hic in virginem illabitur, carne Spiritu Sancto cooperante induitur. Hic Deus noster, hic Christus est, qui mediator duorum, hominem induit, quem perducat ad Patrem.* His similia passim alii Patres, ut Tertullianus, Origenes, cæt. *(ib.* 671 *ad* 677 *).*

§ VI. Sicut de mysteriis Trinitatis et Incarnationis, ita de Ecclesiâ à Christo fundatâ egregiè loquuntur Patres prioris ætatis; ex quibus pauca sumamus. Ignatius ad Philadelphios: *Iesus-Christus est ianua Patris, per quem ingrediuntur Abrahamus, et Isaacus, et Iacobus, et Prophetæ, et Apostoli, et Ecclesia: omnia hæc ad unitatem Dei* seu ad unum corpus adorantium Deum pertinent. Item ad Smyrnæos ait, ex fructu Divinæ passionis Iesu-Christi elevatum esse signum in sæcula, ut fideles et sancti sui sive ex iudæis sive ex gentibus *in uno corpore Ecclesiæ suæ* uniantur. Fideles etiam vitiis dediti sive qui vivunt more gentium, Ecclesiæ membra sunt, carnalia tamen, ut aiebat Clemens Alexandrinus in *Stromatibus:* qui quoque monebat *unam esse veram Ecclesiam, eam* scilicet *quæ verè est antiqua. Sicut Deus est unus.... ita in unius naturæ sortem cooptatur Ecclesia, quæ est una, quam conantur hæreses in multas discindere. Et substantiâ ergo, et cogitatione, et principio, et excellentiâ, solam esse dicimus antiquam et catholicam Ecclesiam in unitatem unius fidei.* Unam autem esse Ecclesiam, sanctam, catholicam, et apostolicam, multis ostendebant ipse Clemens, Irenæus, Origenes, Cyprianus, et alii *(ib. n.* 677 *ad* 682 *).*

§ VII. Quia tamen hæreses illius ætatis, ut antea diximus, ex eâ philosophiâ passim oriebantur, quæ de singulari illustratione aut optimâ electione gloriabatur; ideò Patres monebant, veram rerum Divinarum cognitionem, et optimam electionem solùm in Ecclesiâ inveniri

posse : contra id quod docet Ecclesia veritatem esse non posse : salutem æternam extra Ecclesiam non inveniri : neque excusabiles esse, qui ab Ecclesiâ recedunt, aut veram Ecclesiam ab hæreticorum seu schismaticorum cœtibus aut sectis distinguere nesciunt. Ex multis quæ hac de re colligi possunt, saltem paucissima adducamus. Irenæus libro quarto : *Agnitio vera est Apostolorum doctrina, et antiquus Ecclesiæ status, et character corporis Christi, id est Ecclesiæ, secundùm successiones episcoporum, quibus illi eam quæ in unoquoque loco est ecclesiam tradiderunt. Quæ* doctrina *pervenit ad nos custoditione sine fictione : pervenit etiam scripturarum tractatio plenissima, neque additamentum neque ablationem recipiens : et lectio sine falsatione, et secundùm scripturas expositio legitima, et diligens, et sine periculo.* Clemens Alexandrinus etiam aiebat hæreticos in regnum cœlorum ingredi non posse, et adulterare veritatem : *in solâ autem Ecclesiâ esse perfectissimam cognitionem, et optimam electionem.* Cyprianus in epistolis : *Nec putent sibi vitæ aut salutis constare rationem, si episcopis et sacerdotibus obtemperare noluerint ; nec enim vivere foris possunt, cùm domus Dei una sit, et nemini salus esse nisi in Ecclesiâ possit.* In egregio tractatu *De unitate Ecclesiæ* ex multis concludit ad Christi præmia pervenire non posse qui relinquit Ecclesiam Christi ; nec Deum habere patrem, qui Ecclesiam non habet matrem. Item ad Cornelium Romanum episcopum scribens aiebat : *Non aliunde hæreses obortæ sunt, aut nata sunt schismata, quàm inde quòd sacerdoti Dei non obtemperatur. Nec unus in Ecclesiâ ad tempus sacerdos, et ad tempus iudex vice Christi cogitatur : cui si secundùm magisteria Divina obtemperaret fraternitas universa, nemo dissidio unitatis Christi Ecclesiam scinderet, nemo sibi placens ac tumens novam hæresim conderet. (* ib. n. 683 ad 686 *).*

§ VIII. In epistolis sancti Cypriani, et aliis scriptis prioris ætatis, frequentissimus sermo est de legibus Ecclesiæ, aut de præceptis episcoporum seu sacerdotum, de obedientiâ qua ipsis obtemperare debent fideles, et de

pœnis spiritualibus quibus inobsequentes puniendi sunt. Et hæ pœnæ ob graviora delicta, et animum pœnitentiam contumaciter reluctantem, quandoque totalem separationem ab Ecclesiâ præscribunt; quæ pœna à sancto Cypriano pœnæ capitali per potestatem civilem inflictæ comparatur, quatenùs contumaces in Ecclesiam spirituali gladio interficiuntur, quando ab Ecclesiâ separantur. Hinc Ecclesiæ ministerium seu gubernatio non mera *hierodulia* seu sacra servitus est, sed etiam vera *hierarchia* seu sacer principatus. In hoc autem Ecclesiæ principatu primus post Christum fuit sanctus Petrus. Ut enim observat sanctus Cyprianus, agens *de unitate Ecclesiæ,* quamvis munus apostolicum in omnibus Apostolis fuerit paris honoris et potestatis, tamen Christus ad unitatem Ecclesiæ suâ auctoritate disposuit Petrum esse omnium primum, et exordium ab unitate proficisci. Seu, ut Tertullianus in *Scorpiaco* ait, Dominum Petro reliquisse claves cœlorum, et per eum Ecclesiæ. Iam verò Romani Pontifices ut Petri successores semper habiti sunt; et ecclesia Romana *cathedra sancti Petri, et ecclesia principalis, unde unitas sacerdotalis exorta est,* à sancto Cypriano vocatur. Romanam ecclesiam, ut capite præcedenti cum sancto Irenæo dicebamus, *propter potiorem principalitatem fideles qui sunt undique convenire debent.* Et sanè corinthii dissidiis agitati ad Clementem Romanum confugerunt: Dionysius Alexandrinus apud Dionysium Romanum fuit accusatus; et huius successori casum arduum decidendum proposuit: atque generatim graviora ecclesiarum omnium negotia ad Romanos Pontifices ab initio referebantur (*ib. n.* 687 *ad* 691).

§ IX. Cuiuslibet particularis ecclesiæ caput est ipsius episcopus, cuius in suâ ecclesiâ auctoritatem sanctus Ignatius in epistolis mirè commendat; et magnesios presbyteros laudat, quòd episcopum suum valdè iuvenem minimè ob iuventutem contemnebant, sed ei fideliter obediebant. Ex ipsis Ignatii epistolis, et innumeris aliis prioris ætatis monumentis constat, episcopos semper habitos fuisse presbyteris superiores. Etiam ex He-

gesippo apud Eusebium facilè colligitur in unicâ civitate unicum esse episcopum, et hunc non antiquitatis iure ad tantum honorem ascendere, seu episcopatûs munus senioris presbyteri necessariò non esse; sed verâ electione, seu eligentium suffragiis ac consensu episcopum fieri, renuntiari, seu creari. Inter ipsos episcopos diversi dignitatis seu auctoritatis gradus distinguebantur. Et sanctus Cyprianus, qui singulorum episcoporum in suis ecclesiis parem honorem et potestatem vehementer defendebat, tamen non solùm in episcopo Romano potestatem seu auctoritatem deponendi alios episcopos agnoscebat, sed etiam in synodo provinciali. In ipsâ Africâ episcopus carthaginensis maiori quàm alii, et supra alios auctoritate pollebat. Et in canone apostolico 35 indicium habemus iuris metropolitani, quòd sanè Nicæense concilium non constituit, nam ab antiquo constitutum supponit. Episcopi electio clericorum ipsius ecclesiæ aut vicinorum episcoporum actio erat: celebrabatur autem coram populo, ipsoque probante, ut certiùs caderet electio super virum iis excelsis dotibus instructum, quæ ad munus eminentissimum et laboriosissimum ritè persolvendum exiguntur. Episcopi auctoritas fidelibus sibi commissis circumscripta erat. Quamquam verò frequentissimum foret episcopos in rebus magni momenti presbyteros suos in consilium congregare; non erat tamen id omninò necessarium, ut episcopi decretum legitimum foret, sicut in gestis sancti Cypriani facilè observatur *(ib n. 692 ad 702)*.

§ X. *Episcopo*, aiebat sanctus Ignatius ad Trallianos, *subiecti estis ut Iesu-Christo. Itaque sine episcopo*, seu contra episcopi voluntatem, *nihil agatis. Sed et presbyterio seu presbyteris subditi sitis, ut Apostolis Christi. Et diaconos similiter cuncti revereantur, ut ministros Ecclesiæ Dei*. Presbyteri, qui plures sub uno episcopo in eâdem urbe seu ecclesiâ esse solebant, episcoporum in laboribus socii erant, cooperatores, sive auxiliares; et singulis ipsorum aliquam plebis seu populi partem speciatim instruendam ac gubernandam sæpiùs ab episcopo iam tunc committi videtur. Hinc senatum episcoporum pres-


byteri præcipuè constituebant, unde *presbyterium* vocabatur; quamquam ad illum vocari etiam solebant diaconi saltem præcipui, et alii episcopi, qui in urbe fortè reperiebantur. Sacrificium offerre seu consecrandi munus episcopi aut presbyteri proprium est: diaconi officium præcipuum est presbytero offerenti aut consecranti ministrare. At solebant quoque diaconi in dirigendis, instruendis, consolandis, hortandis, et etiam reprehendendis aut corrigendis fidelibus, presbyteris opem ferre, quotiescumque id eis ab episcopo iniungebatur. Sed et absente episcopo et presbytero diaconis quandoque permittebatur baptizare, imò à publicæ pœnitentiæ onere pœnitentem in mortis articulo constitutum liberare, hoc est, eum ab excommunicatione absolvere, seu ad Ecclesiæ communionem restituere. *Diaconus* idem est ac *minister*. Nihilominùs iam priori ætate diaconi vocari solebant non ministri omnes, sed ii tantùm, qui superiorem seu primum gradum obtinuerant, præter quos plures alii ministri gradibus inferioribus insigniti distinguebantur. Sic in ecclesiâ Romanâ præter diaconos erant subdiaconi, acolythi, exorcistæ, lectores, et ostiarii *(ib. n.* 703 *ad* 705*)*.

§ XI. Ut prima reipublicæ christianæ classis, singulari morum sanctitate et honoris prærogativâ fulgens, clerus habebatur: unde delicta plura, imò etiam naturales defectus ad hunc statum aditum occludebant: et gravissimæ erant pœnæ contra clericorum peccata lege sancitæ. Bona etiam temporalia possidebat Ecclesia, quorum distributio episcopis commissa erat, non quidem ut dominis, sed ut præcipuis dispensatoribus. Ex iis autem portiones alimentariæ omnibus Ecclesiæ ministris dabantur; et etiam *diaconissis*, nempè quibusdam probatæ vitæ mulieribus, quæ intra ecclesiam baptismo mulierum, et extra ecclesiam instruendis, visitandis et sublevandis aliis mulieribus, præcipuè infirmis, et tempore persecutionis multùm inserviebant *(ib. n.* 706 *ad* 711*)*.

§ XII. Sed iam de sacramentis Ecclesiæ pauca dicamus. *Sacramenta* autem præcipuè vocamus eos Ecclesiæ ritus, seu eas cæremonias, quæ magis symbolicæ, seu

significativæ sunt, et quarum ope Dei gratia nos sanctificans abundantiùs cordibus nostris infunditur. Inter quæ primò numerari solet *baptismus*. Baptismum ministrare, primùm episcoporum est, deinde presbyterorum, ac etiam diaconorum, auctoritate tamen episcopi. Urgente verò necessitate etiam laicus seu quilibet homo baptismum administrare potest. Aqua opportunissima materia est, sive pluvialis sit, sive fontis, sive fluvii, sive maris : omnis enim aqua sanctificata est à Spiritu Sancto, à quo sanctificandi vim recepit. Omnia hæc multis ostendit Tertullianus in libro *De baptismo*. Quamquam verò frequentior baptizandi modus fuerit per *immersionem*, tamen saltem infirmi solâ *aspersione* baptizabantur. Nullum autem baptisma legitimum seu validum esse poterat, nisi invocatâ sanctissimâ Trinitate; et triplex fieri solebat immersio, singula scilicet in invocatione singulæ Personæ, ut aiebat Tertullianus ad Praxeam. Adulti, priùsquàm baptizarentur, in fide et moribus instruebantur, exorcismis aliisque piis cæremoniis, et peccatorum detestatione præparabantur. A die quo nomen Ecclesiæ dabant, eique obedire incipiebant, christiani habebantur et vocabantur *cathecumeni* usque ad baptisma, in quo *fideles* nuncupari incipiebant. Renuntiatio satanæ, professio fidei, exorcismi, cæteræque omnes cæremoniæ, quibus nunc baptismus celebrari solet, etiam tunc usitatæ fuisse videntur *(ib. 712 ad 715)*.

§ XIII. Per baptismum deleri peccata, iustitiæ fructibus seu gratiâ animam repleri, et mirabiles esse ad mentes illustrandas et corda mutanda ipsius effectus, in epistolâ quæ dicitur sancti Barnabæ, in Pastore Hermæ et in aliis illius ætatis scriptis egregiè exponitur. Quòd si aliquis ut Simon magus baptismum recipiens pravum erga errores aut vitia affectum servat in animo, baptizatur quidem, attamen remissionem peccatorum, et gratiæ infusionem tunc non consequitur; neque consequetur, donec peccata ex intimo corde detestetur. Ita Origenes et sanctus Hippolytus. Omnibus, etiam pueris, necessarium est baptisma ut à peccato mundentur, in Deum renascantur, et ab igne æterno liberentur :



ad octavum verò diem recens natorum baptisma differendum non esse, ex Cypriano antea diximus. Mirabilis baptismi effectus etiam martyrium operatur. Hinc Origenes martyrium vocat *baptismum sanguinis;* illudque ait non modò peccata præterita delere, ut baptismus aquæ, sed futura quoque impedire. Sanctus verò Cyprianus aliud cum alio baptismo conferens, baptismum sanguinis mirè extollit, quatenùs non solùm peccatorum remissionem, sed virtutum etiam coronam confert. Quòd si catechumeni casu morerentur, quin aquâ baptizari possent, æternam tamen salutem ope fidei charitate animatæ, qua sua peccata et errores detestati fuerant et Deo uniri exoptabant, impetraturos esse pro certo habebatur. Imò baptismum *Spiritûs* seu charitatis à baptismo aquæ separatum inveniri posse, in tractatu de *baptismo hæreticorum,* quod edi solet inter opera sancti Cypriani et est illius ætatis, cernimus (*ib. n.* 617 *ad.* 721).

§ XIV. In frequentiori Africæ concilio circa hæreticorum baptisma unus ex episcopis certum supponebat, quòd impositio manûs episcopi qua confertur Spiritus Sanctus, et baptismus, sunt *duò* distincta *sacramenta.* Et in Actibus sanctorum Rogatiani et Donatiani, cùm Rogatianus, qui erat catechumenus, baptizari non potuisset, dicitur non solùm *quòd martyrii cruor fusus impendit quod de fonte defuit,* sed etiam quòd *sanguinis effusio fiet ei chrismatis sacramentum.* Tertullianus etiam ait, quòd diabolus in idolorum cultu *Divina sacramenta* imitans, lavat credentes in eum, *signat in fronte milites suos,* et celebrat oblationem panis : in quo Tertullianus sicut baptismum et Eucharistiam, ita etiam *signaculum frontis* cum Divinis deputat sacramentis. Idem Tertullianus, sicut baptismo tribuit remissionem peccatorum, ita signaculo frontis, et impositioni manuum episcopi, quæ baptismum consequitur, tribuit Spiritûs Sancti infusionem, seu dona Spiritûs Sancti. Quando episcopus baptizabat, manus imponere immediatè post baptismum solebat. Quando verò baptizans non erat episcopus, baptizatus postea offerebatur episcopo, ut novo hoc sacramento muniretur.

Unde sanctus Cyprianus memorans Petrum et Ioannem Samariam profectos fuisse, ut iis qui à Philippo baptizati fuerant, conferrent Spiritum Sanctum, ait : *Quod nunc quoque apud nos geritur, ut qui in Ecclesiâ baptizantur, per orationem et manuum impositionem præpositorum Ecclesiæ Spiritum Sanctum consequantur, et signaculo Dominico consummentur.* Ita qui iam baptizati sunt, quando postea ab episcopo signantur in fronte, et impositionem manuum recipiunt, in iis consummatur seu confirmatur signaculum fidei in baptismo receptum. Et hinc hoc sacramentum *Confirmatio* vocari solet *(ib. n. 722 et 723).*

§ XV. De mirabili Eucharistiæ sacramento multa edocemur in paucis prioris ætatis scriptis, quæ supersunt. Sancti Ignatius, Iustinus et Irenæus, Clemens Alexandrinus, Tertullianus et Origenes, necnon sanctus Cyprianus, Dominum nostrum Iesum-Christum in hoc sacramento esse reverâ præsentem, apertissimè testantur : Eucharistiæ celebrationem esse sacrificium exprimunt; et circa ipsum alia magni ponderis documenta proferunt, præcipuè circa mirabiles quos Eucharistia in animabus nostris effectus producit, et pios motus, quibus ad illam recipiendam nos comparare debemus. Ex tam copiosâ messe spicas aliquas colligamus. Sanctus Ignatius ad Smyrnæos locutus de hæreticis qui Christum aiebant non verum corpus habuisse, sed solùm in speciem, dixit : *Ab Eucharistiâ, et oratione* qua Eucharistia celebratur, *abstinent, eò quòd non confiteantur Eucharistiam carnem esse Servatoris nostri Iesu-Christi, quæ pro peccatis nostris passa est.* Sanctus Iustinus gentilibus renuntians alimentum, quod christiani vocant Eucharistiam, hoc inter alia habet : *Eius alimenti nemini licet esse participem, nisi qui credat vera esse quæ docemus, baptizatus sit, et vivat ut Christus tradidit. Neque enim ut communem panem, neque ut communem potum ista sumimus; sed quemadmodum Verbum Dei caro factum, Iesus-Christus Salvator noster, et carnem et sanguinem habuit nostræ salutis causâ; sic etiam illam, in qua per precem ipsius verba continentem gratiæ actæ*

sunt, alimoniam, ex qua sanguis et carnes nostræ per mutationem aluntur, incarnati illius Iesu *et carnem et sanguinem esse edocti sumus.* Sanctus Irenæus, cùm dixisset Eucharistiam esse oblationem puram, de qua loquitur Malachias, eam ait tantùm ab Ecclesiâ offerri posse; et ex Eucharistiâ probat Deum verum et bonum esse creatorem mundi seu rerum materialium. *¿ Quomodò,* addit, *constabit eum panem, in quo gratiæ actæ sint, corpus esse Domini sui, et calicem sanguinis eius, si non ipsum Dei fabricatoris mundi Filium dicant?* Sanctus Cyprianus sæpè ait Eucharistiam esse corpus et sanguinem Christi: et cùm dixisset, quòd *Iesus-Christus summus Sacerdos sacrificium Patri se ipsum primus obtulit, et hoc fieri in sui commemorationem præcepit,* addit, quòd *Sacerdos, qui vice Christi verè fungitur, et quod Christus fecit imitatur, sacrificium verum et plenum offert in Ecclesiâ Deo Patri.* Idem Sanctus plura miracula refert, quibus quanto *timore* et *honore* Eucharistia accipienda sit, Dominus ostendit; et inter alia, quod quædam mulier iuvenis, quæ ex idolothytis comederat, cùm postea impœnitens Eucharistiam sumeret, palpitans et tremens statim concidit *(ib. n. 724 ad 729).*

§ XVI. Tertullianus in tractatu *De pœnitentiâ*, de eâ quæ adultorum baptismum præcedere debet primò agit; et deinde monet etiam post baptismum decidentibus non esse desperandum, quia Deus secundam pœnitentiam baptizatis concedit. *Pigeat,* inquit, *post baptismum peccare rursùs, sed rursùs pœnitere non pigeat. Iteratæ valetudinis, iteranda medicina est. Offendisti, sed reconciliari potes.* Monet etiam quòd huius secundæ pœnitentiæ probatio operosior est quàm primæ; et circa *exomologesim*, seu humilitatis et mortificationis actus pœnitentiæ proprios, multa præclarè affert: ab initio monens, quòd *exomologesi delictum nostrum Domino confitemur, non ut ignaro, sed quatenus satisfactio confessione disponitur, confessione pœnitentia nascitur, et pœnitentiâ Deus mitigatur.* Hæc Tertullianus dum catholicus; atque in his quæ scripsit postquam montanistis

adhæserat, testatum habemus Romanum Pontificem publicè declarasse, peccata, etsi gravissima, pœnitentiâ functis ab Ecclesiâ dimitti. Et sanè montanistarum error, qui facultatem absolvendi à peccatis Ecclesiæ denegabant, ubique damnatus fuit, ut ex solis epistolis sancti Cypriani sufficienter colligitur (*ib. n.* 730).

§ XVII. Ad veram autem pœnitentiam exigi peccatorum detestationem, confessionem saltem sacerdoti factam, satisfactionem, et novam vitam labis immunem, antiqui Patres multis ostendebant. Aliqua innuamus. *Non docemus*, aiebat Origenes ad Celsum, *iniusto sufficere, ut à Deo recipiatur, si agnoscat suam miseriam: sed qui damnatâ suâ præteritâ vitâ convertat se ad meliorem frugem, eum à Deo recipi.* Sanctus Irenæus expressè testatur, quasdam mulieres à valentinianis seductas et ab iis clam corruptas, ad Ecclesiam Dei postea conversas fuisse, et *tunc cum reliquo errore etiam hoc*, nempè occulta peccata, *fuisse confessas.* Tertullianus tractatu *De pœnitentiâ* in eos clamat, qui ob ruborem peccata non confitentur. *An*, inquit, *melius est damnatum latere, quàm palam absolvi?* Et contra Marcionem observat, Deum interrogasse Adamum et Cainum, ut eos ad spontaneam delicti sui confessionem adduceret, et subdit: *Atque ita nobis conderentur exempla confitendorum potiùs delictorum quàm negandorum, ut iam tunc initiaretur evangelica doctrina: Ex ore tuo iustificaberis, et ex ore tuo damnaberis.* Origenes super psalmum 37. de peccatorum confessione fusè agens, apertè supponit confessionem necessariam eam esse, quæ secretò fit sacerdoti, tamquam prudenti medico: publicam verò solùm debere fieri, quando medicus peritus et misericors ea vulnera toti fidelium cœtui manifestanda censet. Demum sanctus Cyprianus in libro *De lapsis* testatur, plures qui opere non ceciderunt, quia tamen *sacrificare, aut libellum sumere cogitaverant, hoc ipsum apud sacerdotes Dei dolenter et simpliciter confitentes, salutarem medelam modicis vulneribus exquirunt.* Et hinc lapsos omnes vehementer hortatur, ut *confiteantur singuli delictum suum, dum qui deliquit adhuc in sæculo est, dum admitti confessio*

eius potest, dum satisfactio et remissio facta per sacerdotes apud Dominum grata est. Item hortatur, ut conversio sincera sit: *Ad Dominum,* inquit, *toto corde redeamus. Iram et offensam eius ieiuniis, fletibus, planctibus, sicut admonet ipse, placemus.* Quandoque pœnitentia ob quædam certa peccata publicè agebatur, rigidè et ad longum tempus: cunctos autem pœnitentiæ actus præscribebat episcopus, qui terminum priùs præfixum interdum accelerabat causâ iustâ intercedente (*ib. n.* 731 *ad* 739).

§ XVIII. Origenes de extremâ Unctione, ut pœnitentiæ complemento, locutus est, monens unctione olei, et oratione ac manuum impositione factâ à presbyteris gratiam remissionis peccatorum infirmo concedi. Etiam ex epistolis sancti Cypriani de Basilide et Martiali, et de ordinatione Cornelii, sicut ex iis quæ ait Eusebius de ordinatione Origenis, et aliis multis illius ætatis documentis constat, ordinationem aut consecrationem ministrorum Ecclesiæ eorum electionem consequi, et fierì per impositionem manuum episcopi, cui semper annexa est oratio, quibus ritibus sensibilibus ordinato gratia confertur, ut munere suo rectiùs fungatur. Et inde facilè colligitur, quòd ritus extremæ Unctionis, et Ordinationis, inter eos, qui *sacramenta* dicuntur, recenseri debent (*ib. n.* 740 *et* 741).

§ XIX. Tandem circa matrimonium plura nobis ab antiquis Patribus demonstrata sunt. A Deo institutum esse Clemens Alexandrinus et Tertullianus contra Marcionem probabant. Secundas nuptias esse licitas iam dixerat Hermas in *Pastore*. In matrimonio unionem Christi cum Ecclesiâ repræsentari monet etiam citatus Clemens. Tertullianus libro *De monogamiâ* ait christianos *matrimonium postulare ab episcopo, presbyteris, et diaconis,* seu apud Ecclesiam celebrare; et in libris *Ad uxorem* felicitatem celebrat matrimonii, *quod Ecclesia conciliat, et confirmat oblatio, et obsignat benedictio, Angeli renuntiant, et Pater ratum habet.* Atque in libro *De pudicitiâ* detestatur matrimonia clandestina, seu *coniunctiones occultas, id est, non priùs apud Ecclesiam pro-*

fessas. Præterea matrimonium esse indissolubile, Hermas in *Pastore,* Origenes et Clemens Alexandrinus declarant. Demum Ecclesia primâ ætate nonnulla matrimonii, ut aiunt, impedimenta constituit : hoc est, aut consuetudine aut lege ecclesiasticâ prohibitum erat matrimonium, quod iuxta leges reipublicæ contrahi potuisset : cuius rei in concilii Illiberitani canonibus quædam exempla supersunt. Et hæc de sacramentis Ecclesiæ dicta sufficiant, quibus multa addi possent ex iis quæ prioris ætatis scripta supersunt. Secundâ etiam ætate veritates aliquas, necnon ritus seu cæremonias ab ipsis Apostolis procul dubio descendentes comperiemus, quamvis de iis nulla in scriptis prioris ætatis quæ nunc extant, monumenta sint *(ib. n.* 740 *ad* 745 *).*

§ XX. Sacramenta administrari solebant in ecclesiis ipsis seu *Dei domibus*, quas sanctus Ignatius vocavit etiam *templa Dei*, in quibus scilicet sacri seu religiosi conventus congregabantur. Unde quando christiani se *templa* non habere fatebantur, templa dicebant sensu quo et gentiles, in quibus scilicet victimæ immolarentur, et idola seu dii patrii colerentur. Ecclesiæ non eâ capacitate erant ac magnificentiâ, qua nunc esse solent, et plurimùm privatarum domuum cœnacula erant, aliis ministeriis antea dicata. Vocabantur autem *ecclesiæ* ex quo die aptè disponebantur ad sacra in ipsis recto ordine celebranda. Persecutionum autem tempore etiam in carceribus, cœmeteriis, et privatis domibus multis de causis sacri conventus passim celebrabantur *(ib. n.* 746 *).*

§ XXI. Christiani frequenter conventus agebant ; nam quotidie celebrari solebat sacrificium, et distinctis horis ad ecclesiam properabant fideles, ut Deum orarent et colerent. Quandoque cœtus extraordinarios congregabant, in quibus Deo sacrificium offerebatur, aut ob diem anniversarium alicuius martyris, aut ob mortem alicuius ex fratribus. Celebrior autem christianorum conventus die dominicâ agebatur, in qua omnes, etiam agricolæ, sacris mysteriis intererant. Gentiles et hæretici à mysteriorum præsentiâ arcebantur : peccatores etiam, qui in gravissima peccata lapsi pœnitentiam agere

recusabant : pœnitentes verò aliquibus concionis actibus intererant, sicut etiam catechumeni, qui solùm post baptismum mysteriis initiabantur. Sacrorum librorum lectio, episcopi aut presbyteri sermo ad populum, frequens oratio, oblatio panis et vini, Eucharistiæ celebratio et perceptio, præcipui erant actus christianorum conventuum. Hæc autem omnia, sicut et sacramentorum administratio, certis quibusdam formulis ac ritibus agebantur, quæ, quòd ad substantiam attinet, eædem ubique erant, licèt quorumdam sanctorum zelus aliquas orationes aut ritus quandoque superadderet *(ib. n.* 747 *et* 748 *)*.

§ XXII. Nunc de morum doctrinâ, quæ priori Ecclesiæ ætate apud christianos invalescebat, aliqua dicenda sunt. Sed ante omnia observandum est in scriptis ecclesiasticis trium priorum sæculorum solidè stabiliri eadem effata sive principia circa doctrinam morum quæ in scriptis Apostolorum antea observavimus : eadem quoque præcepta et consilia frequenter commendari : iisdemque viis ac stimulis ad ea persolvenda fideles excitari. Itaque pauca quædam speciali consideratione digna commemorare sufficiet. Docent Patres priorum sæculorum, ac frequenter inculcant, non modò æterna esse præmia quæ iustis præparat Deus, sed esse quoque æternum ignem, æternasque pœnas quibus peccatores puniendi sunt. Sic sanctus Iustinus, iudices improborum quos Plato finxit memorans, ait : *Iudicium fore etiam nos dicimus, sed à Christo : idque existentibus improbis in iisdem corporibus cum suis animabus, ut pœnâ æternâ puniantur, non mille annorum, ut iste dixit, circuitu definitâ.* Hæc in primâ apologiâ ; in secundâ etiam ait : *Ii, qui existimantur philosophi, dicunt strepitus inanes esse ac terricula, quæ de improborum in igne æterno cruciatibus dicimus.* Monet etiam ex Dei iustitiâ pœnarum æternitatem oriri. Similia Irenæus, Tertullianus, cæt. Rident etiam Patres antiqui ac contemnunt illorum errorem, qui animas ab uno ad aliud corpus transmigrare comminiscuntur : doctrinam *fati*, seu inevitabilis necessitatis, acriter impugnant ; et constanter asserunt hominem liberum esse ut benè vel malè opere-

tur; à Deo creatum fuisse primum hominem, et totum genus humanum à Deo pendere, Deoque subiectum esse *(ib. n. 749 ad 752).*

§ XXIII. Præterea de infelicissimo Adami peccato Patres antiqui passim loquuntur. Ut autem observat sanctus Irenæus, Adam statim post peccatum confusione opertus, et Dei timore correptus fuit: timor autem Domini initium pœnitentiæ est, et pœnitentibus benignitatem suam largitur Deus. Hinc Irenæus eos hæreticos vehementer impugnat, qui Adami salutem æternam negabant. Profectò cùm multi ex eo nati remissionem peccatorum, et beneficium resurrectionis consequantur, inconveniens esset quòd ipse primus homo à Deo creatus, et pater existens omnium hominum, hanc gratiam non consequeretur. Ita ratiocinatur Origenes, dum ex antiquâ traditione refert ibi sepultum fuisse Adamum, ubi postea Christus crucifixus est. In Adami autem peccato omnes homines mortuos fuisse, seu ab ipso in omnes homines fœdam luem diffusam esse, omnes fatentur et lamentantur. Sanctus Iustinus ait Christum voluisse baptizari, sicut nasci et crucifigi, non quòd his indigeret, sed pro humano genere, quod ab Adamo in mortem et serpentis fraudem inciderat. Sanctus Irenæus ait per Adamum, adhuc virginem, adstrictum morti fuisse genus humanum: et hinc infert necessitatem baptismi seu lavacri regenerationis omnibus hominibus etiam infantibus, eò quòd homines facti sunt omnes in plasmatione secundùm Adam, quæ est in transgressione. Carthaginense concilium, quod ut ait sanctus Cyprianus ad Fidum, pueros recens natos subitò baptizare iubet, eos observat nihil peccasse, sed quoniam secundùm Adam carnaliter nati, contagium mortis antiquæ ipsâ nativitate contraxerunt: et tamen eorum animas perituras esse, si moriantur sine baptismo, apertè supponit. Ex propensione ad malum quam ex primo peccato contraximus, et ex summo conatu quo dæmones nos seducere contendunt, colligebant Patres tentationibus, quæ undique nos circumstant, esse vigilanter et fortiter resistendum.

Sic solidissima doctrinæ morum principia constituebant Patres prioris ætatis *(ib. 752 ad 755).*

§ XXIV. Ex his, quæ circa morum præcepta in eorum scriptis remanent documenta, aliqua indicare sufficiet de martyrio, de fugâ persecutionis, de castitate et eius voto, de ieiunio, et de cultu sanctorum. Martyrium quòd attinet, duplex secum pugnans grassabatur tunc temporis error. Gnosticorum scilicet ferè omnium, qui fidem simulare licitum arbitrabantur, imò martyrium illicitum, quoties negatâ fide vitari posset : et montanistarum, qui martyrio se se offerre suadebant, et persecutionis fugam nunquam esse licitam contendebant. At constans catholicorum doctrina semper tenuit, primò : quòd fidem simulare nunquam licet ; et martyrium pati, iustum, sanctum, et laudabile est. Secundò : quòd fuga persecutionis est multoties non modò licita, sed valdè laudabilis ; imò quod se se martyrio offerre, idola destruere, aut similia in odium idololatrarum peragere, generatim illicitum est ; licèt aliquoties ob singulares causas, et Deo inspirante, ab aliquibus sanctis cum laude factum sit. Utrumque egregiè probat sanctus Cyprianus in *Exhortatione martyrii*, et *De lapsis*. Castitatem christianorum magnoperè extollebat sanctus Iustinus. Sanctam Felicitatem, postquam vidua fuit, castitatem Deo vovisse, in Actis sui martyrii legimus. De virginibus Deo consecratis frequentes memorationes reperiuntur. Origenes *contra Celsum* ait, virginitatis studium apud christianos non vigere propter humanos honores aut pecunias, sed ad pietatis officia, et quia hoc propositum seu hæc mens à Deo conservatur in christianis plenis omni bonitate et iustitiâ. Item ait : *Nos ergo cùm venimus ad Deum, et vovemus ei nos in castitate servire, pronuntiamus labiis nostris, et iuramus nos castigare carnem nostram, et eam in servitutem redigere, ut spiritum salvum facere possimus.* Sanctus Cyprianus de virginibus Deo sacris in epistolis loquens, supponit aliquas ita esse Christo dicatas, ut *in æternum* se continentiæ devoverint. Et in libro *De habitu Virginum* amorem servandæ virginitatis excitat, et christianas virgines mirificè extol-

lit. De ieiuniis præclarè loquitur Hermas in *Pastore;* et sanctus Polycarpus perseverantiam in ieiuniis opportunissimam asserit ne inducamur in tentationem. Clemens Alexandrinus ait christianos feriis quartâ et sextâ passim ieiunare. Tertullianus, postquam montanista, aiebat catholicos non alia ieiunia cum præceptis numerare, nisi quæ festa paschalia præcedunt. Et de his sub nomine *Quadragesimæ* loquuntur Canones Apostolici, et Origenes *(ib. n.* 756 *ad* 764*).*

§ XXV. Origenes, considerans quòd integram charitatem erga fideles in terrâ degentes conservant sancti post hanc mortalem vitam, eos etiam ait nostræ salutis æternæ sollicitos orationibus suis ad Deum nos adiuvare. Hinc ait: *Martyres in cœlo sacerdotii munere fungi, et sacerdotis esse pro peccatis populi intercedere.* Sanctus Cyprianus in libro *De mortalitate* ait quoque sanctos in cœlo, de suâ felici immortalitate securos, esse de nostrâ sollicitos; et ad Cornelium scribens supponit morte dilectionem seu amicitiam non solvi, sed mortuos sanctos Deum pro amicis, et fratribus mortalibus incessanter orare. Sanctorum verò, præcipuè martyrum, festa in die anniversario celebrari, ex eorum Actis passim colligitur; et ut in illis sancti Polycarpi legimus, hæc festa celebrabantur in memoriam et honorem martyrum, necnon in exemplum et consolationem fidelium viventium. In Actis etiam frequentissimè legitur qua summâ veneratione martyrum reliquiæ colligebantur et custodiebantur; et quòd, ubi aderant, altaria et ecclesiæ erigebantur. De imaginum verò sanctorum cultu mirandum non est vix aliquod monumentum superesse, quoniam eâ ætate, ne à gentilibus dii à christianis adorati imagines crederentur, earum usus rarissimus fuit. Tertullianus tamen, factus montanista, aiebat in calicibus quibus ad res sacras catholici utebantur, imaginem Christi sub specie boni Pastoris sæpè videri; et monebat, quòd Deus non imaginum usum, sed eas ut deos habere, vel adorare, israëlitis interdixit. Usum signi crucis in fronte christianis frequentissimum fuisse, ex ipso Tertulliano constat. Ait enim: *Ad omnem aditum et exitum, ad vestitum,*

ad calceatum, ad lavacra, ad mensas, ad lumina, ad cubilia, ad sedilia, quæcumque nos conversatio exercet, frontem crucis signaculo terimus (ib. n. 765 et 766).

§ XXVI. Demum tria christianæ doctrinæ capita ex priori ætate addenda sunt, quibus ad sanctitatem seu perfectionem morum vehementer excitamur. *Primum :* Edocemur iustos aliquos esse, qui post mortem pœnas adhuc patiuntur, et quibus orationes et sacrificia fidelium multùm prosunt. Sic sancta Perpetua in carcere visione cœlesti didicit fratrem suum iam diu mortuum adhuc in pœnis manere; et cùm pro ipso Deum ferventer orasset, post aliquos dies alia cœlesti visione eum liberum ac solutum conspexit. Clemens Alexandrinus *in Stromatibus* ait eos christianos, qui in morte non omninò mundi inveniuntur, purificari; et peccata expiare coguntur, antequam ad mansionem sanctorum deveniant. Tertullianus oblationes pro mortuis ab apostolicâ traditione descendere dicit; et de orationibus ac oblationibus pro defunctis sæpè loquitur. Origenes triplicem classem animarum è corpore exeuntium agnoscit. Aliæ adeò mundæ sunt, ut ad regna cœlestia perveniant quin per ignem transeant; aliæ minùs puræ inventæ, pœnam ignis longiore aut breviore tempore, prout meruerint, sustinebunt: aliæ à Iesu omninò remotæ igni æterno addicuntur *(ib. n. 767 ad 769).*

§ XXVII. *Secundum:* Gratiam Dei ad benè operandum necessariam esse, eamque humiliter petentibus Deum non denegare, Patres antiqui nos admonent. Sanctus Iustinus *Oratione ad græcos* ait, per animas nostras vim quamdam Verbo pervadere, quæ animam liberat à perturbationibus, pravis affectibus, et igne cupiditatis seu concupiscentiæ: nos efficit non poëtas aut philosophos, sed feliciter immortales et cœlestes. Origenes tum necessitatem, tum efficaciam gratiæ contra Celsum ostendebat; neque sufficientem esse humanam naturam ad quærendum Deum, nisi adiuvetur ab ipso Deo: nil boni inter homines gestum esse, nisi Dei Verbo et vi in animis eorum præsente; et multos penè invitos attractos esse ad christianam religionem, spiritu quodam repentè mutante corda

eorum. Et homiliâ in Genesim sic ait : *Omnipotentis Dei misericordiam deprecemur, qui nos non solùm auditores Verbi sui faciat, sed et factores, et inducat super nostras quoque animas diluvium aquæ suæ*, nempè gratiæ. Hinc sanctus Cyprianus *De oratione dominicâ* ait : *Dum præcedit humilis et submissa confessio, et datur totum Deo, quidquid suppliciter cum timore et honore Dei petitur, ipsius pietate præstatur.* Et iterum : *Hanc continuis orationibus precem facimus, hoc diebus ac noctibus postulamus, ut sanctificatio et vivificatio, quæ de Dei gratiâ sumitur, ipsius protectione servetur.* At legenda est omninò epistola sancti Cypriani ad Donatum, quæ iure vocata est *Liber de gratiâ Dei. Tertium :* Instruimur quoque scriptis ecclesiasticis prioris ætatis, angelos plures esse à Deo destinatos ad custodiam hominum, qui nos protegunt, et saluti nostræ invigilant. De his multa Hermas in *Pastore*, et alii plures; sed præcipuè Origenes, qui eos non deos, sed Dei creaturas et ministros à christianis haberi, neque ut deos invocari contra Celsum monet. Et hæc de doctrinâ Ecclesiæ persecutionum tempore, quæ sat ostendunt doctrinam fidei et morum, quam tunc Ecclesia docebat, eandem omninò esse quam Apostoli prædicaverant, et eandem quoque quam nunc Ecclesia catholica tenet *(ib. n. 770 ad 777)*.

ÆTAS SECUNDA

A PACE CONSTANTINI AD SANCTI GREGORII MAGNI PONTIFICATUM.

CAPUT I.

De Constantino.

Quæ sunt præcipuè in hac ætate consideranda 1. *Constantinus renuntiatus Imperator* 2. *Urbem victor ingreditur* 3. *Dat pacem Ecclesiæ* 4. *Ad eam gentiles vocat* 5. *Etiam in Oriente post Licinium victum* 6. *Helena in Ierusalem. Constantinopolis. Lex ad Ablavium* 7.

§ I. Ecclesia in hac secundâ ætate se se mundo conspiciendam præbet pompâ magnificâ et splendidâ, ab humili, paupere et tristi habitu prioris ætatis longè discrepante. Multa verò sunt, quæ in eâ attentiùs considerare oportet. Primò quidem magnos progressus, quibus Ecclesia in pace constituta tum in urbibus cùm per eremos amplificata est. Deinde mirabiles triumphos, quos in sævissimis bellis, quæ contra ipsam iudæi, gentiles et schismatici moverant, de omnibus reportavit. Præterea concilia generalia et particularia, et ingentem

sapientum numerum, quorum scriptis Ecclesia propugnata et illustrata fuit. Et tandem sanctos episcopos, qui Ecclesiam hac ætate gubernarunt, doctrinamque quæ tunc temporis tradebatur: unde facilè observare liceat continuam episcoporum ab Apostolis descendentem successionem, et apostolicæ doctrinæ conservationem perpetuam *(Lib. V. n.* 1 *)*.

§ II. Ante omnia mirabiles eventus considerandi sunt, quibus magnus Constantinus adducitur, ut christianam religionem profiteatur, et Ecclesiæ pacem primò concedat, ac postea unicus manens Imperator validè confirmet. Quatuor in partes imperium distribuebat Diocletianus, duos inter Imperatores atque duos Cæsares, ita ut singuli singulas gubernarent. At biennio postquam in Ecclesiam bellum indixit Galerio indulgens, hoc ipso cogente purpuram exuit. Tunc renuntiabatur Imperator Constantius Constantini pater: filius verò speciali Dei providentiâ cùm furentem Galerii invidiam effugere potuisset, in Britanniam navigat, ubi pater imperabat: hoc verò decedente anno trecentesimo sexto, Constantinus à militibus Imperator pronuntiatus est *(ib. n.* 2. *ad* 8 *)*.

§ III. Constantini socer erat Maximianus Herculeus, qui turpissimus proditor, purpurâ primùm, deinde etiam communi luce generum privare moliebatur. Ab his imminentibus periculis vix Constantinus liber evaserat, cùm ei bellum indicebat Maxentius, qui Romæ imperans, potentissimosque exercitus habens in promptu, in magiæ præstigiis summam spem suam collocabat. Constantinus Dei Altissimi potentiam implorans, Italiam pergit, pauco milite, forti tamen et optimè instructo. Ipse Imperator et totus exercitus crucem in cœlo lucidam conspiciunt: de formâ Labari in somniis monetur Constantinus; et his portentis magis in spem erectus, in Maxentium irruit, inimicas legiones fundit, profligatque: nova apparent prodigia, Maxentius cum toto suo exercitu perit, et Constantinus, Romano populo plaudente, Urbem victor ingreditur. Anno trecentesimo duodecimo hæc contigerunt: sequenti verò, Licinio cum copiis suis

Deum sanctum invocante et exorante, Maximinus eiusque exercitus funditùs corruunt; et exinde Romanum imperium duos tantùm supremos dominos agnoscebat, Constantinum et Licinium *(ib. n. 9 ad 17).*

§ IV. Tunc Ecclesia in rebus sacris integrâ libertate gaudere cœpit, ita iubentibus duobus Imperatoribus celeberrimo edicto, quod anno trecentesimo decimo tertio promulgabant. In eo hæc statuunt: «Nemini prorsùs « christianorum observantiam aut religionem sequendi « aut eligendi licentia denegetur. Quoniam autem libe« ram et absolutam licentiam religionis suæ colendæ « christianis concedimus, simul etiam aliis observantiam « et cultum suum sectari volentibus, id concessum esse « intelligatur. Quod profectò temporum nostrorum « tranquillitati convenire perspicuum est, ut unicuique « liberum sit colendi numinis rationem eligere, atque « observare. Hoc autem ampliùs in gratiam christiano« rum decernimus, ut loca ipsorum, in quibus antehac « convenire consueverant, ipsis olim adempta, corpori « christianorum restituantur ». Itaque christiani imperium erga ipsos feliciter in melius commutatum contemplabantur, atque inde dulcissimâ lætitiâ exultabant, ac fervidis erga Deum et etiam erga Imperatores amoris et gratitudinis affectibus eorum corda inflammabantur. Constantinus autem et Licinius adeò erant ingenio ac moribus discrepantes, ut tribus annis inter eos concordiam perdurasse mirandum sit: post triennium verò ab invicem alienati sunt; et Licinius, sacrificulis victoriam spondentibus circumdatus, et suam spem in diis gentium collocans, terrâ marique cum toto suo exercitu ac classi penitùs funditur. Quo bello faustissimè finito, Constantinus anno trecentesimo vigesimo tertio unicus Romanorum Imperator manebat, ita Divinâ providentiâ ordinante in exaltationem et gloriam nominis christiani *(ib. n. 18 ad 27).*

§ V. Ut primùm Constantinus universæ Ecclesiæ pacem dederat, africanæ, quæ sub Maxentii tyrannide multa passa fuerat, copiosis eleemosynis succurrebat. Promulgabat leges æquitate et benignitate conspicuas,

quibus gentilium animos ad christianam religionem appositè inclinabat. Non statim sacrificia deorum solemnia et publicas aruspicum cæremonias inhibere poterat : utraque tamen in privatis domibus fieri vetabat, et quasdam magicas incantationes, et veneficorum noxiores fraudes sub pœnis gravissimis prohibebat. Cælibatus mulctam revocabat : ut servis in ecclesiis libertas concederetur planabat viam ; et leges alias fidelibus honorificas edebat. Christianam legem sanctificandi diem dominicam fideliter servabat, et festum Paschale solemni pompâ celebrabat (*ib. n.* 28 *ad* 33).

§ VI. Postea verò, Licinio devicto, ad ecclesiam orientalem Constantini dona et gratia perveniebant ; et anno trecentesimo vigesimo tertio gentilium deorum cultores ut christianam fidem amplecterentur edicto publico exhortabatur. In quo quidem mortales omnes ad Christi fidem transire maximè concupiscit : neminem tamen ad id cogi, aut hac de causâ nemini noxiam vel molestiam inferri iubet ; sed quam quis velit, vel idolicam vel christianam religionem colere permittit. Nihilominùs aliqua præcepta dedit idololatriæ adversa ; et idolis ipsis et opibus plura templa spoliavit, imò templa quædam dirui iussit. Quædàm etiam circa hæreticos opportunè providit : nempè, conventus omnes hæreticorum aut schismaticorum non solùm palàm, sed etiam privatim in ædibus, ullisve locis severè prohibuit : eorum oratoria catholicæ ecclesiæ dedit ; reliqua autem loca, in quibus congregari attentarent, publico adiudicavit. Eorum etiam libros cremandos perquiri lex iubebat. Negari tamen non potest tam egregium Imperatorem in aliquibus gestis à veritate et iustitiâ multùm declinasse ; etiam posteaquàm christianæ religioni nomen dederat (*ib. n.* 34 *ad* 41).

§ VII. Constantini mater sancta Helena Ierusalem pergit, et Christi crucem quærit et invenit : de mirabili enim crucis inventione dubitare prudens et accurata critices non sinit. In sanctis Palæstinæ locis plures ecclesias erigit Helena, et post regressum sanctè moritur. Interea Imperator in parvâ urbe Bizanzio magnæ Constan-

tinopolis fundamenta iacit, ut ipsius Romæ magnitudinem æmuletur, seu nova Roma sit, et totius Orientis caput: bonone an malo Romani imperii non facilè diiudices: reipublicæ tamen christianæ tantæ urbis erectio gravissima mala procul dubio intulit, quamquam à Constantino omninò christiana ædificata sit, et pluribus ecclesiis magnificis et opulentissimis ornata. Constantinus etiam christianos Persarum Imperatori aut aliis barbaris Regibus subditos protegere conabatur: episcopos magnâ auctoritate honestabat, præcipuè lege ad Ablavium inscriptâ, in qua lites ad episcopos defferri posse, horumque sententias executioni mandari amplissimè iubebat. Tandem anno trecentesimo trigesimo septimo, baptismo suscepto ab episcopo Nicomediensi, qui, licèt arianus, se tamen catholicum apud Constantinum simulabat, iste moriebatur *(ib. n. 42 ad 51)*.

CAPUT II.

Quomodò succedentes Imperatores in rebus Ecclesiæ se gerant?

Filii Constantini contra idola pugnant. Constantius etiam pro arianis 1. *Iulianus arte et vi idololatriam restituere conatur* 2. *Successores omnes christiani sunt: Valens arianus* 3. *Theodosius fidem catholicam protegit* 4. *Antiochiæ commotæ religiosè parcit* 5. *Thessalonicam iracundè punit* 6. *A sancto Ambrosio reverenter monitus culpæ pœnas publicè luit* 7. *Leges imperiales de rebus ecclesiasticis* 8: *præcipuè ab imperatore Iustiniano* 9.

§ I. Mortuo Constantino, filii eius imperium inter

se partiebantur, qui leges contra idololatriam promulgabant, et clerum privilegiis augebant. Laudandus hac in re Constantius, qui debellato Magnentio novas leges contra gentilium religionem, et pro christianâ ferebat. Cleri immunitates ab oneribus publicis multùm ampliabat Constantius : matrimonium cum fratris viduâ, vel viduo sororis prohibebat, et raptores viduarum castitatem colentium iisdem pœnis, quibus raptores virginum Deo sacratarum, subiiciebat. Cæterùm impatiente pruritu quo de fidei causis ut iudex pronuntiare volebat hic Imperator, et summâ imprudentiâ qua arianorum factioni adhærebat, interna ipsius imperii dissidia fovebat, dum eius limites barbari aggrediebantur. Hinc consobrinos suos Gallum et Iulianum, Cæsares creare coactus est; quo in sui ipsius ruinam exaltationi Iuliani, qui *apostata* vocari solet, occasionem dabat *(ib. n.* 52 *ad* 56*)*.

§ II. Iulianus christianâ licèt religione educatus, tamen astutiâ platonicorum philosophorum, qui mysteriorum theurgiâ, seu fictis miraculis et vaticinationibus, Principem, ut credulitate et levitate incredibili erat, decipiebant, ad amplectendam superstitiosissimam idololatriam adductus fuit. Erat Iulianus parcus, austerus, patiens laboris, et militari fortitudine vir : legiones quædam ipsum purpurâ indui ferè cogunt, et factus Imperator sine luxu vivit, et à quibusdam oneribus populos allevat. Ob errorem quemdam de re politicâ exosus antiochenis evasit : ob plures autem de re militari miserrimè periit in Persiâ anno trecentesimo sexagesimo tertio. Cùm religionem christianam arte et vi, scriptis et armis impugnaverit, mirum non est ab incredulis recentibus admodùm extolli : quæ tamen in eius laudem ab istis adducuntur, si quis ætatis illius aut vicinæ auctores vel gentiles consulat, aut falsa esse, aut fucato nitore splendida passim deprehendet. De Iuliano capite quinto sermo redibit *(ib.* 57 *ad* 63*)*.

§ III. Post mortem Iuliani Imperator eligitur Iovianus; et statim cùm ipse, tum milites ferè omnes se christianos catholicos esse confitentur et gloriantur. At præproperè moritur Iovianus. Valentinianus eius succes-

sor, legibus ad prudentem moderationem compositis, Ecclesiæ multùm favet: quas inter ea meritò recensetur quæ cuilibet ecclesiæ sicut etiam cuilibet populo proprium defensorem habere concessit, qui debiles protegeret, iustitiam tueretur, abusus, et maximè potentes ultra modum agentes frenaret, non quidem ipse cogendo, sed consilio, suasu; et etiam quando opportunum iudicaret, ad tribunalia viciniora, aut suprema, vel ad ipsum Imperatorem relatione, missâve supplicatione. Valens, qui imperium Orientis tenebat, acerrimèque tuebatur arianorum partes, quandoque etiam augures cæterosque divinos insectatus fuit. Quin et Gratianus idololatras afflixit; et Ecclesiam ipsiusque ministros benevolentiâ ac favore prosecutus fuit *(ib. n. 64 ad 68)*.

§ IV. Qui contra plurium deorum cultum, et pro Ecclesiâ catholicâ maiori zelo laboravit ac fructu, magnus Theodosius fuit imperator, hispanus clarissimus. Anno trecentesimo octogesimo celebrem legem tulit, qua se catholicum Romanum profitebatur. In eâ populos imperii sui religionem, quam à sancto Petro acceptam Romana ecclesia conservat, omnes colere iubebat, sive illam quam Damasus Romanus Pontifex et Petrus Alexandrinus episcopus profitebantur. Commendat fidem in Patrem, et Filium, et Spiritum Sanctum, unicam Divinitatem, et unam sanctam Trinitatem cum æquali maiestate. Eos qui hanc fidem amplexentur, christianos *catholicos* vocari iubet, et qui ab eâ discesserint, ut *hæreticos* haberi. Postea decretis ac legibus circa hæreticos et apostatas, gentiles et iudæos, errantium omnium conversioni viam aperiebat et planabat. Inter consobrinos matrimonium interdicebat; et plures quoque leges promulgabat Ecclesiam catholicam directè spectantes, quarum eæ quæ de diaconissis, de reliquiis et de asylo agunt, sicut etiam aliæ, attentâ consideratione dignæ sunt *(ib. n. 69 ad 78)*.

§ V. Ad Antiochiam populari commotione agitatam Theodosius iudices mittit, iniurias Imperatoris statuis et ministris illatas dirè vindicaturos. Pro reis supplices intercedunt totus civitatis clerus, monachi et vicini an-

tistites. Flavianus ipsius Antiochiæ episcopus Constantinopolim pergit, Theodosium adit, summâ reverentiâ ac simul christianâ fortitudine ipsum alloquitur: lacrymis venerandi senis Imperatoris cor emollitur, argumentis ille vincitur, reisque omnibus plenissimè ignoscit (*ib. n.* 79 *ad* 84).

§ VI. Erat Theodosius imaginatione vividâ et ad iracundiam pronus: post primos verò motus argumentis attendere, et piis precibus indulgere consueverat. Thessalonicæ dira seditio à plebe concitabatur: quæ vox ut primùm ad Imperatoris aures pervenit, irâ multùm exarsit: Ambrosius tamen et alii episcopi, qui casu præsentes aderant, supplices Imperatorem pro reis exorant, et veniam consequuntur. Nihilominùs à ministris iterum ad iracundiam provocatus, postea Thessalonicensem populum, nullâ reorum ab innocentibus discretione factâ, cruentissimè puniri iubet (*ib. n.* 85).

§ VII. Acerbo dolore affectus sanctus Ambrosius, summâ quidem veneratione et amore Imperatorem alloquitur, culpam tamen eius nativis iniustitiæ ac crudelitatis coloribus depictam ipsi obiicit. Theodosius peccatum suum agnoscit: ecclesiasticæ legi obtemperat, qua communione privandus erat; et publico christianæ humilitatis singulari testimonio, citiùs quàm leges ferebant, Ecclesiæ reconciliari meretur. In expeditionibus militaribus præsentissimam Omnipotentis Dei protectionem experiri solebat Theodosius, et anno trecentesimo nonagesimo quinto moriebatur. Quamquam verò ob ardentem zelum, quo idololatriam extinguere satagebat, illius virtutes deprimere, defectus augere auctorum gentilium in more sit, nihilominùs Aurelius Victor vivam ipsius imaginem nobis refert (*ib. n.* 86 *ad* 92).

§ VIII. Imperii mala, quorum impetum Theodosius represserat, paulò post eius mortem illud inundant. Corruit omninò imperium occidentale sub Augustulo, anno quadringentesimo septuagesimo sexto, dum Romam occupat Odoacer, Imperatoris nomen et insignia despicit, et Rex Italiæ vocari vult. Orientale id temporis multùm viribus decrescebat: et interea frequentes leges

tum ad idololatriam penitùs delendam, tum ad hæreticos in officio continendos, ab Imperatoribus promulgabantur. Plures quoque sunt circa ecclesiarum et clericorum privilegia, ut Honorii et Arcadii; necnon Theodosii iunioris, præcipuè circa asylum; et Valentiniani tertii, qui anteriores leges circa munera curialium clero adscribi volentium reformavit. Item Martianus, Antemius, Anastasius et Iustinus de rebus ecclesiasticis multa sanxerunt (*ib.* 93 *ad* 106).

§ IX. Longè verò plura quàm cæteri Imperatores celebris Iustinianus. In novo Codice et Novellis ab ipso editis fusè agit de episcoporum assiduitate seu *residentiâ* et electione, de redditibus ecclesiarum et nosocomiorum, de cantu ecclesiastico, de variis disciplinæ articulis, de bonorum Ecclesiæ alienatione, de fundatione monasteriorum et vitâ monasticâ, de clericorum assiduitate in suis ecclesiis, de novarum erectione, de consecratione episcoporum, de conciliorum celebratione, de hierarchiâ ecclesiasticâ, de privilegiis ecclesiarum, de simoniâ in electione episcoporum et quibusdam istorum privilegiis, de causis civilibus et criminalibus clericorum et monachorum, de vitâ honestâ clericorum, de publicis supplicationibus; et de aliis sexcentis ad religionem pertinentibus, non modò christianam, sed etiam iudaicam, cui sacros Libros legendi ordinem præscripsit. Iustinianus post hæreticos et gentiles opibus expoliatos in hæresim incidit, moritur, et ei succedit Iustinus, hypocrita et corruptis moribus: Iustino Tiberius, et huic Mauritius sancto Pontifici Gregorio Magno familiaritate coniunctus (*ib. n.* 107 *ad* 121).

CAPUT III.

Quæ ab Ecclesiæ cum imperio pace originem ducunt?

Ecclesia protegitur ab Imperio 1. *Hinc sacra ædificia latiora et ornatiora* 2 : *ecclesiarum opes auctæ* 3; *tum etiam clericorum numerus* 4 : *cæremoniarum luculentior pompa* 5, *in qua plures ritus iniuriâ reprehendi solent* 6. *Nova festa, ut dedicationis ecclesiarum* 7 : *piæ peregrinationes : vigiliæ : populi supplicationes instructo agmine prodeuntis* 8. *Latior episcoporum auctoritas* 9. *Ad extendendam Ecclesiam novæ viæ* 10. *Populi conversi sæculo quarto* 11 : *quinto* 12 : *et sexto* 13. *Fidelium numerus auctus in oppidis iam christianis* 14.

§ I. Hactenus christianorum seriem, qui imperium Romanum secundâ Ecclesiæ ætate gubernarunt, rapidè percurrimus, aliquas illorum leges ac decreta de rebus Ecclesiæ obiter memorantes. Observare tamen licuit supremam imperii potestatem, quæ priori ætate Ecclesiam pro viribus evertere conabatur, in hac secundâ ad Ecclesiam protegendam, et eius res sacras ordinandas et honestandas plurimùm incumbere. Ex hac verò rerum commutatione quam intulit Constantini pax, quot alias consequi necessum fuit! *(Lib. V. n.* 122 *).*

§ II. Saltem præcipuas indicemus. Ecclesiæ, seu domus Dei, aut sacra ædificia, novâ et mirandâ amplitudine assurgunt, atque pretiosiore supellectili magnificentissimè ornantur. Sed non omnes novæ ecclesiæ eandem figuram habebant. Quæ Constantini iussu Ierusalem in calvario erecta est, rotunda fuisse videtur: quæ Antio-

chiæ, octogona seu octo lateribus æqualibus; et alia eiusdem figuræ Nazianzi erigebatur. Basilica sancti Simeonis Stylitæ, et constantinopolitana sanctorum Apostolorum, et plures aliæ formam crucis exhibebant. Usitatior tamen ecclesiarum figura erat illa oblonga ad instar navis, qualis erat illa Tyri, Constantini iussu ædificata, cuius dedicationem celebrem, et accuratam descriptionem apud Eusebium legimus. Itaque ecclesiæ passim oblongæ construebantur; et erant in eis cavædia seu *claustra,* porticus, navis magna, presbyterium cum parvo sacrario, et cella oblationibus custodiendis, aliud sacrarium amplius, baptisterium, aliæque aulæ *(ib. n.* 123 *ad* 129*).*

§ III. Ecclesia opibus valdè creverat: tum quia Imperatores plura illis quasi in dotem elargiebantur, multisque modis earum sumptibus providebant, adeò ut etiam currus publicos viris ecclesiasticis ad iter faciendum quandoque concederent; tum etiam frequentibus et copiosissimis privatorum fidelium aut donationibus inter vivos, aut legatis ex testamento; tum denique primitiis et decimis, quarum contributio sensim introducebatur et firmabatur, dum per pagos et parva oppida à deorum cultu ad fidem Christi agricolæ convertebantur. Inde est quòd romani Pontifices in ornandis Urbis templis argentum et aurum mirandâ copiâ profundebant, ut legimus in libro *Pontificali;* et ex epistolis sancti Gregorii Magni apertè colligitur Romanæ ecclesiæ redditus sub finem sæculi tertii fuisse copiosissimos *(ib. n.* 130 *ad* 134*).*

§ IV. Pace Ecclesiæ stabilitâ, consequens fuit ecclesiasticorum numerum præcipuè in civitatibus populosis multùm augeri. Et Iustiniano sæculo sexto videbatur nimiùm auctum fuisse Constantinopoli clericorum numerum, atque de illo minuendo cogitabat. Ipso tamen imminutionis decreto maioris ecclesiæ ministerio quadringentos et octoginta clericos, et quadraginta diaconissas assignavit: cæteris verò urbis ecclesiis tot reliquit, quot in earum fundatione fuerant constituti *(ib n.* 135*).*

§ V. Ex notabilioribus mutationibus, quas pace subiit

Ecclesia, multitudo festorum fuit ac cæremoniarum, magnificusque in iis omnibus apparatus. Quidquid verò clamitent inimici Ecclesiæ aperti aut occulti, profectò magnificentia in rebus Divini cultûs et rationi consentanea est, et Dei iussis. Nam cùm homo sensuum ministerio multa percipiat, mentemque ipsam maiori vi ea movere soleant, quæ vividiùs sensibus percipiuntur, ad religionem autem seu Dei cultum omnes homines, etiam rusticam plebem adduci oporteat; conveniens est quod res etiam Divini cultûs, nisi aliquid obstet, magnifico apparatu sensibus obiiciantur, ut maiori reverentiâ à populis venerentur. Hæc autem magnificentia à Deo fuit in Lege veteri præcepta, et ideò in se absdubio bona est, quamquam sine ipsâ religio christiana subsistere possit. Sanè christiani omninò abhorrere debemus ab illo plurium iudæorum et ferè omnium gentilium errore, qui magnificas exteriores cæremonias, quasi eiusdem essent pretii ac religiosæ mentis considerationes et pii cordis motus, commendabant. At ritibus et cæremoniis sensibilibus semper usi sunt christiani, ut internum mentis cultum protestarentur, et mentis affectus ipso rituum exercitio inflammarentur: unde consequens fuit, quòd apparatu pro temporum locorumque diversitate, semper gravi et decoro, interdum verò magnifico, in rebus Divini cultûs uterentur. Ecclesiæ initio ad nimiam iudæorum spem in externis cæremoniis confundendam, eosque edocendos in spiritu et veritate esse Deum adorandum, opportunissimum fuit quòd in rebus sacris christianorum simplicitas et paupertas maximè elucerent. Eas etiam frequentes persecutiones in necessariis collocabant. Quòd si vel tunc ea simplicitas et paupertas Divinæ maiestati indecora atque ab honestis viris aliena, apud quos magni debet esse religio, tam gentilibus quàm iudæis videbatur; unde christianos sine Deo ac sine religione vivere opinabantur; potiùs post pacem Ecclesiæ, post christianorum numerum, potentiam et opes immensùm adauctas, si adhuc in rebus Divini cultûs apud christianos antiquam simplicitatem gentiles et iudæi conspicerent, à nostrâ religione, quasi erga Deum avarâ, incivili et ineptâ,

retraherentur. Unde etiam ut gentilibus et iudæis, qui magnificis cæremoniis assueti erant, ad nostram religionem via planaretur, opportunissimum fuit decoram magnificentiam et ostentationem actibus religiosi cultûs superaddere (*ib. n.* 136 *ad* 140).

§ VI. Inconsultissima verò est eorum opinatio, qui plures Ecclesiæ ritus eò tantummodo improbant, quòd alicui ritui iudaico aut gentilico similes sint: quasi non essent in Lege novâ baptismus, pascha et alia in similitudinem veteris Legis ab ipso Christo et Apostolis instituta; et quasi in gentilium deorum cultu plura non essent, quæ naturâ indifferentia sunt, aut solùm mala, quoniam in eorum adorationem dirigebantur, qui dii non sunt. Et quamquam plures sancti Patres primorum sæculorum philosophiam platonicam coluerint, ridiculum tamen est exorcismos et alios Ecclesiæ ritus contra dæmones ex ipsâ repetere, cùm in Evangelio cæterisque novi Testamenti libris constantissimè nulloque negotio doctrina inveniatur, cui tota ratio timendi, detestandi, ac in nomine Christi fugandi dæmones innititur. Præterea Iesus-Christus ipse exemplum dedit, actionibus sensibilibus, ut erat exsufflatio, manuum impositio, ablutio, et cæt., veritates magni ponderis exprimendi. Iesus-Christus ipse profusionem sumptuum in actibus ad cultum suum ordinatis commendavit recens natus, aurum, thus et myrrham à Magis accipiens; et morti proximus à reprehensione vindicavit in effusione unguenti. Concludamus ergo primò, quòd exorcismi et antiqui alii ecclesiastici ritus iniuriâ reprobantur: Secundò, quòd iure Ecclesia, simul ac commodè potuit, in cæremoniis suis apparatu et ostentatione usa est (*ib. n.* 141 *ad* 146).

§ VII. In hac verò secundâ ætate præter festa Paschatis et aliorum mysteriorum Christi, magnâ etiam pompâ celebrabantur novarum ecclesiarum dedicationes, commemorationes martyrum et reliquiarum inventio, dum scilicet rliquorum martyrum cadavera, persecutionum tempore in locis abditis abscondita, feliciter detegebantur. Quo loco singulari memoriâ digna est inventio reliquiarum sancti Stephani et quorumdam aliorum

sanctorum ob prodigia quæ tunc evenerunt, etiam coram adstante magno parente Augustino *(ib. n.* 147 *ad* 157 *)*.

§ VIII. Pax Ecclesiæ occasionem quoque præbuit, ut frequentiores essent piæ fidelium peregrinationes ad sepulcra martyrum, et præcipuè ad loca sancta Ierusalem : quæ tamen peregrinationes non levibus malis ansam quandoque dabant. Idem dicendum est de solemnibus vigiliis, quæ noctibus præcedentibus martyrum commemorationes, aut annua festa Ecclesiæ celebrari solebant. Quamquam enim hæ piæ vigiliæ ab initio Ecclesiæ institutæ forent, post Ecclesiæ pacem frequentiùs et longè maiori fidelium concursu celebrabantur : unde graviora nascebantur pericula, imò et damna, quorum vitandorum gratiâ sensim vigilias omnes Ecclesia vetabat, præter eam quæ diem natalis Domini antecedit. Post pacem etiam publicæ supplicationes populi instructo agmine prodeuntis initium sumebant; aut ad reliquias martyrum transferendas, aut ob alias religiosas causas. Ex huiusmodi autem publicis supplicationibus duæ Constantinopolitanæ ecclesiæ, quas sanctus Ioannes Chrysostomus describit, observatu dignæ sunt. Altera per fretum longâ navium serie ad ecclesiam sanctorum Petri et Pauli in oppositâ maris orâ sitam dirigebatur, ut aëris serenitas à Deo impetraretur. Altera in honorem martyrum fiebat; quorum reliquiæ magno populi concursu, Imperatrice quoque et Principibus comitantibus, et tantâ luminarium copiâ, ut ignis flumen per calles fluere videretur, ab ecclesiâ maiori per forum nocte deferebantur *(ib. n.* 158 *ad* 162 *)*.

§ IX. Denique ex pace Ecclesiæ magna universis eius ministris et præcipuè episcopis accedebat auctoritas, in civilique republicâ veneratio. Etenim clerus statim fuit peculiaris reipublicæ classis magnis privilegiis honestata. Episcopos facili accessu, familiari conversatione, et frequentibus conviviis Imperatores honorabant, eis magnam pecuniæ copiam pauperibus distribuendam sæpè committebant : eorumque precibus privatis personis, civitatibus et integris etiam provinciis si graves gratias concedebant. Aliunde episcopi in plerisque

civilibus causis saltem ut arbitri sententiam ferentes, gentilibus ipsis spectabiles reddebantur. His verò indicatis mutationibus, si addamus diei dominicæ festum per totum Romanum imperium generatim servari, facilè colligemus, pace Constantini Ecclesiæ faciem in orbe terraqueo fuisse penitùs immutatam (*ib.* 163 *et* 164).

§ X. Eadem Dei providentia, quæ Ecclesiam in priori ætate et radices agere et palmites suos longè protendere disposuit, inter ea obstacula quæ, nisi foret Dei opus, ipsam penitùs destruxissent; disposuit etiam in hac secundâ ætate ad amplificandos Ecclesiæ terminos conferre Regum potentiam, sapientum vigilias, divitum thesauros, cæteraque instrumenta quibus hominum opera erigi ac conservari solent. Atque his auxiliis, et apostolico sacerdotum Domini zelo et martyrum sanguine, quæ nec in istâ ætate deerant, novæ ecclesiæ apud populos idololatras frequenter erigebantur, et apud illas gentes, in illisque provinciis, ubi antiquæ erant ecclesiæ, christianorum numerus maximè augebatur (*ib. n.* 165).

§ XI. Sæculo quarto apud diversas gentes in oris Danubii, in Armeniâ, in qua S. Gregorius *illuminator* dictus prædicabat, sicut et in Persiâ, multùm Ecclesia dilatabatur. Etiam apud Æthiopes Auxumitas labore Frumentii episcopi: per Iberiam Ponti Euxini miraculis christianæ mulieris conditione servili; et per regionem Arabum Homeritarum legatione hoc consilio ad eorum Principem missâ ab imperatore Constantio. Principes quoque Saraceni duarum magnarum tribuum, suadentibus quibusdam sanctis monachis, fidei christianæ subscribebant (*ib. n.* 166 *ad* 169).

§ XII. Sæculo quinto Evangelium prædicantibus diacono Palladio et præcipuè sancto Patricio, ad Christum, derelictis diis suis, convertebantur antiqui Scoti, seu incolæ insulæ illius quæ primùm ut videtur Scotia, deinde Hibernia, et postea Irlandia vocata est. In Oriente percelebre nomen et frequentia miracula sancti Simeonis Stylitæ gentiles plurimos, ad eos præsertim qui montes Libanum et ante-Libanum habitabant, in Ecclesiam

conducebant. Germani populi, qui occidentale imperium occupabant, ferè omnes ante finem sæculi quinti christiani fuere: quo labente memoranda fuit Francorum conversio. Huius famosæ gentis regem Clodoveum seu Ludovicum ut christianorum religionem amplecteretur, Clotildis eius uxor, quæ christiana erat, frequenter hortabatur: frustrà tamen, donec Rex, difficile prælium aggressus, Christum invocabat, et Christi militiæ adscribi pollicebatur, si victoriam consequeretur. Hostes autem penitùs fundit et proscindit; atque victoriâ exultans, fidem illicò amplectitur: ut facilè observes suavi Dei providentiâ etiam expeditionum militarium viâ bellicos eos populos ad veram fidem ductos fuisse. Rhemis à sancto Remigio baptizabatur Clodoveus, et tota Francorum gens Christi vexilla brevi sequebatur (*ib. n.* 170 *ad* 174).

§ XIII. Sæculo sexto Lassi, Heruli, Hunni, Zani, Blemmyi, Novati, et Abasci, orientales populi, christianorum numero accensebantur: in Occidente verò celebratissima fuit conversio Anglo-Saxonum, qui populus totam ferè magnam Britanniam occupabat. Ad hanc insulam à sancto Gregorio romano Pontifice mittebantur Augustinus et quadraginta socii, genti illi Christum prædicaturi. Quorum austera vivendi ratio, divitiarum contemptus, morum innocentia, erga viros quoscumque comitas et sincerus amor, erga magnates et in primis erga Regem debita obsequia et humilis veneratio, doctrinam suam maximè commendabant. Aliunde dum veritates æternas christianâ libertate prædicabant, et æterna præmia iustis offerebant, iniquis verò æterna supplicia comminabantur, stupendis miraculis fidem sibi conciliabant. Ita factum est ut Cantii Rex, omnium potentissimus, Christo nomen daret, et plures etiam Anglo-Saxonum magnates, tum regni Cantii, tum etiam regni Saxonum orientalium. Britanni seu prisci insulæ illius incolæ fidem iam diu amplexati fuerant, sed schismate ab Ecclesiâ recesserant, de quo iterum sermo nobis erit: neque eos sanctus Augustinus ad Ecclesiæ unitatem revocare potuit, quam-

quam bis cum ipsis in conventu publico de pace ineundâ tractavit *(ib. n.* 175 *ad* 182 *).*

§ XIV. Dum hac ætate per diversas gentilium nationes fides propagabatur, non minùs crescebat christianorum numerus in ipsis populis, in quibus Ecclesia iam diu plantata fuerat; nam ubique erant frequentissimæ conversiones gentilium omnis statûs, præcipuè virorum nobilium, militum et litteratorum. Tanta erat subitò fidelium multitudo in urbibus, ut idololatria ad villas seu pagos confugisse videretur: unde idololatris tributum fortassis nomen *paganorum*, quasi in pagis unicè invenirentur. Nihilominùs etiam in pagis ab urbe remotioribus ecclesiæ passim erigebantur, quoniam crescente clericorum numero episcopi in quolibet diœcesis suæ pago sacerdotem vel saltem diaconum locare consueverant, qui paganos illos ad Christum convertere, et in fide instruere conabantur *(ib. n.* 183 *et* 184 *).*

CAPUT IV.

Monasticæ vitæ initium, progressus, et defensio.

Origo vitæ monasticæ 1. *Antonius Abbas, eiusque monasteria* 2. *Pachomii congregatio et regula* 3. *Monasteria plurima in Oriente* 4, *et in Cappadociâ et Ponto* 5. *Necnon in Occidente sub finem sæculi quarti: plura in Ægipto* 6. *Simeon Stylita* 7. *Ineunte sæculo sexto Palæstinæ monasteria reformatione indigebant* 8. *S. Benedicti regula* 9. *Monasteriorum numerus in Occidente augetur* 10. *Vitam monasticam defendit Chrysostomus* 11, *alloquens monachi patrem gentilem* 12, *et christianum* 13.

§ I. Quemadmodum christiana fides in urbibus et in pagis progressus magnos ætate secundâ Ecclesiæ faciebat, ita etiam in sylvis et cavernis montium, et in plagis magis sterilibus et solitariis unà cum fide cæteræ quoque christianæ virtutes multùm florescere videbantur. Doctrina evangelica, quæ mundum ut veræ felicitatis nostræ inimicum tot modis declarat : exemplum ipsius Domini nostri Iesu-Christi, qui ad triginta ferè vitæ suæ annos mundo incognitus et in ipso latens vivere voluit, atque inter munus suæ missionis vel prædicationis exercendum in desertum sæpè recedebat : exemplum quoque Ioannis Baptistæ præcursoris Domini, qui austerissimam vitam in deserto duxit, plures christianos ab Ecclesiæ initio inducere poterant, ut bonis suis inter pauperes distributis, honoribus, oblectamentis seu deliciis, rebusque mundanis omnibus contemptis, ut ad salutem æternam securiùs laborarent, à cæterorum hominum consortio recedentes, in abditasolitudinis loca se se reciperent. Præterea cùm furente populo gentili, gubernatorum provinciarum privato odio, aut etiam Imperatorum præcepto christiani sæpè magnâ diligentiâ inquirerentur, plures ex his, qui secundùm Domini consilium fugere peroptabant, et ex unâ ad aliam civitatem securi non poterant, ad deserta loca se se transferebant, donec persecutionis ardor sedaretur. Et pronum fuit, aliquos tranquillo Deo vacandi otio, quo in solitudine fruebantur, allectos, etiam post persecutionem aut soli Deo, aut paucis hominibus cognitos ibi permanere. Hos inter valdè memorandus est sanctus Paulus eremita, qui à persecutione Decii fugiens, primò in villâ latuerat, deinde in eremum secessit, ibique ad multos annos pane quotidiano à Deo per miraculum misso alitus, et toti mundo ut videtur ignotus, sanctissimam vitam duxit, donec eum iam morti proximum Antonius abbas à Deo monitus quæsivit, invenit, et sepelivit (*Lib. V. n.* 185 *ad* 188).

§ II. Antonius à teneris annis viros solitarios invisere solebat, ut à singulis eam virtutem addisceret, qua

quisque excellere videbatur. Eum ut ab initâ vitâ removeret diabolus, diversis tentationibus aggrediebatur, et in arduis huiusmodi præliis victoriam semper Antonius reportabat. Primò quidem in sepulcro latebat; deinde verò inter antiqui castri ruinas in deserto monte Thebaidis. Quò cùm christiani plures accedentes, unam eandemque vitæ rationem ipso dirigente et gubernante tenere desiderarent, tandem eorum precibus indulsit, eosque socios sibi adiungens vitam monasticam egregiè propagavit; et quodammodò instituisse dici potest, quatenùs nempè, licèt antea plures essent sancti viri in desertis locis solitariè viventes, Antonio tamen institutore societatem inire, et certâ vivendi ratione seu regulâ in eâdem domo sub uno patre seu directore vivere inceperunt. Et statim mons quem incolebat Antonius, et vicini, pluribus monasteriis frequentabantur. Anno trecentesimo undecimo, sæviente Alexandriæ persecutione in christianos, Antonius ad urbem descendebat, ut fidei confessores ad constantiam animaret: pace verò restitutâ, protinùs eremum repetit, monasteria visitat, et novis miraculis ab infirmitatibus et aliis temporalibus pœnis plures liberans, infideles ad fidem, et christianos à vitiis ad sanctam vitam frequentissimè convertit. Iterum Alexandriam pergit anno trecentesimo vigesimo octavo, ut fidem catholicam contra arianos propugnet: futura illius civitatis mala prænuntiat: ad Imperatorem pro Athanasio scribit; et monasteria sua iterum visitans, discipulis præcipit ut eius cadaver sedulò abscondant; et moritur anno trecentesimo quinquagesimo sexto, ætatis suæ centesimo quinto. Mirabilia certè sunt omnia huius Sancti gesta; et eo moriente vita monastica altas radices egerat, et per vastissimas regiones propagata fuerat *(ib. n.* 189 *ad* 205*)*.

§ III. Florescebat etiam in Nitriâ exemplis et doctrinâ sancti Ammonis: Sceti labore sancti Macarii; et aliis in locis ope plurium discipulorum sancti Antonii. Pachomius, Palæmonis discipulus, in Tabenensi deserto plura monasteria fundavit, et in congregationem seu societatem coire voluit; cuius erat unum quoque sacrarum virginum monasterium, et aliud, quod non in deserto,

sed prope urbem erectum fuerat. Regulam monasticam, seu aptam vivendi rationem nonnullis legibus præscripsit. Hilarion austerissimus vir, et miraculorum famâ etiam in aulâ Imperatoris celeberrimus, totam Palæstinam monachis et monasteriis frequentat: montem, in quo vixerat Antonius, invisit: dum hominibus ignotam vitam agere conatur, eius nomen miraculis Deus illustre reddit, et tandem in Cypro insulâ moritur *(ib. n. 204 ad 217)*.

§ IV. Antiquis Palæstinæ monasteriis annumerari debet *Laura* Pharan prope mare mortuum. *Laura* verò non unicum ædificium erat, sed plúribus separatis et multùm distantibus inter se ædiculis aut cellulis, ut *pagus* variis domibus, constabat; in quarum singulis unicus monachus anachoreta morabatur, omnes sub uno præposito vel abbate. In totâ Syriâ plura erant quoque monasteria, et per eam regionem vagabantur illi monachi, qui, quoniam nullo certo loco consistebant, et herbis aut earum radicibus alebantur, *pastores* aut *transeuntes* vocati sunt. De his loquitur sanctus Ephræmus, sancti Iacobi Nisibenis in asceticâ vitâ discipulus, deinde Syriæ superioris illustris solitarius, usque dum ecclesiæ Edessenæ diaconus ordinatus est. Plura scripsit, quæ postea indicabimus, et singulari memoriâ digna est quædam eius iam iam morituri allocutio, quæ *testamentum* vocari solet; in qua enixè rogat, ut sine pompâ in communi cœmeterio eius corpus sepeliatur, et ut ad suffragium pro animâ suâ eleemosynæ, orationes et oblationes post eius mortem, speciatim die trigesimâ, fiant. Multa fausta ferè omnibus discipulis suis precatur, infausta verò quibusdam, et omnibus hæreticis. In Osdroenâ provinciâ celebre monasterium regebat S. Iulianus *Sabas*, seu senex, solitariæ vitæ amantissimus. Cùm verò eum ipsius discipulus Acacius, postea Beræææ episcopus, admonuisset, ab arianis inter huius factionis sectarios magno cum fidelium scandalo numerari, Antiochiam profectus est, ubi catholicorum conventibus publicè intererat, Filium Patri consubstantialem apertè confitebatur, et post consolatos catholicos, et ariano-

rum technam omninò dissipatam, ad monasterium reversus est *(ib. n.* 218 *ad* 223*)*.

§ V. In Cappadociâ prope Nazianzum plures erant monachi magnâ fidei constantiâ et mirabili vitæ austeritate venerandi: qui cum episcopo suo sancto Gregorio seniore post Ariminense latrocinium communicare renuebant, quoniam illius formulæ subscripserat. Deinde tamen, cùm Gregorium facti pœniteret, et catholicam doctrinam clarè profiteretur, cum monachis integra pax restituta est, quam episcopi filius alter Gregorius Nazianzenus eleganti oratione celebrat. Celebrat quoque carmine elegiaco illorum monachorum austerissimam vivendi rationem, propter quam eos suâ manu cadere iniustissimè aliqui dictitabant. Plures etiam monachos magnæ austeritatis et ab arianis vexatos mirari, et opportunis auxiliis consolari solebat S. Melania, matrona romana, quæ aliqua monasteria Ægypti piè invisebat. Macarius verò Alexandrinus castigatione corporis cæteros præstare videbatur. In Ponto celebrabatur monasterium sanctæ Macrinæ sororis sancti Basilii, quæ cum amborum matre sanctâ Emmeliâ, famulabus et quibusdam feminis sibi amicitiâ coniunctis ad villam recessit, quæ in monasterium versa est. Omnes etenim nullo discrimine, quasi omnia essent communia, pauperrimam et sanctissimam vitam ducentes, et orationi, psalmorum cantui, rerum Divinarum meditationi, et operibus manuariis assiduè vacantes, in contemptu mundi, et Dei amore, seu in viâ christianæ perfectionis multùm proficiebant. In vicinia monasterii sororis suæ vixit aliquamdiu cum Gregorio Nazianzeno iuniore et aliis amicis vel discipulis S. Basilius, abstinentiæ, austeritatis, aliarumque monasticæ vitæ exercitationum fidelissimus custos, qui postea, cùm episcopus Cæsareæ in Cappadociâ esset, et nosocomium erexisset, ipsi monasterium adiunxit; et aliud etiam in eâdem urbe pro christianis virginibus fundavit, quas *canonicas*, sicut etiam monachos *canonicos*, seu viventes secundùm canones, in scriptis suis aliquando appellat. Ita S. Basilius in ipsis urbibus monasteria fundandi exemplùm dedit. De Basilio et Gregorio Nazian-

zeno iterum loquemur cùm de scriptoribus ecclesiasticis (*ib. n.* 224 *ad* 230).

§ VI. Labente sæculo quarto plura monasteria in Italia prope Romam et Mediolanum S. Augustinus visitabat: in Hispaniâ Cæsaraugustanum concilium de monachis loquebatur, et Siricius ad Himerium scribens Hispaniæ monasteria memorabat; atque etiam in Africâ nonnulla iam id temporis fuisse, vix dubitari potest. Cassianus præcipua Ægypti invisebat, et cum nonnullis sanctis ac sapientibus abbatibus eos sermones habuit, quos sub titulo *Collationum* in lucem postea edidit; in quibus et in *Institutionibus monasticis* eorum monachorum habitum, alimenta et vivendi rationem accuratè descriptam habemus. Interea S. Arsenius in monasterio Scetis sanctissimè vivebat. Arsenius autem Romanæ ecclesiæ diaconus fuerat, eumque Theodosio, idoneum educandis filiis suis virum inquirenti, romanus Pontifex misit, cuius in sacris et profanis litteris eruditionem, ac præcipuè in sentiendo maturitatem, et vitam sine labe miratus Imperator, eum magnis honoribus cumulavit. Postea verò, cùm Arcadius princeps in Arsenium, qui eum magni criminis reum severè punierat, indignaretur, Arsenius in monasterium Scetis profectus est. Et quamquam postea Arcadius factus Imperator ad eum supplex scripserit, eique ingentem pecuniam monasteriis et inopibus distribuendam mittere vellet, Arsenius latere maluit, et ad mortem usque victu, habitu et labore humilioribus monachis æqualis fuit. Magnus erat quoque labente sæculo quarto numerus monachorum in toto Ægypto, præcipuè in provinciâ eiusdem nominis, in Thebaide superiori et in urbe Oxirinco. Ineunte sæculo quinto quædam erant monasteria in Galliis: tuncque fundatum fuit celebre Lerinense à S. Honorato, qui postea Arelatensis episcopus consecratus fuit. In Oriente instituebantur monachi *Acemetæ*, id est *non dormientes*, ita nuncupati quoniam in eorum monasterio die noctuque psalmorum cantus nunquam cessabat, sibi succedentibus choris, quibus alternabant monachi (*ib.* 230 *ad* 245).

§ VII. Dimidio sæculi quinti toto orbe christiano celebratissimus erat S. Simeon Stylita, qui cùm priùs in deserto latens durissimis cruciatibus corpus suum constanter castigasset, supra quamdam columnam ascendebat; in eâ sub dio noctes diesque ducebat: innumeras gentes, quæ illum invisebant, ad fidem et bonos mores iugiter hortabatur: et magnus erat semper hominum numerus, quos idolorum cultui, hæresi, corruptisque moribus avertebat. Simeonis historiam Theodoretus Cyrensis episcopus oculatus testis, adhuc vivente Simeone, scribebat. Hoc Simeonis mirandum vitæ institutum Daniel et alter Simeon imitabantur, et alii erant quoque monachi qui extraordinariis modis se macerabant, sensuumque illecebras coercebant (*ib. n.* 246 *ad* 251).

§ VIII. Nova monasteria erigunt in Palæstinâ Euthimius et Gerasimus, in Norico seu in Austriâ Severinus, et in Galliis Romanus aliique. In antiquis Palæstinæ monasteriis vitæ monasticæ disciplinam valdè collapsam sancti Sabas et Theodosius ad pristinam formam revocare conabantur. Sabas verò initio sæculi sexti Constantinopolim pergebat, calumnias apud Imperatorem ab eutychianis in defensores concilii Chalcedonensis intentas dissipaturus; et paucos post annos iterum revertebat, ut Palæstinæ populis summâ inopiâ oppressis vectigalia condonari curaret (*ib. n.* 252 *ad* 258).

§ IX. Sanctus Benedictus occidentalium monachorum patriarcha sæculo quinto labente natus fuerat. A Vicovariensibus monachis suo monasterio reluctans abbas præficitur, et non multò post inde recedit, postquam vas, in quo venenum ipsi fuerat paratum, miraculo rumpitur. Anno quingentesimo vigesimo nono celebre monasterium Cassinense fundat, et mirabilem regulam monasticam scribit, opus cedro et auro dignissimum. In eâ, post brevem prologum, quatuor monachorum genera distinguit: munera omnium, quibus monasterii gubernatio commissa est, accuratè describit: opportunissima præcipit de novitiorum admissione, Divino officio, monachorum laboribus, vestitu, alimoniâ, itineribus; de infirmis, hospitibus, et de correctione culparum: et

valdè commendat promptam obedientiam et ardens æternæ salvationis desiderium. Totila veram esse Benedicti sanctitatem agnoscens, summâ veneratione eum visitat, cui Sanctus futura prædicit. Magna deinde miracula operatur, sororem suam S. Scholasticam, quæ cum aliis virginibus Deo consecratis in monasterio non procul inde degebat, invisit; et moritur anno quingentesimo quadragesimo tertio *(ib. n.* 259 *ad* 274 *)*.

§ X. Plura erant S. Benedicti tempore monasteria in Galliâ. Erant etiam in Hiberniâ, ubi abbas Hiensis clero totius provinciæ, etiam episcopis, superior habebatur. In Italiâ celebrabantur monasteria, quæ S. Equitius gubernabat; et in Hispaniâ *Asanense* seu S. Victoriani, S. Donati qui abbas erat Servitanus, S. Æmiliani, Dumiense, Biclarense, et alia. Tunc verò non una et eadem semper erat regula quæ in monasteriis vigebat, sed quilibet abbas eam seligebat quæ suorum monachorum circumstantiis opportunior ipsi videbatur, aut potiùs ex diversis regulis varia documenta sumens, peculiarem regulam sibi suisque subditis efformabat. In Hispaniâ autem præter regulam Ioannis Biclarensis, et aliam monasterii Servitani, regulam quoque S. Benedicti statim cognitam fuisse verisimillimum est. Et in Galliâ etiam regulis sanctorum Aureliani et Columbani pretium fiebat. Dum verò S. Columbanus amplificandæ vitæ monasticæ studio in Galliâ maximè fulgebat, nimiâ erga maiores suos veneratione, et erga Hiberniæ patriæ suæ de die Paschatis consuetudinem amore arreptus, eam in monasteria quæ fundabat in Galliâ etiam contra episcoporum decreta inducere conabatur, et epistolas scribebat in quibus non omnia probari possunt. Qui zelus à christianâ scientiâ omninò alienus, dum virum sanctissimum et pœnitentiâ clarissimum occupare potuit, nos admonet quantum oporteat eis, quos Deus Ecclesiæ gubernandæ præfecit, summâ docilitate obsecundare, etiam in iis quæ nostris privatis opinionibus adversantur; et quantum ab ementito falsi zeli fulgore mediâ humilitate et charitate nobis cavere debeamus. In omnibus ferè christianis provinciis aliqui fuerunt sæculo sexto monachi

extraordinariam vitæ rationem sibi constituentes. In Galliâ multùm celebrabatur S. Hospitius; atque in Oriente S. Salo, qui se dementem simulabat; S. Theodorus Siceota, qui in caulâ, veluti fera quædam, ferro onustus vivebat; et præcipuè monachi ægyptii, de quibus S. Ioannes Climacus loquebatur *(ib. n.* 275 *ad* 285*)*.

§ XI. Rigidam circa mores doctrinam et austeram vivendi rationem, quas vita monastica præ se fert, si attentè consideremus, mirandum non est mundanos viros eam odio habere, calumniis, diversisque argumentis impetere, atque iuvenes ab ipsam amplectendi studio summo conatu removere. Attamen S. Ioannes Chrysostomus mirari solebat esse christianos, qui hac in re perinde ac gentiles opinantes, dicteriis irrideant, et vi quoque insectentur eos qui vitam monasticam amplectuntur, aut etiam illos qui hanc sublimem philosophiæ christianæ partem addiscendam atque executioni mandandam proponunt. Huiusmodi christianorum vicem dolebat Chrysostomus, et monebat eorum verba et facta veras esse christianæ Ecclesiæ persecutiones, et Deo illatas iniurias. Observabat etiam solo dominantium in orbe christiano vitiorum obtutu necessitatem vitæ monasticæ apertissimè demonstrari *(ib. n.* 286 *ad* 290 *)*.

§ XII. Deinde parentibus ostendit singularem ipsum capere lætitiam, quoties aliquis ipsorum filius monasterium vitam monasticam acturus ingreditur. Alloquitur primò Chrysostomus patrem gentilem, et probare aggreditur ipsius filium, quamquam fortunâ supra modum in mundo beandus esset, longè tamen feliciorem fore si fiat monachus, etiam iuxta melioris philosophiæ placita. Feliciorem, inquam, à divitiis; eò quòd earum cupiditate atque sollicitudine sui anxius non sit, quod quidem certa felicitas est, et tamen nil ad vitam necessarium deest: causa honoris et gloriæ; nam etiam apud gentiles Plato Dionysium tyrannum, Socrates Archelaum, Aristides Alcibiadem, et virtute ac philosophiâ præstantes viri eos qui militaribus expeditionibus aut reipublicæ administratione famosi facti sunt, solidiore, diuturniore et universaliore gloriâ præcedere solent: imò etiam à

potestate, qua Imperatores ipsos monachus superare videtur. Primò quidem, eò quòd monachus christianus ab inimicis suis lædi seu vulnerari non potest: etenim quomodocumque monachi corpus torqueatur, animus illæsus manet; eosque ipsos, à quibus cruciatibus aut contumeliis afficitur, diligit, eis optimè cupit, et fausta precatur: qued est nobilissimam de inimicis vindictam sumere. Præterea eos qui opprimuntur adversis, efficaciùs ac dulciùs quàm possint Imperatores monachus consolatur. Nam austerus ipse habitus, aspectus, victus seu vivendi ratio quam monachus, qui antea in opibus et deliciis vixerat, profitetur, ea inquam omnia consideranti, humanarum opum, quorum defectus frequentior est in mundo afflictionis causa, contemptum inspirant. Præterea philosophia cui monachus incumbit, plura mœrore afflictis præbet argumenta, quibus levare spem, mœstitiæ pondere alleviari, seque ipsos consolari possint. His similia multa profert Chrysostomus, quibus concludit parentem gentilem, qui filii sui monachi vitam attento et tranquillo animo consideret, ipsum minimè miseratione dignum existimaturum *(ib. n.* 291 *ad* 296 *).*

§ XIII. Ad patrem christianum postea sermonem convertit: eius muneris summi esse, ait, filios sanctè educare: monens notam esse omnibus summam difficultatem benè educandi iuvenes in medio mundi, theatro corruptis moribus exundante, facilitatemque qua in monasteriis ad virtutum amorem doctrinâ et exemplis iuvenes alliciuntur. Eorum postea opinionem examinat, qui naturalibus scientiis, diversisque idiomatibus in mundo iuvenes instituendos putant, priusquam monasteria virtute informandi ingrediantur. Quo in loco multa consultissimè profert: monens virtutem ante omnia quærendam esse, sine qua eruditio parùm vel nihil prodest. Ostendit etiam nullius ponderis ea esse doloris argumenta, quo parentes affligi solent, dum filii vitam monasticam amplectuntur: et concludit æterna tormenta illis comminando, qui filios suos ab hac viâ æternæ felicitatis ineundâ deterreant *(ib n.* 297 *ad* 305 *).*

CAPUT V.

De iudæis et idololatris ætate secundâ.

Iudæos turbidos continet Constantinus 1. *Frustrà templum instaurare moliuntur* 2. *Plures convertuntur* 3. *Obstinati et cæci multa scribunt* 4. *Persecutio Ecclesiæ sub Licinio* 5. *Cruentissima in Persiâ sub Sapore secundo* 6. *Iulianus christianos vexabat duris legibus* 7, *variis artibus, pœna mortis* 8, *atque etiam sævissimis tormentis* 9 : *eos irridens* 10, *et plures in exilium mittens et expolians* 11. *Scribit contra christianos* 12. *Idololatriæ conatus* 13 : *præceps ruit dum eam maximè instaurandam credebat* 14. *Plures martyres* 15, *præcipuè in Perside* 16. *Nova sapientum mundi in religionem christianam argumenta* 17. *Paganorum fabulas Eusebius solidè impugnat* 18 : *iis ostendit præferendas iudæorum traditiones, nec tamen horum cæremonias esse servandas* 19. *Augustinus demonstrat Romanorum potentiam falsis diis stultè tribui* 20.

§ I. Ecclesiam ætate secundâ raro ab Imperatoribus romanis vexatam fuisse, passimque protectam, antea vidimus: plures etiam per id tempus erant inimici, qui eius vigilantiam excitarent, et eam in patientiâ cæterisque virtutibus exercerent. Iudæi, omnium infensissimi, verbis aut factis iam ei multùm nocere non poterant. Sed et eorum aliqui fidem amplectebantur, ut Hillel patriarcha, et Ioseph ex eorum apostolis, qui ab imperatore Constantino titulo Comitis honestatus, in convertendis

aliis iudæis, et christianis ecclesiis in Palæstinâ erigendis plurimùm laborabat. Iudæorum tamen turba obstinatione cæcâ eos, qui ad christianorum vexilla transibant, variis molestiis affligere satagebat: et turbidos iudæos severissimis legibus in officio continere Constantinus nitebatur. Inde rebellare incipiebant; et eorum motus facilè cohibebant primò quidem Imperator ipse, deinde verò Cæsar Gallus (*Lib. VI. n.* 306 *et* 307).

§ II. Imperante Iuliano apostatâ, eius protectione muniti iudæi viribus et audaciâ multùm invalescebant; et pecuniæ ingenti copiâ collectâ, et magnâ laborantium vi, templi Ierosolymitani instaurationem alacriter et fidentissimè aggrediuntur, Imperatore non modò permittente, sed hortante et iuvante. Ammianus enim Marcellinus, auctor gentilis et Iuliani panegyrista refert, quòd hic Imperator *Ierosolymitanum templum instaurare sumptibus cogitabat immodicis, negotiumque maturandum Alypio dederat.* Et deinde subdit: *Cùm itaque idem fortiter instaret Alypius, iuvaretque provinciæ rector, metuendi globi flammarum prope fundamenta crebris assultibus erumpentes, fecere locum, exustis aliquoties operantibus, inaccessum. Hocque modo elemento destinatiùs repellente cessavit incœptum.* Hæc Ammianus: atque eiusdem temporis christiani auctores nonnulla alia stupenda prodigia accidisse memorant, quæ iudæos ab incœpto opere deterrerent, imò plures eorum atque gentilium ad Divinitatem Iesu-Christi cognoscendam, militiæque christianæ nomen dandum adducerent. Post Iulianum leges iudæis obstinatis et inquietis continendis et comprimendis eduntur, et anno quadringentesimo quarto decimo ab Alexandriâ iudæi omnes pellebantur (*ib. n.* 308 *ad* 312).

§ III. Paulò post omnes qui insulam Minoricam, unam ex Balearibus, incolebant, ad Christum convertebantur: contrà verò Cretenses ab impostore quodam seducti magno numero peribant. Deinde sæculo sexto in Arabiæ angulo iudæus quidam nomine Dunaan regis nomen et supremam potestatem assumens, christianos immani sævitie cruciabat: inter quos sancti Aretas, et

socii trecenti quadraginta, et alii plures incendio traditi, numerantur. Interea Constantinopoli plures iudæi visis quibusdam portentis fidem Christi amplexabantur; et plures etiam Romæ et per totam Italiam summâ humanitate allecti, qua eos S. Gregorius Magnus prosequebatur; et à violento ac falso quorumdam christianorum zelo vindicabat *(ib.* 313 *ad* 316 *).*

§ IV. In hac secundâ ætate varios de religione suâ libros iudæi scribebant aut reformabant: *Mischna,* id est, leges non scripturâ sed traditione receptas: *Gemara,* seu commentarium ac supplementum Mischnæ: et *Talmud,* seu totius doctrinæ aut disciplinæ iudaicæ corpus. In arte critices circa sacram Scripturam magno etiam labore exercebantur: in *Masora,* quæ in genuino sacrorum Librorum textu, et in accuratâ cuiuslibet loci lectione expendendis et servandis versatur; et in *Cabala*, seu in arte observandorum et explicandorum spiritualium et moralium sensuum, qui sub litteræ cortice latent. Manibus tamen assiduè volventes Libros sacros, in obstinatione et cæcitate perseverabant iudæi, ut sanctus Hieronymus patheticè lamentabatur *(ib. n.* 317 *ad* 320 *).*

§ V. Bella etiam contra Ecclesiam secundâ ætate ciere nitebatur ferox idololatria: protectione tamen, viribus et thesauris imperii destituta consistere non poterat, et sensim collabefiebat. Licinius idolorum sacerdotibus indulgens, multa contra clerum christianum præcipit, et immane bellum in Ecclesiam movet. Tunc illustre martyrium sustinebant quadraginta illi Sebasteni, qui hiemali nocte in aquæ congelatæ stagnum nudi immergebantur: et cùm ex eis unus fidem negaturus ex stagno egrederetur, miles quidam à Deo ad fidem miraculo vocatus, se christianum esse velle clamans, in stagnum fugientis locum occupaturus descendit. Tunc etiam Basilius Amaseæ in Ponto, Blasius Sebaste in Armeniâ, et alii plures episcopi in equuleo torti, et diversis suppliciis excruciati martyrium consummarunt. De hac immani persecutione christianorum, et episcoporum præcipuè, loquebatur abs dubio Aurelius Victor, auc-

tor gentilis, dum aiebat: *Licinio ne insontium quidem ac nobili philosophorum servili more cruciatus adhibiti modum fecere.* Christianos enim quasi philosophorum sectam quamdam gentiles facilè considerabant (*ib. n.* 321 *ad* 324).

§ VI. Diuturnum inter Romanum et Persicum imperium bellum christianorum inimicis occasionem dedit, ut Sapori secundo persuaderent christianos sibi subditos ea, quæ in Perside contra romanos parabantur, ad horum Imperatorem referre. Atque hinc immanissima christianorum vexatio in Perside nata est. Etenim post ingentis pecuniæ tributa à christianis severissimè exacta, post ecclesias solo æquatas, post Seleuciæ archiepiscopum in carcere detentum, senem Uztazadium, qui ipsius Imperatoris pœdagogus fuerat, capitis sententiâ ob fidem damnatum, et S. Simeonem cum aliis centum viris ecclesiasticis capite truncatum; Sapor generalem persecutionem anno trecentesimo quadragesimo indicebat cruentissimo edicto, quo christiani omnes ad unum morti addicebantur. Atque cùm christiani nominis confessionem, causâ indictâ, et absque iudicis sententiâ, statim supplicium sequeretur, hinc innumera fuit fidelium multitudo, qui paucis diebus, velut oves ad occisionem ducti, aut iugulati, aut capite truncati, aut severiori supplicio interfecti fuere. In hac veluti tumultuariâ christianorum cæde periit quoque S. Azadius Saporis eunuchus, qui, etsi christianus, apud Imperatorem tamen magni erat, et interfectum Imperator maximè doluit. Hinc novo edicto iubebat, non omnes christianos, sed eos solùm, qui aliorum magistri seu duces essent, morte puniendos. Paucorum huiusce persecutionis martyrum nomina, singulariave documenta supersunt, quorum celebriora indicanda sunt. Sanctæ Tarbula et Pherbuta episcopi Simeonis sorores, et quædam virgo earum ancilla, per medium corpus serrâ secatæ martyrium consummarunt, instantibus ex antiquâ et ridiculâ superstitione magis ita interficiendas esse, atque inter corporum partes secatas reginam quæ ægrotabat transituram, ut sanaretur. Sanctus Sadoth episcopus et centum viginti et octo

clerici sui quinque mensibus in obscuro ergastulo ferris onusti detinebantur, et exquisitis aliis cruciatibus passim torquebantur, à quibus tamen omnibus, si Solem secundùm Regis iussum adorarent, protinùs liberandos sæpè illis dicebatur; et tandem in ipsâ metropoli Seleuciâ interfecti sunt. In Adiabenâ provinciâ S. Acesimas episcopus inter tormenta obiit, et clerici plures immaniter cruciabantur. Sanctus Barsabas cum aliis decem monachis et quodam mago, sancti Milesius, Ambrosimus, Sinas, Narsetes, cum aliis episcopis et clericis, Daniel, Bardas, aliique centum viginti, et Barbasceminus cum sexdecim sociis, aliique innumeri ecclesiastici viri tormentis ac suppliciis variis per totam Persidem martyrio coronabantur. Hoc bellum in Ecclesiæ ministros, insignes monachos, aut alios qui magistri seu doctoris munus obire videbantur, ad septem annos atrociter sæviebat. Postea verò novum priori simile immanissimum edictum promulgabat Sapor, quo christianum nomen omninò deleri, christianosque omnes morte addici iubebat; et eo vigente innumeri christiani persæ per totum Imperium martyrii coronas adquirebant. Dausas etiam episcopus cum ducentis quinquaginta clericis Romani imperii, qui cum in potestatem persarum captivi incidissent, in odium fidei iugulati sunt. Tandem post duos tresve annos immane bellum quiescebat, quoniam Sapor in obsidione civitatis Ninive Deum omnipotentem christianis favere demum cognovit. Sed ad Romanum imperium accedamus (*ib. n.* 325 *ad* 340).

§ VII. Iulianus apostata, simul ac Imperator factus est, ad idolorum cultum instaurandum, christianam verò religionem penitùs destruendam totus incumbebat. Inter christianos schismata seu dissidia excitare et fovere conabatur, christianorum sacra et res omnes irridere, personas verò, etiam episcopos contemnere, et sub benignitatis specie eos vel duris præceptis sæpè vexare. Humanas litteras edocere christianos prohibebat, quoniam hac occasione magistri in iuvenum discipulorum animos cum profanâ doctrinâ, etiam Evangelii notitiam et amorem instillare consueverant. Christianos quoque

prohibebat poëtas, oratores, et philosophos gentiles edoceri, horum libros ab iis evolvendos non esse dicens, qui eorum religionem detestantur. Conabatur etiam, frustrà tamen, gentiles mores christianorum imitari. Singulari studio milites christianos ad cultum idolorum revocare nitebatur: plures tamen erant duces et insignes milites, qui religionem christianam Imperatoris voluntati et militiæ honoribus anteponebant; quos inter illos invenimus, qui in imperio ipsi successerunt, Iovianus, Valentinianus, et Valens *(ib. n.* 341 *ad* 351 *)*.

§ VIII. Christianos vexare illosque morti tradere non propter religionem, sed aliis de causis, falsò asserebat, ut illos martyrii aut confessionis fidei gloriâ privaret. Nihilominùs plures veneramur martyres, qui in hac brevi persecutione martyrium consecuti sunt. In Mæsiâ, Phrygiâ, Galatiâ, et præcipuè Ancyræ, Cæsareæ, et aliis Cappadociæ civitatibus, aut ipso Imperatore iubente, aut etiam provinciæ rectore, vel ex commotione populi, plures christiani tormenta vel etiam mortem sustinuerunt, sub prætextu quòd ad templorum destructionem, regnantibus Constantino et filiis, manum dederant, quòd aliquod deorum altare diruissent, aut contra deorum cultum aliquid egissent, vel zelo clamassent; quasi omnibus his quietem publicam perturbassent. Antiochiæ senatum Iulianus reprehendebat, quoniam nullæ victimæ Apollini offerebantur; et interea ipsius sacrificuli filius Christi fidem amplectebatur *(ib. n.* 352 *ad* 356 *)*.

§ IX. Durissimis tormentis cruciabatur Marcus Arethusæ episcopus, qui antea fuerat arianus, à gentilibus eiusdem urbis, qui templum deorum suorum, quod ille destruxerat, ipsius sumptibus instaurandum contendebant. Sed etiam ex populi commotione in Phœniciâ cruentissimo martyrio ad cœlum evolabant Cyrillus diaconus Heliopolitanus, atque tres fratres Eusebius, Nestabus, et Zenon. Præterea quibusdam sanctis virginibus venter dirumpebatur, et intùs ordeum iaciebatur, ad quod comedendum porci incitabantur, sicque evulsis aut voratis visceribus truci atrocissimoque tormento moriebantur. Eodem tempore plurimorum etiam martyrum sepul-

cra profanata sunt : statua Iesu-Christi, quæ Paneade colebatur, deiecta est. Iulianus episcopum Bostrensem, ut fidelibus suis invisum redderet, epistolâ ad populum missâ malignè calumniabatur : sanctis Artemio, Iuventino et Maximino militibus illustribus caput amputari iubebat; et interea ridicula mysteria *Mythræ* magno gentilium incommodo Alexandriæ detecta fuerunt : unde irâ commota gentilis plebs arianum episcopum trucidabat *(ib. n.* 359 *ad* 370*)*.

§ X. In eâdem Iuliani persecutione celebre fuit Romæ Ioannis et Pauli fratrum martyrium : in Galliâ sancti Victricii militis, qui post atrocissima tormenta superstes episcopus Rothomagensis instituitur : et ferè in omnibus imperii Romani provinciis præsides romani, plurimùm gentiles, tum maximâ pecuniâ imperatâ, tum aliis modis christianos mirè vexabant, probè conscii Imperatoris gratiam ita magnoperè promereri. Quòd si aliqui ex christianis res has Imperatori querebantur, eos irridere solebat ironicè respondens : *Ita patientiam exercere potestis, quæ christianorum patrimonium est: ita Deum vestrum imitamini, eiusque iussa servatis* (ib. n. 371 ad 373).

§ XI. Iulianus Athanasium ab Alexandriâ, et à suis sedibus quosdam alios episcopos interdum exulare iussit : reliquias sanctæ Babilæ, quæ Daphne, Antiochiæ suburbio, magnâ veneratione erant, à sepulcro removit, et eius urbis ecclesias thesauris expoliavit. In eâdem urbe fidem constanter confitebantur Theodosius et Publia : capite damnabantur presbyter quidam, duo milites vexillarii, qui è vexillis suis crucem non evellerant, et alii plurimi. Christianorum cadavera nocte sepeliri iubebat Iulianus, ét Persidem proficiscens Domitium sanctum monachum morti addicebat. Interea apostatæ non pauci à Deo manifestissimè puniebantur *(ib.* 374 *ad* 381*)*.

§ XII. Plures erant tunc temporis litterati viri fidei christianæ detestatores, quorum aliqui christianam religionem et idolorum cultum adunare satagebant. Iulianum, cùm iter versùs Persidem faceret, aliqui ex his philosophis comitabantur, qui argumenta plura colligentes, rem Imperatori ministrabant ad opus illud corpore

13.

grande, quod adversùs christianam religionem edidit. In eo demonstrandum constituit religionem nostram inventum esse hominum, nihil omninò continens, quod Divinam originem ostendat. Probè autem sciens à christianis evidentissimè demonstrari paganitatem, seu deorum et idolorum cultum rem esse absurdissimam, cautè præmonebat eos qui ipsi respondere vellent, non nisi eadem argumenta, quæ ipse tractabat, esse versaturos: frustrà enim foret, aiebat, responsionis loco aliunde argumenta congerere contra eos qui secùs ac christiani de rebus Divinis opinantur. Huius operis ea tantùm fragmenta supersunt, quæ sanctus Cyrillus Alexandrinus transcripsit illud impugnans: ex quibus apparet Iulianum easdem obiectiones iterum allegasse, quas antiqui religionis nostræ defensores sexcenties dissolverant. Aliqua etiam ibidem Imperator fatetur aut commemorat, quibus nonnulla doctrinæ aut disciplinæ nostræ capita firmantur. Ex. gr. Evangelii narrationes de liberatis obsessis, de cæcis, claudis aliisque infirmis sanitati restitutis inconcussè veras supponit; sicut et Iesum-Christum ut Deum à christianis adorari, Mariamque ab ipsis haberi et vocari Dei matrem. Item reliquias martyrum ex Apostolorum traditione certis cæremoniis coli seu adorari à christianis; eisque exprobrat quòd lignum crucis adorent, eiusque signum in fronte faciant, et ante domos suas crucis imagines collocent. Iuliano infeliciter in Persiâ lumine casso, fideles quiescebant; et S. Gregorius Nazianzenus duplici oratione vehementer invehebatur in apostatam ipsum, et in eius propositum christianæ religionis exterminandæ *(ib. n.* 382 *ad* 391 *).*

§ XIII. Post Iuliani imperium plures erant apud Gothos sancti martyres, præter sanctum Sabam, cuius reliquiæ Cappadociam delatæ sunt. Romæ altare deæ *Victoriæ*, quod Gratianus è domo Senatûs abstulerat, restaurare conabatur Symmachus, marte suo, Senatûsque nomine eloquentem hac de re libellum supplicem Imperatori porrigens. Attamen S. Ambrosius orationem Symmachi æquali elegantiâ, maiori verò rationum pondere, impugnabat: atque Valentinianus in Consistorio, ubi

plures etiam gentiles aderant, Abrosii responsione auditâ, reque maturè perpensâ, Symmachi postulatis non annuebat. Paulò post Marcellus Apameæ episcopus vivicomburio ab idololatris furore commotis occiditur, quoniam templum Iovis destruxerat. Alexandrini gentiles contra Imperatorem seditione concitatâ, in templo Serapis accuratè munito securi consistebant: anno trecentesimo octogesimo nono illud dirui iubet Imperator; et eius ruinâ multa accidebant ad revocandos ab errore gentiles opportunissima, unde plurimorum ad fidem conversio sequebatur *(ib. n. 392 ad 406)*.

§ XIV. Alia plura idolorum templa per totum Ægyptum paulò post evertebantur, ut Canopense illud, in quo erat magiæ schola celebratissima. Ex templorum ruinis sæpè ecclesiæ aut monasteria erigebantur, et alicubi, ut in Gazâ, ædificiis parcebatur, et ab omni idololatriæ specie purgata in templa christiana conversa consistebant. Diris hisce ictibus concussa idololatria præceps abibat iisdem ipsis annis à trecentesimo nonagesimo quarto ad quadringentesimum, in quibus gentiles, ut observabat S. Augustinus, ab oraculis præsignificatum sibi persuadebant, idolorum cultum, exterminatâ religione christianâ, restituendum fore *(ib n. 407 ad 409)*.

§ XV. Eodem tempore S. Sisinius et eius socii à barbaris montium Tridento vicinorum martyrio coronabantur. In Suffectâ Africæ coloniâ sexaginta christianos idololatræ occidebant. Et Calamæ fideles à gentilibus paganum quoddam festum celebrantibus mirè vexabantur. Etiam Vandali atque alii populi barbari, sive ex Aquilone in Gallias, Hispaniam et Africam, sive ex Oriente in diversas Ægypti provincias irrumpentes, malis innumeris ecclesias opprimebant *(ib. n. 410 ad 415)*.

§ XVI. In Persiâ initio sæculi quinti sanctus Marutas semen Evangelii magno et prudentissimo zelo spargebat; et morum innocentiâ et gravitate Imperatoris gratiam et amorem sibi conciliaverat, à quo, licèt idololatra, vir Deo gratus habebatur; præcipuè postquam Regi fraudem aperuit, qua magi sacerdotes ignis per-

petui vocem, qua Rex quòd christianum sacerdotem amicum haberet reprehendebatur, ab ipso igne exire simulabant. Ita fides Christi tunc in Perside prosperè progrediebatur: pacem tamen adeò utilem imprudens Audæ episcopi zelus miserè perturbabat. Is enim templum quoddam, in quo à Persis ignis adorabatur, sine iure destruxit: et cùm illud instaurare ab Imperatore iuberetur, ipse verò renueret, inde sæva oriebatur persecutio, in qua sancti plurimi, Audas ipse, Hormisdas, Suenes, Beniamin, Iacobus, et alii capite damnabantur. Ex hoc Persarum in christianos bello aliud contra Romanos oriebatur, quod anno quadringentesimo vigesimo septimo finiebat. Tunc verò Acacius, Amidæ romanæ urbis in limine Persiæ episcopus, septem millia captivorum persarum à Romanis redimebat, et liberos mittebat ad Persiam, eis ad victum in itinere necessaria etiam providens. Tanta episcopi liberalitas Regi persarum acceptissima fuit, et persecutionis vim temperavit, quæ sensim quiescebat (*ib.* 416 *ad* 420).

§ XVII. Iulianus cæterique philosophi hac secundâ ætate contra christianam religionem scriptis pugnantes, duplici argumento nitebantur. Primum: « Christiani, « aiebant, in religionis doctrinâ græcis iudæos antepo- « nunt, cùm tamen illi longè istis sapientiores sint: imò « nec iudæos quidem fideliter insequuntur ». Secundum: « Religione paganâ multùm Roma profecit: contra verò « ex christianâ Imperio gravissima mala provenire cerni- « mus ». Horum verò argumentorum nullam esse vim, christiani sapientes nullo negotio demonstrabant, præcipuè Eusebius et Augustinus (*ib. n.* 421).

§ XVIII. Eusebius in *Præparatione evangelicâ* omninò græcorum refutat de religione doctrinam, clarè ostendens absurdissimas esse non modò fabulas, sed cæremonias quoque superstitionis gentilicæ, imò et omnia eorum profana mysteria. Probat etiam theologiam allegoricam et mysticam, quibus idololatriam sustinere nonnulli conabantur, veri philosophi indignas esse. In iis enim aut deos esse astra et elementa ipsa asseritur; aut Deus supremus et excelsus agnoscitur, qui curæ

homines non habeat, neque cultu externo dignè adorari possit; ut proindè nullum apud homines religionis signum superesse oporteat. Præterea oracula, divinationem et fatum Eusebius impugnat, oraculorum omnium vel percelebratorum illusionem manifestans; divinationem nullam esse ostendens rationum momentis ab epicureis et peripateticis philosophis usurpatis; fatum ex sapientissimorum sententiâ philosophorum ostendens doctrinæ evidentissimæ nostri liberi arbitrii apertè contrarium *(ib. 422 et 423)*.

§ XIX. Græcorum sacrâ doctrinâ impugnatâ, demonstrare aggreditur Eusebius excellentiam doctrinæ hebræorum de rebus Divinis. Hebræos autem vocat eos cuiuslibet nationis viros, qui legem naturalem et antiquam de Divinis traditionem fideliter servant, ut illi qui ab initio mundi ad Moysen usque vixerunt. Extollit etiam excellentiam legis quam Moyses dedit iudæis, hoc est, illi singulari populo qui postea Iudæam habitabat. Unde colligit traditiones hebraicas de religione iure græcis anteponi à christianis. In *Demonstratione evangelicâ* ostendit Eusebius christianos ad iudæorum cæremonias observandas non adigi. Adventum Messiæ à iudæis expectati deinde probat, præcipuè ex antiquis iudæorum prophetiis, quæ de gentium vocatione ad veram Dei cognitionem et cultum, ac de populi iudaici reprobatione clarè loquuntur: in utroque autem prophetias adimpletas cernimus. Probat etiam verum Messiam fuisse Iesum-Christum, atque Moyse ipso longè superiorem: tum ex scriptis sacris, tum etiam ex puritate suæ doctrinæ circa mores, et ex eius miraculis, tum quoque ex simplicitate, candore, cæterisque virtutibus suorum discipulorum; quæ omnia Iesum-Christum impostorem non fuisse, ac proinde nec purum hominem clarè convincunt. Et ex his quæ ex Eusebio hactenùs indicavimus, facilè colligitur in citatis ipsius operibus *de Præparatione* et *de Demonstratione evangelicâ* primum philosophorum platonicorum secundæ ætatis adversùs fidem christianam argumentum esse omninò dissolutum *(ib. n. 424 ad 426)*.

§ XX. Adversùs illud quod publicis Imperii calamitatibus nitebatur, simili efficaciâ scripsit Augustinus: et religionem christianam ostendit neque cum doctrinâ politicâ, neque cum aptâ populorum gubernatione in minimo pugnare. Præterea eruditissimo opere, quod *de Civitate Dei* inscripsit, inter alia demonstrat, Romæ à barbaris victæ et deprædatæ, et aliorum malorum Imperii causam non sine magnâ stultitiâ christianæ religioni imputari : antiquam etiam Romanæ reipublicæ prosperitatem diis, quos antea adorabant, non esse tribuendam; et eorum cultum nullâ ratione posse homines in vitâ, quæ mortem sequatur, felices reddere. Argumenta quæ doctrinæ fidei obiiciebantur omninò dissolvit: ea præcipuè, quæ ex ultimo fine hominis, æternitate pœnarum iniquis inflictarum, universali resurrectione, qualitatibus corporum glorificatorum, miraculis, et sanctorum gloriâ desumuntur. Aliis scriptis demonstrat etiam sanctus Augustinus christianam fidem esse rationi valdè consentaneam; et ut opera nostra ad rectam rationem conformentur, opus esse, quòd idola detestemur et Evangelium amplectamur. Atque huiuscemodi libris ruina paganitatis accelerabat : hæc autem sæculo sexto labente non iam exercitus erat quem timeret Ecclesia, sed manipuli quidam de exercitu omninò disperso residui, quos victor colligere, et suis legionibus adiungere satagebat. Et de idololatris hactenùs dicta sufficiant (*ib. n.* 427 *ad* 439).

CAPUT VI.

De hæreticis in Dei unitatem et Trinitatem errantibus.

Quinque hæreticorum classes 1. *Manichæi* 2. *Priscillianistæ : Itacius* 3. *Pontificum epistolæ, et concilia contra hanc sectam* 4. *Arii impietas* 5: *Eusebianorum audacia : Athanasius* 6 : *Eusebius Cæsariensis : concilium Antiochenum* 7. *Roma pro Athanasio* 8. *Legati Occidentis ad Constantium* 9. *Liberii Papæ exilium. Ossii epistola* 10. *De utriusque lapsu* 11. *Anomæi, et semiariani. Concilium ariminense* 12. *Macedoniani. Sanctus Meletius. Abest bellum arianum* 13. *Iterum cietur præcipuè sub Valente* 14. *Basilius in Cappadociâ* 15. *Gregorius Nazianzenus Constantinopoli* 16. *Ambrosius Mediolani. Arianismus in Imperio viribus decrescit* 17. *Valdè in Africâ catholicos vexat* 18. *Eugenius Carthaginensis* 19. *Martyres Tipassæ, et alii innumeri* 20. *Sæculo sexto* arianismi *monstrum saucium cadit* 21.

§ I. Ecclesia, ætate sæcundâ, magis quàm ab idololatris fuit ab hæreticis et schismaticis agitata : omnes autem aut omninò destructos aut oppressos tandem vidit. Quasi in quinque exercitus contra primaria Ecclesiæ dogmata distributi ; alii perfectiones Dei et animæ rationalis impugnabant : alii Trinitatis mysterium : isti incarnationem Filii Dei : illi Iesu-Christi gratiam, sacramenta et doctrinam morum : postremi autem Ecclesiam ipsam directè appetebant, eius unitatem disrumpere

conantes. De singulis hoc capite et sequentibus verba faciemus.

§ II. Inter inimicos perfectionum Dei et animæ rationalis primò collocandi sunt *manichæi*, quorum præcipuos errores ætate primâ capite XII. indicavimus. Hi hæretici, cùm severissimis imperialibus legibus damnarentur, ut earum vim declinare possent, *encratitæ*, id est continentes, *apotactitæ* seu divitiarum contemptores, et aliis similibus nominibus, dum latere opportunum esset, vocabantur. Mentem sancti Augustini, dum ille iuvenis erat, occupavit manichæorum doctrina; at eius fraudes sensim cognoscebat, et deinde in convertendis manichæis plurimùm laborabat; tum pretiosissimis libris illorum errores impugnans, quorum ii saltem qui *De fide rerum quæ non videntur*, et *De utilitate credendi* inscribuntur, ætate quoque nostrâ iure optimo legendi forent; tum etiam in conventibus publicis et privatis cum ipsorum magistris sæpè conferens. Anno trecentesimo nonagesimo quarto, instante sancto papa Siricio, manichæos ab Urbe exulare iubebat Theodosius imperator; et sæculo quinto sub Leone Magno, et sexto etiam sub Symmacho et Hormisda adhuc erant Romæ huius impietatis sectatores, quorum libri flammis damnabantur. In Africâ, impensiùs verò in Persiâ, sævissimè vexabantur *(Lib. VI. n. 440 ad 445)*.

§ III. Veris manichæis annumerandi sunt *priscillianistæ*, qui in Hispaniâ et Galliâ tot motus excitarunt. Eos concilium Cæsaraugustanum anni trecentesimi octogesimi condemnabat: Roma protinùs detestabatur; et imperator Maximus Priscillianum et aliquos discipulos eius morti addicebat. Quoniam verò Itacius priscillianistas, qui decretis Cæsaraugustani concilii apertè resistebant, apud Imperatorem accusaverat; postea, quamquam accusatoris munus reliquit, ut primùm de pœna capitis agi cœptum est, eum acriter reprehendebant S. Martinus Turonensis et alii Galliæ episcopi. Et mortuo imperatore Maximo, Turonensis provinciæ quoddam concilium, aliudque Mediolanense anni trecentesimi nonagesimi episcopatu Itacium deponebant, imò excommunicatione mulctabant,

quòd instantiis suis quorumdam hæreticorum mortis aliquo modo auctor fuisset *(ib. 446 ad 449).*

§ IV. Postea in Hispaniâ, seu potiùs in Gallæciâ, plures priscillianistæ suos errores abiurabant; et cum eis benignissimè agebat concilium Toletanum anni quadringentesimi, episcopis suas sedes et honores facilè concedens, dummodò regulæ seu professioni fidei factæ à concilio subscriberent. Quod cùm episcopi aliquot provinciarum Bæticæ et Carthaginensis contra severam Ecclesiæ disciplinam factum esse zelo nimis rigido ac vehementi conclamarent, et inde Hispanæ ecclesiæ schisma immineret, Hilarius episcopus et Elpidius Romam profecti sunt, rem omnem ad Innocentium primum romanum Pontificem delaturi. Innocentius epistolâ ad Patres qui concilio interfuerant scriptâ, benignitatem, qua priscillianistas conversos susceperant, probat et laudat : ut omnes ab Ecclesiæ unitate separatos ipsi conciliare conentur, hortatur; atque si quos invenissent talis concordiæ inimicos, eos ut schismaticos excommunicandos decernit. Circa dimidium sæculi quinti sanctus Turibius Asturicensis episcopus ad sanctum Leonem romanum Pontificem indicem mittebat errorum priscillianistarum, et librum quo eos impugnabat. Sanctus verò Pontifex in rescripto suo de sententiâ capitali contra Priscillianum et socios dicta ita loquebatur : « Mundi Principes « ita hanc sacrilegam amentiam (hæresim priscillianistarum) « detestati sunt, ut auctorem eius cum plerisque « discipulis legum publicarum ense prosternerent. Pro- « fuit diu ista districtio ecclesiasticæ lenitati, quæ, etsi « sacerdotali contenta iudicio cruentas refugit ultiones, « severis tamen christianorum Principum constitutioni- « bus adiuvatur, dum ad spiritale nonnunquam recur- « runt remedium, qui timent corporale supplicium ». Hæc ab initio sanctus Leo. Deinde errores sectæ præcipuos solidè impugnabat. Iubebat etiam omnes Hispaniæ episcopos in concilio coire, ut de hæreticorum omnium conversione ardenti zelo procuranda ageretur. Nihilominùs priscillianistarum hæresis non adhuc omninò extincta fuisse videtur circa dimidium sæculi sexti; nam conci-

lium Bracarense anni quingentesimi sexagesimi primi anathemata decem et septem in totidem errores iecit, qui priscillianistarum doctrinam apertè continent *(ib. n.* 450 *ad* 453*)*.

§ V. Magnus erat quoque inimicorum Ecclesiæ in mysterium sanctissimæ Trinitatis ætate secundâ pugnantium exercitus: quæ tamen arte peritior potentiorque vi dimicavit, et plura damna Ecclesiæ intulit, legio *arianorum* fuit. Diabolus enim nimis iam esse detectas videns versutias omnes, quibus humanum genus ad Divinum cultum creaturis tribuendum induxerat, novum belli genus indixit, et de Divino cultu Creatori denegando, ipsumque creaturis accensendo cogitavit. Hic est arianorum scopus: quo nomine illi hæretici designantur, qui secundam Trinitatis Personam verum Deum esse negant, veramque creaturam licèt omnium perfectissimam esse propugnant. Arium hanc impietatem Alexandriæ docentem damnabat patriarcha sanctus Alexander in concilio anni trecentesimi decimi noni, et iterum paulò post in alio centum circiter episcoporum. Hoc celeberrimo iudicio se damnatum videns hæresiarcha, Palæstinam recedebat, ubi plures erant episcopi sibi maximè addicti, præcipuè Eusebius Cæsariensis: à quo, seu ab Eusebio Nicomediensi, ariani nomine *eusebianorum* initio noscebantur *(ib. n.* 454 *ad* 457 *)*.

§ VI. Discordia inde nata inter christianos multùm effervescebat; unde illos irridendi ansam gentiles inveniebant. Constantinus imperator Ossium Cordubensem episcopum Alexandriam misit, ut pacem restitueret. Ossius frequentissimum vicinorum episcoporum concilium protinùs indixit; atque Nicæensi œcumenico, de quo capite nono, postea præsedit. In utroque recens natus error perspicuè et acriter damnatus est: nulla autem vi suffocari potuit. Arius in exilium ab Imperatore mittebatur. Postea tamen eusebiani ope sororis Constantini hunc frequenter seducebant, et illius protectione interdum gaudebant. Ita audaciores effecti, non solùm Arium eiusque sectatores fictis aut ad speciem veris retractationibus in gratiam Imperatoris restituebant, sed illustriores

catholicos dirissimè insectabantur. Eustachium Antiochenum episcopum turpi calumniâ infamare, et quasi de crimine convictus esset, atque sub vagâ *sabellianismi* notâ qua catholicos omnes inurebant, sede deponere ausi sunt, et eum in exilium relegari ab Imperatore impetrarunt. Sanctum Athanasium Alexandrinum episcopum, qui arianam impietatem iam ante Nicæense concilium magno zelo et sapientiâ impugnabat, mille modis calumniabantur; et in concilio Tyri anno trecentesimo trigesimo quinto, ab episcopali munere et ab Ecclesiæ communione segregare intentabant: Constantinus autem eum ad Treviros exilii causâ ire iubebat. Arius à Ierosolymitano concilio in communionem Ecclesiæ admittebatur; et dum Constantinopoli ad communionem admittendus invito episcopo, quasi triumphans ad ecclesiam magno comitatu deferebatur, repentè vitâ functus est, ineunte anno trecentesimo trigesimo sexto (*ib. n.* 458 *ad* 469).

§ VII. Anno sequenti moriebatur Constantinus, et sanctus Athanasius ad Ecclesiam suam revertebatur. Eusebius etiam Cæsariensis obibat, cuius fides quidem pura fuisse videtur; ratio autem qua in Arii causâ se gerebat, abs dubio reprehensione dignissima fuit. Arium enim etiam post Nicæense concilium semper protexit; et de illo concilio ita loquitur, quasi præcipua illud convocandi causa quæstio de die Paschatis fuisset. Tunc arianorum factio ad sanctum Iulium romanum Pontificem legationem mittebat contra Athanasium; et ut Romæ, ad concilium vocatis Athanasio et eius accusatoribus, causa finiretur postulabant. Cui petitioni annuens Pontifex, Athanasium et universos Orientis episcopos ad concilium vocabat. Interea tamen Antiochiæ anno trecentesimo quadragesimo primo, coram imperatore Constantio arianæ factionis vindice acerrimo frequens episcoporum concilium coibat; quod, inter alios canones innocuos, nunquam suæ sedi restitui posse statuebat episcopum, qui à concilio depositus ad Imperatorem confugeret, aut ad suam ecclesiam reverteretur priusquàm ab alio concilio restitutus fuisset. Postquam ita constituerant,

ambabus de causis pœnam mereri Athanasium conclamabant; et alio concilio novum Alexandrinum episcopum instituebant Gregorium quemdam, qui totius Ægypti catholicos sævissimè insectatus est *(ib. n.* 470 *ad* 473 *)*.

§ VIII. Eodem tempore ut virum, qui suas partes teneret, ecclesiæ Constantinopolitanæ præficiant, in eâ urbe cruentas seditiones movent ariani. Et quamvis Romam vocati ad concilium quod eorum legati cogi petierant, quoniam Athanasius eò iam perrexerat, iter excusantes ad Iulium romanum Pontificem responsionem miserunt. Ipse tamen in concilio quinquaginta episcoporum Athanasii causam in examen vocavit, sicut etiam Marcelli Ancyritani, et aliorum quos eusebiani deposuerant, omnesque innocentes declaravit, atque ad Orientem misit litteris munitos, quibus suis sedibus restituerentur. Ita referunt Socrates et Sozomenus auctores græci, hac occasione observantes, episcopos vexatos ad Romanum undiquè confugere, quoniam ad huius sedis dignitatem pertinet de ecclesiis omnibus curam gerere. Ad eusebianos etiam post concilium sanctus Iulius scribebat, eos magnâ vi et charitate reprehendens, et commonens. Interea ariani novas fidei confessiones edere non cessabant: in Sardicâ damnabantur: Philippopoli conveniebant, et in universo Oriente catholicos violentissimè vexabant *(ib.* 474 *ad* 480 *)*.

§ IX. Constans Occidentis imperator frequentissimum concilium anno trecentesimo quadragesimo septimo Mediolani coactum protegebat, in quo Ursatius et Valens arianorum principes suos errores palàm abiurabant. Concilii patres ad Constantium Orientis imperatorem legatos mittebant, ipsius iustitiam et benignitatem pro catholicis contra arianorum sævitiam etiam nomine imperatoris Constantis oraturos. Dum verò Constantinopolim legati perveniebant, eorum mores malis artibus pessimas ostendere frustrà hæretici conabantur. Interea Antiochenam ecclesiam ariani occupant: Constantius litteris ad Athanasium missis, ut Alexandriam redeat permittit et hortatur; et dilectum antistitem inexplicabili gaudio Alexandrini recipiunt. In concilio Sirmiensi

anni trecentesimi quinquagesimi primi episcopus Photinus, qui Divinas Personas tres esse distinctas negabat, ab episcopatu deiicitur *(ib. n. 481 ad 485).*

§ X. Anno trecentesimo quinquagesimo tertio in catholicos iterum ariani sæviunt. Athanasium coram Liberio romano Pontifice accusant, et antequam sententia ferretur, eum damnant in Arelatensi concilio, dum Imperator hæreticus in eâ urbe fortè aderat. Athanasius longiorem sui apologiam tunc scribebat, et Liberius Papa eum tuebatur. Imperator verò non solùm in concilio Mediolanensi Athanasium damnari iubebat, sed urgebat etiam quòd à Liberio damnaretur : unde Pontifex iste in defendendâ innocentiâ constans, exulabat. Ossius Cordubensis episcopus epistolam ad Imperatorem misit perenni memoriâ dignissimam, in qua eum vehementissimè hortatur, ut à factione arianorum protegendâ et Athanasio vexando tandem desistat, eique, inter alia præclara consilia, ita loquitur : « Ne te misceas ecclesiasticis, neque nobis hoc in genere præcipe, sed « potiùs ea à nobis disce. Tibi Deus imperium commi-« sit, nobis quæ sunt Ecclesiæ concredidit. Et quemad-« modum qui tuum malignis oculis carpit imperium, con-« tradicit ordinationi Divinæ : ita et tu cave ne quæ sunt « Ecclesiæ ad te trahens magno crimini obnoxius fias. « Date, scriptum est, quæ sunt Cæsaris Cæsari, et quæ « sunt Dei Deo. Neque enim fas est nobis in terris impe-« rium tenere ; neque tu thymiamatum et sacrorum potes-« tatem habes, Imperator. Hæc quidem ob curam tuæ « salutis scribo ; et de his quæ in epistolis scribis hanc « meam sententiam accipe. Ego neque arianis assideo, « neque suffragor, sed eorum hæresim anathemate « damno : neque in Athanasium accusationibus subscri-« bo. » Hæc et alia similia Ossius, quibus impotentem Constantii pruritum de rebus fidei, perinde ac de civilibus decernendi ac vi compellendi, coercere conabatur. Centesimum circiter annum tunc Ossius agebat; et nihilominùs sub prætextu quòd eius constantia in offensis erat ne episcopi hispani arianis adhærerent, Sirmium ab

Imperatore vocatus fuit, ibique anno integro detinebatur *(ib. n. 486 ad 496).*

§ XI. Ariani per totum Ægyptum ac Lybiam in catholicos eorumque res sacras sacrilegè sævissimèque insurgunt: Georgius verò episcopus cæteros audaciâ et immanitate superabat. Athanasius in eremis Ægypti latitans ad Constantium scribebat, anno trecentesimo quinquagesimo sexto, cunctas inimicorum suorum calumnias omninò dissolvens. Etiam Constantinopoli et in Occidente catholicos ariani persequebantur, et sancti Eusebius Vercellensis et Hilarius Pictaviensis in exilium mittebantur. Ossius et annis et virtutibus venerandus, Imperatoris vi nonnihil cessisse visus est, cum arianis sacra communicans. Ariani autem sæpè fidei formulis subscribebant, quæ Verbi Dei dignitatem sat explicare videbantur, et vocem *consubstantialis* solùm ut novam, et non necessariam, se reiicere affirmabant, eandemque doctrinam quam catholici se sustinere dicebant. Nunquam tamen Ossius sententiæ contra Athanasium subscribere voluit: quæ subscriptio tessera seu signum tunc erat arianos à catholicis discernens. Quamquam verò multis excusari poterat illud Ossii erga arianos obsequium; retractavit tamen, et summo horrore, quasi gravissimum fuisset peccatum, de illo postea loquebatur. Sed et Liberium ipsum cecidisse plures opinantur: non levia tamen sunt momenta, quæ ipsum constantem permansisse suadent. Certè Hieronymus Liberium ait quasi in triumpho Romam rediisse, et Romanum populum cum plausu ei obviam occurrisse. Romanus autem populus pro fide catholicâ contra arianos defendendâ constantissimus, Liberium tanto honore non suscepisset, si redeundi ab exilio libertatem turpi lapsu sibi comparasset *(ib. n. 497 ad 506).*

§ XII. Interea Athanasius et Hilarius in exilio pro fide catholicâ scribebant; et hæretici in duas factiones seu partes dividebantur, *anomæorum,* seu puram putam Arii doctrinam profitentium, nec similitudinem quidem inter Deum Patrem et Deum Filium admittentium; et *semiarianorum,* qui Filium Patri similem,

minimè verò consubstantialem prædicabant. Anno trecentesimo quinquagesimo nono famosissima concilia Arimini et Seleuciæ congregabantur. Arimini patres catholici ab *anomæis* sensim decepti, aut violentiâ victi, perversæ fidei formulæ subscribebant; et Seleuciæ semiarianorum factio triumphabat. Cùm verò Imperator ariminensem formulam præferendam iuberet, ei concilium constantinopolitanum et episcopi plurimi subscripserunt, ita tamen ut maioris ipsorum subscribentium numeri fides semper integra manserit: formula enim errorem nullum clarè exprimebat, quamquam insufficiens declarandæ fidei catholicæ abs dubio foret. Præterea fuerunt quoque plures qui non subscripserunt: imò Athanasius, Hilarius aliique, non tantùm contra Seleuciæ concilium, sed etiam contra formulam ariminensem magnâ vi clamabant et scribebant. Ut proinde vel mensibus concilium immediatè sequentibus multùm abfuerit, ut error universalis in Ecclesiâ nisi per hyperbolem potuerit appellari (*ib. n.* 507 *ad* 518).

§ XIII. Anno trecentesimo sexagesimo Constantinopoli congregabantur ariani, in quorum conciliabulo quæ apud ipsos erat divisio multùm effervescebat: indeque nova surgebat factio, quæ *macedonianorum* seu *pneumatomachorum* vocata est, et Spiritûs Sancti Divinitatem præcipuè impugnabat. Eodem anno sanctus Meletius, ad sedem Antiochenam feliciter evectus, fidem catholicam propugnabat; et paulò post moriebatur Constantius, et cessabat persecutio. Sanctus Athanasius non statim Alexandriam regrediebatur, veritus ne ariani episcopi ibi constituti, viri audacis, artibus et vi nova dissidia in damnum fidelium suo reditu nascerentur. Ariano tamen episcopo decedente, protinùs ad suam sedem redibat, et celebre episcoporum concilium convocabat, cui viginti intererant episcopi confessores, seu qui propter fidem exulaverant; et in quo de iis episcopis reconciliandis, qui ex arianis reverterentur, præcipuè agebatur. Concilium omnes omninò, dummodo Nicæensi concilio subscriberent, benignè admittendos decernebat; cum hoc solùm discrimine, quòd ii qui arianæ factionis capita

fuissent, communione tantùm laicâ donarentur : ingens verò aliorum numerus, qui vel fraude seducti, vel vi coacti, ariminensi formulæ subscripserant, in suas sedes, gradus et honores integrè restitueretur. Novus imperator Iulianus christianam religionem penitùs destruere impiissimè machinatus, christianorum sectas numerosiores sub prætextu protegendi debiles, facilè opprimebat, omniumque libertatem mutuumque odium fovebat, ut inter christianos discordia invalesceret. Attamen vaferrimi hominis conatus huiusmodi catholicis ecclesiis contra iniustam arianorum oppressionem utilissimi tunc fuere. Imperante Ioviano perfectam pacem tota Ecclesia adepta est ; at post octo menses è vivis excessit *(ib. n. 519 ad 525)*.

§ XIV. In occidentali imperio sub Valentiniano levis in catholicos persecutio movebatur ; at in orientali omnes qui puri ariani non erant, Valens ferè semper insectatus est : unde plurimi orientales episcopi ex semiarianis ad romanum Pontificem anno trecentesimo sexagesimo sexto confugiebant, et catholicam fidem amplectebantur. Tunc Valens episcopos omnes à Constantio in exilium missos, qui Iuliano imperante ad suas sedes reversi fuerant, iterum relegabat. Athanasius, quem præceptum quoque spectabat, in sepulcro patris sui abscondebatur : post quatuor autem menses ab ipso Valente revocatur, et ei Alexandriæ coram populo suo liberè consistere permittitur. Ita Valens in gratiam Alexandrini populi erga Athanasium benignus fuit. Similiter cùm in sanctum Bretannionem Scytharum episcopum, qui cum arianis communicare noluit, sævire vellet Imperator, ferocem illam gentem timens non audebat. Constantinopoli autem octoginta clericos arianis infensos morti addicebat. Deinde Antiochiam profectus, sanctum Meletium in exilium denuò mittebat ; et licèt sanctum Aphraatem insignem monachum veritus fuisse videatur, plures tamen episcopos et clericos exilio sæpè multabat ; atque edesseni populi, cum episcopo ariano nullo pacto communicare volentis, fidei constantiam admiratus, et punire volens, episcopum Eulogium et cæteros

ecclesiæ illius ministros omnes circiter octoginta ad Thraciam amandabat. Interea sanctus Damasus romanus Pontifex concilia contra hæreticos congregabat : annuente imperatore Valentiniano Auxentium Mediolanensem episcopum, famosum arianum, eiusque socios quosdam ab Ecclesiæ communione separabat : fidem Nicæensis concilii sustinendam, Ariminensis verò gesta et formulam damnanda declarabat; et de his ad orientales episcopos scribebat *(ib.* 526 *ad* 536 *)*.

§ XV. Valentis persecutionem Alexandria, vivente Athanasio, non patiebatur; at strenuissimus iste Divinitatis Verbi propugnator, post tot exilia et labores, anno trecentesimo septuagesimo tertio, in domo suâ tranquillè moriebatur. Tunc ariani ecclesiam Alexandrinam arte et vi occupare moliuntur : catholici per totum Ægyptum sævissimè vexati sunt. Tunc quidam monachus, natione saracenus, quem huius gentis Regina, pacem cum Valente iniens, ad patriam episcopum consecratum redire expetebat, ab arianis episcopis consecrari constantissimè renuit : quapropter à catholicis episcopis tandem consecratur, ita iubente ob metum gentis illius eodem Valente, qui catholicos tam dirè insectabatur. In hac persecutione sanctus Basilius Cæsariensis episcopus multùm pro fide catholicâ, et magnâ cum patientiâ et fructu laboravit. Et cùm Modestus Imperatoris iussu exilium, tormenta, mortem ipsam ei comminaretur, nisi arianorum pravitati subscriberet, tantâ constantiâ et tranquillitate impavidus respondit, ut attonitus Modestus se victum fateretur. Imperator ipse ad ecclesiam, dum sacra solemnia celebrarentur, properans, præsulis, cleri, totiusque populi religionem, ordinem, et silentium observans, stupore correptus, Basilium mirabatur et verebatur. Sanctus verò Pontifex, quamquam Valens tam publicus et contumax hæreticus, et hæreticorum protector esset, cum ipso tunc sacra communicare non renuit. Etenim non solùm à sacrificii celebratione non cessavit, quando Valens ad altare accessit, sed cùm iste dona ad sacrificium offerret, ea sanctus episcopus benignè accepit. Arianorum tamen factioni ita Valens

adhærebat, ut tantum pastorem à suis dilectis ovibus exilio separasset, nisi dum decretum subscribere volebat, miraculo prohibitus fuisset. Basilius autem pro fide catholicâ verbo et scriptis pugnare non cessabat. Valentis iussu sanctus Eusebius Samosatenus, vir zelo defendendæ consubstantialitatis Divini Verbi perillustris, exul et ipse abire cogebatur. Et ferè in omnibus Galatiæ, Ponti, et vicinarum regionum ecclesiis multa mala ab hæreticis catholici sustinebant, usque dum anno trecentesimo septuagesimo septimo Valens contra barbaros Thraciæ vicinos populos expeditionem adoriri tentans, catholicorum persecutionem cessare, et exules revocare iubebat *(ib. n.* 537 *ad* 547 *)*.

§ XVI. Anno trecentesimo septuagesimo nono Gregorius Nazianzenus Constantinopolim profectus est; et eius indefesso labore, morum austeritate, et mirabili sapientiâ arianum lolium, ad quadraginta continuos annos in illius ecclesiæ campo iugiter satum et cultum, eradicabatur. Tanti theologi utilissimos labores interrumpebant quidam alexandrini, in episcopum constantinopolitanum ordinari attentantes Maximum cynicum, vafrum hominem, qui Gregorium primò specie virtutis fefellerat, postea inimicissimè insectabatur. Sed tandem anno trecentesimo octogesimo Constantinopolim pervenit magnus Theodosius: omnes arianorum ecclesias Gregorio tradi iussit; et inde maiori cum gaudio ingentem illum populum illustrare ac sanctificare pergebat præclarus antistes, quousque solitudinis amore captus oblatam occasionem recedendi ab urbe Constantinopoli promptus arripiebat, ut postea dicemus *(ib. n.* 548 *ad* 550 *)*.

§ XVII. Anno sequente in eiusdem urbis concilio macedonianorum, et in altero Aquileiæ arianorum error damnabatur. Horum factioni adhærens imperatrix Iustina ab Ambrosio contendebat aliquam Mediolani ecclesiam arianis concedi, quibus ut cœtus inire possent Imperator permiserat. Ambrosius Imperatrici morem gerere se non posse credebat. Et inde exacerbatæ Imperatricis patrocinio fulti ariani, contra Ambrosii in episcopum Mediolanensem electionem apud Imperatricis consistorium

litem movebant. In iudicium vocatus sanctus episcopus gravissimis momentis adductis vadimonium sistere excusabat ; et Imperatoris ministris illum aprehendere volentibus, populus impedimento fuit. Ita rebus Mediolani perturbatis, tranquillam pacem nonnulla prodigia revocabant : sed et in Oriente ipsa arianorum factio, novis enatis inter ipsos iurgiis, et antiquis auctis, numero sectatorum viribusque magis ac magis in dies decrescebat. Tunc quidam ex arianis *aërianorum* nomen ex quodam Aërio sumebant, arianorumque erroribus tres alios addebant ; nullam nempè inter episcopos et presbyteros potestatis et auctoritatis distinctionem esse : vanum esse orare pro mortuis : ieiunare autem, et festa vel Paschatis celebrare, ritus esse iudaicos et contemptibiles. Hanc sectam sanctus Epiphanius insensatam dicebat, quoniam antiquorum constanti traditioni, et ecclesiarum omnium praxi apertè contraria est *(ib. n.* 551 *ad* 559 *)*.

§ XVIII. Dum verò ariana secta iam iam omninò extinguenda videbatur, denuò invalescebat ope barbarorum, ad quos multò antea evecta fuerat ab episcopo Ulphilâ, qui Constantinopoli Gothorum legatus diu permanserat, dum ariani cuncta in curiâ gubernabant. Itaque barbari populi, aut idololatræ aut ariani, in Gallias, Hispaniam et Africam arianorum sectam ovantem induxerunt, catholicorum ecclesiis passim destructis. Gensericus, pace cum romanis initâ anno quadringentesimo trigesimo quinto, in omnibus provinciis eius imperio subiectis hæresim inserere vehementer optabat. Arcadius cum tribus aliis hispanis capite truncabatur ; et episcopi omnes catholici in exilium mittebantur. Quibusdam intervallis atrox in catholicos bellum quiescere visum est, et anno quadringentesimo quinquagesimo quarto precibus imperatoris Valentiniani, ecclesiæ Carthaginensi Gensericus concessit, ut episcopum sibi eligeret. Tunc eligebatur sanctus Deogratias, qui rebus suis omnibus, et vasibus etiam aureis et argenteis ecclesiæ divenditis, pretium succurrendis et redimendis romanis, quos Gensericus captivos ab Urbe ad Africam portaverat, et quorum plures mar-

tyrio coronati fuerant, liberaliter erogabat *(ib. n.* 560 *ad* 564 *).*

§ XIX. Ferox persecutio protinùs recrudescebat, et Armogastum aliosque plures diris tormentis excruciabat, donec Genserici morte cessasse videretur. Postea verò, anno quadringentesimo octogesimo secundo, in catholicos longè immanior Hunericus rex plura eorum millia apud barbaros mauros in exilium misit. Tunc precibus Eugenii carthaginensis episcopi cuidam cæco nato visum coram omni populo Deus manifesto miraculo concedebat : quo Rex non ad benignitatem seu misericordiam erga episcopum et fideles catholicos inclinat, sed novo furore contra ipsos ardet. Episcopos omnes catholicos, obtentu conferendi cum arianis, Carthaginem vocat : catholicorum ecclesias omnes interea claudi iubet ; et episcopos incredibili sævitiâ vexans, omnes extorres facit anno quadringentesimo octogesimo quarto. Extat adhuc episcoporum catholicorum, qui tunc Carthagine convenerant, catalogus ; et erant provinciæ proconsularis quinquaginta quatuor, Numidicæ centum viginti quinque, Byzacenæ centum et decem, Mauritaniæ Cæsariensis centum viginti, Sitiphensis quadraginta quatuor, Tripolitanæ quinque, et à Sardiniâ et vicinis insulis octo. Itaque erant simul omnes episcopi quadringenti sexaginta sex : quorum octo et octoginta intér illa tormenta moriebantur : viginti octo fugiebant : sex et quadraginta ad insulam Corsicam, et reliqui ad diversa Africæ loca amandabantur *(ib. n.* 565 *ad* 572 *).*

§ XX. Innumeri fuere catholici qui id tempus per totam Africam, nullâ ipsorum sexûs, statûs vel conditionis habitâ ratione, inter cruentissima et inaudita tormenta martyrium passi sunt. Tipasæ pluribus amputabatur lingua, qui tamen postea clarè loquebantur : tantumque portentum non modò Victor Vitensis, sed Æneas Gazensis philosophus platonicus, Procopius historiographus, et Marcellinus Comes in chronicis, ut testes oculati asseverant. Imò Iustinianus imperator hoc portentum se quoque vidisse testatur. Vandali qui catholicis accedebant, durissimè et ipsi torquebantur ; et

Carthagine novum persecutionis genus excogitatum est, hæreticis iterum baptizare catholicos invitos tumultuariè et violentissimè conantibus. Anno quadringentesimo nonagesimo sexto moriebatur Hunericus : et Trasamundus, non ita immanis, episcopos omnes africanos, qui ducenti viginti erant, ad Sardiniam mittebat, nec aliter catholicos insectabatur *(ib. n.* 573 *ad* 577 *)*.

§ XXI. Postea anno quingentesimo vigesimo primo Fulgentium Ruspensem episcopum àb exilio Carthaginem regredi permittit : de dogmate ab arianis impugnato cum ipso confert ; et illius sermonibus nec quid reponeret habens, neque acquiescere sciens, eum rursùs in Sardiniam mittit : tandem Trasamundo vitâ functo anno quingentesimo vigesimo tertio, Vandalica persecutio omninò defuit ; et arianismi monstrum, quod toties Ecclesiam pavore, planctu et strage afflixerat, inerme, saucium, et caducum deinde iacuit *(ib. n.* 578 *et* 579 *)*.

CAPUT VII.

De hæreticis circa mysterium Incarnationis, gratiam, et sacramenta.

Tres hæreses contra Incarnationem 1. *Apollinaris* 2. *Nestorius, quem impugnant Eusebius et Cyrillus* 3, *damnatque Cœlestinus* 4. *Cyrilli anathemata* 5 : *eius pax cum orientalibus* 6. *Incipit disputatio* de tribus capitulis 7. *Eutyches : Leonis Magni, et Chrysologi, epistolæ* 8. *Latrocinium ephesinum* 9. *Oriens eutychianismo agitatus* 10, *et ab Occidente divisus* 11. *Pax restituta : eutychiana pestis tepescit* 12. *Errores Ioviniani* 13. *Massalianorum* 14 : *Vigilantii* 15 : *Pelagii, quem impugnat Augustinus* 16, *damnant concilia Africæ, Papa Innocentius* 17, *et tandem*

ipse Zosimus 18. *Augustinus etiam semipelagianos impugnat* 19. *Doctrina de gratiâ magno zelo defenditur* 20.

§ I. De hæresibus Incarnationis mysterio adversis aliqua pariter dicenda sunt. Tres erant præcipuæ : *appollinaristarum , nestorianorum , eutychianorum.* Appollinaristæ veram animam humanam Iesu-Christo denegabant : Nestoriani duas in Christo personas esse contendebant ; Divinam alteram , nempè Filium Patris æterni , et alteram humanam seu Filium Virginis Mariæ. Contrà verò , Eutychiani non personarum modò sed naturarum etiam distinctionem inficiabantur , asserentes humanam naturam in Divinam fuisse conversam , ac proinde in Christo non aliam esse naturam quàm Divinam.

§ II. Apollinaris , vir ingenio præclarus , litteris admodùm studiosus , et moribus ad rectæ rationis normam instructus , præstantes sanctitate viros amicissimos habuit. Humanam animam esse peccati originem considerans , à Salvatore mundi assumi non debuisse sibi persuasit ; atque huic sententiæ suæ nimiam fidem habens , in Christo coniiciebat non nisi corpus et animam *sensitivam* esse , Divinitate supplente quidquid præstat humana mens in homine rectè constituto. Imò corpus Christi asserebat è cœlo descendisse , neque eiusdem esse naturæ , sed à nostri corporis naturâ omninò diversæ ; ut proinde Christum non verum hominem fuisse , sed hominis similitudinem seu speciem assumpsisse facilè colligeretur. Ex his erroribus alii quoque nascebantur : et sanctus Damasus in concilio Romano, anno trecentesimo septuagesimo sexto habito, omnes anathemate damnabat ; et Filium Dei apertissimè declarabat verum humanum corpus sibi assumpsisse , et humanam quoque veram animam seu mentem , licèt ab omni peccato penitùs immunem : atque Ecclesiæ inimicum esse eum , qui Iesu-Christo negare auderet aliquid ad veram Divinitatem , aut ad veram humanitatem pertinens. Apollinaristas sanctus Ambrosius et sanctus Gregorius Nazianzenus

consultò impugnarunt. Gregorius amentem esse dicit qui mente carentem fingit hominem in quem sperat; et observat à Iesu-Christo id solùm salvandum esse, quod Deus assumpsit: unde si anima humana assumpta non fuisset, maneret salutis expers. Ait etiam: « Unum et « eundem profitemur, priùs quidem non hominem sed « Deum, et Filium Unigenitum, postea hominem etiam « propter salutem nostram, carne passibilem, Divinitate « impassibilem: ut per eundem totum hominem simul et « Deum totus homo in peccatum lapsus reparetur. Si « quis sanctam Mariam Deiparam non credit, extra « Divinitatem est. Si quis duos filios alterum ex Deo « Patre, alterum ex Matre, non autem unum atque eun- « dem induxerit, is rectè credens non est. Quamquam « enim Deus et homo duæ naturæ sunt, non tamen duo « filii ». Hæc et similia Nazianzenus, quibus non Apollinaris modò sed et Nestorii hæresim clarè impugnatam videmus *(Lib. VI. n.* 580 *ad* 585*)*.

§ III. Nestorius antiochenus monachus ad constantinopolitanum patriarchatum evectus contra hæreticos omnes fervido zelo assiduus declamabat. Anno quadringentesimo vigesimo nono dicere incipiebat in Christo duas esse personas, seu duos filios reapse distinctos, quamquam amore seu voluntate coniunctissimos, alterum Filium Dei, alterum Mariæ; unde hanc matrem hominis, seu potiùs matrem Christi vocandam asserebat, matrem verò esse Dei inficiabatur. In hunc novum errorem altâ voce clamabat Eusebius tum laicus, et postea Dorileæ episcopus: apud subditos suos mox pessimè audiebat Nestorius, eiusque sermones per totum orbem catholicum vulgabantur. S. Cyrillus novum errorem mox vehementer impugnat, et ad Nestorium ut matrem Dei Mariam agnoscat instanter scribit; at Nestorius Cyrillo obscurè respondet, et sanctum Cœlestinum romanum Pontificem sibi suoque errori propitium reddere conabatur epistolâ *(ib. n.* 586 *ad* 590*)*.

§ IV. Cyrillus autem non ad Imperatorem tantùm, domûsque imperialis ad principes feminas scribit; sed

etiam ad romanum Pontificem, qui coactâ Romæ synodo Nestorii et Cyrilli epistolas et scripta omnia accuratè examinat, atque novum errorem acri sententiâ damnat, in qua Nestorium iubet intra decem dies scripto impiam novitatem clarè condemnare, qua id quod in Iesu-Christo omninò unitum sive unum est separavit, et de Iesu-Christo cum ecclesiâ Romanâ, Alexandrinâ, cæterisque omnibus catholicis sentire ac loqui : ni id faciat, à communione universæ Ecclesiæ catholicæ separetur. Hanc sententiam ad Orientem misit sanctus Cœlestinus septem epistolis eâdem die duodecimâ augusti anni quadringentesimi trigesimi scriptis : nempè sancto Cyrillo, ut Romanæ sedis auctoritate sententiam Nestorio denuntiaret, et executioni mandaret : Nestorio, ad eum de sententiâ et mandato sancto Cyrillo tradito referens, et opiniones ipsius de Divino Verbo catholicæ fidei contrarias à concilio habitas fuisse monens. Clero et populo Constantinopolitano sententiam in Nestorium dictam denuntiat, eos quos ille vexaverat consolatur, et omnes ad fidei constantiam hortatur. Similes aliæ sunt quatuor epistolæ, quæ ad Ioannem Antiochenum, Ruffum Thessalonicensem, Iuvenalem Ierosolymitanum, et Flavianum Philippensem diriguntur *(ib. n.* 591 *ad* 593 *).*

§ V. Interea Ioannes patriarcha antiochenus Nestorio intimâ amicitiâ iunctus, eum ab errore revocare frustrà conabatur. Cyrillus verò ut tantum negotium à romano Pontifice sibi commissum faciliùs et tutiùs expediret, frequens Alexandriæ concilium congregabat : duodecim anathemata memoratissima exarabat, et ad Nestorium epistolam synodicam mittebat, qua romani Pontificis sententia ipsi denuntiabatur. Iam verò nimis in anathematizandis erroribus Nestorii agitatum, ad alios è regione illis oppositos deviasse, plures orientales episcopi opinabantur. Et inde in concilio Ephesino, quod Imperator his dissidiis terminandis convocaverat, et in quo tandem Nestorius ab episcopatu depositus, et eius error anathemate damnatus fuit, magni motus excitati fuere, ut capite sequenti dicemus *(ib. n.* 594 *ad* 597 *).*

§ VI. Itaque orientales episcopi ab errore quidem

Nestorii abhorrentes, eius tamen personæ nimis addicti, et eum à sancto Cyrillo ex odio vexatum arbitrantes, hunc ad duos circiter annos inimicissimè insectabantur. Postea verò Cyrillo fidei suæ puritatem et integritatem apertissimè demonstrante, anno quadringentesimo trigesimo tertio inter ipsum, et Ioannem antiochenum, ac ferè omnes orientales episcopos pax restituta est. Aliqui tamen in septem diversis provinciis episcopi, nempè in Euphratide, utrâque Ciliciâ, secundâ Cappadociâ, Bithyniâ, Thessaliâ, et Mæsiâ, ad romanum Pontificem pro Nestorio contra sancti Cyrilli anathemata, et pacem ipsius cum orientalibus conclamantes, confugerunt, ut de iis omnibus cognosceret, et opportunè provideret. Et hoc est, ut observat Fleurius, unum ex antiquitatis argumentis, quibus probatur episcopis omnibus persuasum fuisse, à romano Pontifice iure remedium undique postulari contra superiorum oppressionem, aut alia Ecclesiæ mala. Sensim tamen horum plures, sicut etiam celebris Theodoretus Cyrensis episcopus cum Ioanne antiocheno et sancto Cyrillo pacem inibant. Quoniam verò quosdam etiam catholicos novit Cyrillus de ipsius pace cum orientalibus malè sentire, verbo et scripto demonstrabat, in ea nihil contra puritatem fidei admissum; et cum orientalibus solùm ex lege charitatis benignè, indulgenter et pacificè actum fuisse. Theodosius iunior anno quadringentesimo trigesimo quinto lege latâ contra nestorianos, eos *simoniacos* vocari statuebat, et anno sequenti Nestorium, et alios quindecim episcopos cum Cyrillo reconciliari nolentes, relegabat (*ib.* 598 *ad* 605).

§ VII. Ad hæc tempora referri debent initia celeberrimæ illius disputationis, quæ *trium capitulorum* appellari solet, et plurima damna Ecclesiæ attulit. In Ciliciâ, ubi Nestorii magister habebatur Theodorus Mopsuestenus episcopus, de scriptis huius disputari cœptum est, in quibus expressos Nestorii errores, aliorumque semina contineri, plures sibi persuadebant. Disputabatur etiam de scriptis Theodoreti Cyrensis, qui quamvis catholicam fidem manifestè confessus fuerat, quibusdam tamen scriptis

sanctum Cyrillum impugnaverat. Prætcrea Ibæ edesseni episcopi, qui factioni nestorianæ aliquamdiu nomen dederat, quædam vulgabatur epistola ad Marim Persam, in qua sanctum Cyrillum erroris Appollinaris accusabat. Istorum trium capitulorum impugnatio speciem zeli pro fide catholicâ contra nestorianum errorem præ se ferebat : sed, quod maximè observandum et dolendum erat, qui vehementiùs contra hos tres auctores aut eorum scripta clamabant, ipsissimi erant qui Eutychetis errorem, non minùs quàm nestorianum damnandum, audacter et publicè propugnabant (*ib. n.* 606 *ad* 612).

§ VIII. Eutyches, cuiusdam monasterii prope Constantinopolim abbas, dum in Nestorium vehementissimè invehebatur, in oppositum errorem incidit, in Iesu-Christo dicens unam tantùm, non duas esse naturas. Quapropter anno quadringentesimo quadragesimo octavo officii depositione, et etiam excommunicatione mulctabatur in concilio Constantinopolitano, de hac causâ accuratissimè cognoscente. Ad sanctum Leonem romanum Pontificem confugiebat Eutyches; sed et Flavianus constantinopolitanus patriarcha ad eum de omnibus accuratè referebat. Cùm verò curia imperialis Eutycheti maximè faveret, ipsius depositionem impedire volentes eius amici, convocationem concilii generalis ab Imperatore postulabant et impetrabant. Sanctus Leo celeberrimam ad Flavianum epistolam, et plures alias in hac gravissimâ causâ scribebat; et cùm Eutyches etiam ad sanctum Petrum Chrysologum direxisset epistolam, iste respondit de Eutychetis cum Flaviano dissidio se iudicare nullatenùs posse, cùm Flavianum non audierit ; et hæc addit : « In omni« bus autem hortamur te, frater honorabilis, ut his quæ « à beatissimo Papa Romanæ civitatis scripta sunt, obe« dienter attendas ; quoniam beatus Petrus, qui in pro« priâ sede et vivit et præsidet, præstat quærentibus fidei « veritatem. Nos enim pro studio pacis ac fidei extra con« sensum Romanæ civitatis episcopi causas fidei cognosce« re non possumus (*ib. n.* 613 *ad* 620).

§ IX. Interea plures episcopi Ephesi conveniebant, et curialium artibus, protectione, et apertâ vi concilia-

bulum illud anni quadringentesimi quadragesimi noni celebrabatur, quod *latrocinium* appellari solet, atque Eutychen absolvit, et sanctum Flavianum aliosque præclaros episcopos à suis sedibus dimovere tentavit. Hæc ut primùm noscit S. Leo, concilium Romæ congregat, cuncta illa ephesina gesta nulla omninò esse declarat; et quatuor synodicis epistolis, et aliis solo suo nomine scriptis tanto malo remedium aliquod adhibere satagit. Præcipuâ epistolâ ipse ad Imperatorem Orientis Theodosium iuniorem adibat, et in eâ affirmabat pseudosynodum ephesinam privatis odiis faventem omnia perturbasse: nil in eâ libertate et consilio, sed omnia per vim acta fuisse; et scelestissimum facinus ibi perpetratum cuncta sacrilegia excedere. Unde Imperatorem rogat primò, ut interea omnia in statu esse iubeat, quo ante omne iudicium fuerunt. Dein, quòd, siquidem legati sui decretis pseudosynodi reclamarunt, et Flavianus libellum appellationis porrexit, generalem synodum iubeat intra Italiam celebrari, ne quid aliquid ultrà sit, vel in fide dubium, vel in charitate divisum. Præterea Theodoretus Cyri episcopus, qui, etsi absens, fuit etiam depositus, ad sedem Romanam sive Apostolicam appellabat: Imperator Occidentis, ad Orientis Imperatorem missâ epistolâ, demonstrabat iustum et opportunissimum esse, quòd causa fidei acriter in Oriente agitata à romano Pontifice decideretur; et non multò post, anno scilicet quadringentesimo quinquagesimo primo, Pulcheriâ et Martiano in Oriente imperantibus, Chalcedonense concilium eutychianam hæresim condemnabat, ut postea dicemus *(ib. n.* 621 *ad* 626*)*.

§ X. Post sexennium, mortuo Martiano, Alexandrinam ecclesiam eutychiani maximè perturbabant: in Chalcedonense concilium insolenter clamabant: illius auctoritatem romanus Pontifex sancire conabatur, et Anatolii constantinopolitani patriarchæ zelum in eutychianos excitabat: eos quoque Imperator ab episcopalibus ecclesiis Alexandrinâ et Antiochenâ separari iubebat. Non multò post, imperante Basilisco, eutychiani novum bellum movent, quod imperator Zenon et Aca-

cius constantinopolitanus patriarcha sedabant. Ii verò ipsi anno circiter quadringentesimo octogesimo secundo, editâ *Henosi*, sive famoso edicto, quo eutychianorum unionem faciliorem reddere conabantur, et cui catholici plures subscribere repugnabant, novi schismatis semina iaciebant. Ut illa suffocaret, anno sequenti romanus Pontifex S. Felix Constantinopolim legatos mittebat: illi verò in carcerem trusi, et variè vexati, violentiæ cedunt, et contra præcepta et monita Pontificis agunt: unde Romam regressi, de suis gestis interrogantur, audiuntur, et excommunicantur. Pontifex Acacium etiam constantinopolitanum damnabat, et fidei magno zelo ad Zenonem imperatorem scribebat *(ib. n.* 627 *ad* 637 *).*

§ XI. Hisce motibus orientalis ecclesiæ confusio et perturbatio in dies augebatur; præcipuè dum imperator Anastasius specie fovendæ pietatis *acephalos* seu *severianos* Eutychis sectatores protegebat, Macedonium patriarcham constantinopolitanum è suâ sede et urbe deturbabat, et antiochenum et ierosolymitanum acriter insectabatur. Hinc plures orientales romani Pontificis auxilium implorabant, populique nonnulli contra Imperatorem seditiones ciebant, in quarum unâ constantinopolitanâ populum fictâ humilitate fefellit et placavit Anastasius; et paulò post Vitalianum veritus, cum romano Pontifice velle pacem inire simulabat. Illyrici episcopi earum ecclesiarum mala Hormisdæ romano Pontifici nuntiabant : et Pontifex eos ad pœnitentiam et constantiam hortabatur, Dorotheum Thessalonicensem episcopum reprehendebat, et ad imperatorem Anastasium mittebat legatos, quibus Imperator, cùm eos pervertere non potuisset, aditum urbis omninò prohibuit *(ib. n.* 638 *ad* 645 *).*

§ XII. Tandem anno quingentesimo decimo octavo Constantinopoli, imperante Iustino fideli catholico, inter ecclesias occidentalem et orientalem pax restituitur, et per totum Orientem præcipuè Constantinopoli et Tyri magno plausu celebratur. Alexandriæ grassabatur adhuc eutychiana pestis, et in duas, *corrupticularum* nempè et *phantasiastarum* factiones, hæretici dividebantur; nam

eorum aliqui corpus Christi fuisse naturâ corruptibile fatebantur, aliqui verò incorruptibile omninò fuisse contendebant, et de hoc acerrimè disputabant; unde viribus et numero decrescebant. Exinde verò huius turbida hæresis, quæ veluti ventus validissimus Petri navim in transversum adigens, Leonibus, Simpliciis, et Felicibus, dum Ecclesiæ gubernaculum tenerent, curas et labores adeò augebat; sub sancti Gregorii Magni regimine tantùm vis et impetus defecerant, ut vix de eâ memoria in Europâ ageretur *(ib. n.* 646 *ad* 649*)*.

§ XIII. Post memoratos præcipuos hæreticos, qui Trinitatis et Incarnationis mysteria ætate secundâ Ecclesiæ impugnabant; de iis nonnulla dicemus, qui aut Iesu-Christi gratiam, aut Ecclesiæ doctrinam moralem superbè contemnebant. Agmen ducit Iovinianus, qui severitate morum discipulos attrahere primùm satagebat, postea verò vitam in deliciis, luxu et oblectamentis solutè agendo; acriter contendens non maioris esse meriti à delicatis cibis, aliisque sensuum deliciis abstinere, quàm iis grato animo frui. Fideles baptizatos sibi persuadebat à dæmone nunquam vinci posse, et præter alios errores ab iis principiis suâ sponte manantes, asserebat etiam virginitatem matrimonio nullatenùs esse anteponendam. Circa annum trecentesimum nonagesimum Siricius romanus Pontifex Iovinianum ab Ecclesiæ communione arcebat, et ab urbe eiici obtinebat: eumque magnâ vi et efficaciâ impugnarunt sancti Hieronymus et Augustinus. Hieronymus in libris suis contra Iovinianum tam vehementi stilo pro virginitate pugnaverat, ut matrimonium non nisi tolerandum esse defendere videretur. De quo à Pammachio admonitus apologiam texuit, in qua propositiones eorum librorum in sensu catholico explicat; et monet eos non instruendi animo scripsisse, sed impugnandi errores Ioviniani: in impugnationibus autem vehementiùs agere oportet, et iuxta adversarii scita propria verba multoties componere. Augustinus in libro *De bono coniugali* demonstrat matrimonium esse verè bonum, tria præcipua bona secum afferens, nempè prolis, fidei, et sacramenti, cuius ratione

indissolubile est. In libro verò *De sanctâ virginate* huius Divini doni excellentiam demonstrat, summâque humilitate conservandam esse docet *(ib. n.* 650 *ad* 652*)*.

§ XIV. Similia erant, et longè pestilentiora *massalianorum* deliramenta, quorum circa mores corruptissima doctrina inde præcipuè nascebatur, quòd baptismum prorsùs inutilem sibi persuaderent, et circa modum orandi Deum fanaticâ superstitione capti forent. Etenim expellendo dæmonio, frenandisque cupiditatibus orationem suam sufficientissimam esse arbitrabantur; et sacramenta, corporis castigationem, ieiunia, et mentis etiam illustrandæ studium, ut omninò superflua contemnebant. Magnâ dexteritate errores suos simulabant, aut operiebant. Cùm verò S. Flavianus antiochenus ab Adelphio quodam arte novisset quales erant ipsius et sociorum errores, eos damnavit, et à totâ Syriâ massalianos omnes exulare constituit. Imò Letoyus Melitenæ in Armeniâ episcopus, cùm quædam monasteria his erroribus infecta deprehendisset, zelo inflammatus, monachos è sua diœcesi expulit, et monasteria igne consumpsit *(ib. n.* 653 *et* 654 *)*.

§ XV. Celebris etiam aliquamdiu fuit Vigilantius, qui continentiam professos contemnebat, et reliquiarum sanctorum martyrum cultum idololatriæ accusabat, superstitionis verò morem accendendi lumina in eorum honorem. Contra Vigilantii errores sanctus Hieronymus protinùs insurgebat: et quoniam cum antiquæ Ecclesiæ traditione, et universo omnium christianorum more tam apertè pugnabant, paucos sectatores Vigilantius numerare potuit, neque contra hanc hæresim concilia congregari opus fuit *(ib. n.* 655 *)*.

§ XVI. Validior inimicorum gratiæ Christi manus sub Pelagio et Cœlestio ducibus præliabatur. Anno quadringentesimo quinto suos errores spargere incipiebant. Pelagius, epistolâ ad Demetriadem, peccatum originale non agnoscere visus est, et de gratiâ Christi loquens, eam ad benè agendum non esse necessariam indicavit. Errores isti, quique ex ipsis sponte fluunt, ut cancer serpebant, et contra eos sanctus Augustinus indefessus scri-

bebat et clamabat. Duo ab initio solidè constituebat: primò, Adami peccato omnes eius posteros infectos nasci; atque ut ab hoc originis seu originali peccato mundentur infantes, ipsis necessarium esse baptisma. Deinde multis ostendebat, nobis, ut benè operemur, legem quæ nos instruit non sufficere; sed necessarium esse ut nos adiuvet Spiritus, qui gratiam in cordibus nostris infundit, qua fiat in animo dilectio et delectatio per quam opere compleamus quod lege nobis præcipitur. Cùm Pelagius in Palæstinâ esset, ardens de suis erroribus disputatio movebatur: et cùm in synodo Diospolitanâ fuisset accusatus, fidei suæ rationem reddidit; atque propositiones suas versutè interpretatus, et errorem Cœlestii peccatum originale apertè negantis detestans, se catholicum simulabat: quapropter à synodo absolvebatur, et inde per totum Orientem eius nomen celebrari cœpit *(ib. n.* 656 *ad* 663*).*

§ XVII. Anno quadringentesimo decimo sexto pelagianam hæresim concilia Carthaginense et Milevitanum condemnabant: et de eâ referebant ad romanum Pontificem Innocentium, qui tam impiæ novitatis inimicum se palàm profitebatur, et Pelagium, Cœlestium, eorumque sectatores communione privabat; eos tamen qui errores detestarentur, benignè recipi iubebat. At Innocentio vitâ decedente Cœlestius Romam profectus est, et Zosimum illius successorem astutè fefellit. Unde Zosimus, quin tamen Cœlestium absolveret, epistolâ ad Africana concilia pro Cœlestio et Pelagio loquebatur. Africani episcopi Zosimo rescribentes, eum enixè deprecabantur ut res in eodem statu relinqueret, donec de omnibus certior factus foret: duo frequentissima concilia paulò post celebrabant; in quibus, innovatâ Papæ Innocentii contra Cœlestium et Pelagium sententiâ, gratiam statuebant nos iuvare non solùm ut facienda cognoscamus, sed etiam ut in singulis actibus iustè operemur; atque sine gratiâ nihil omninò cogitare nos posse, dicere, facere aut habere, quod ad veram pietatem spectet. Damnabant etiam errores plurimos, eorum præcipuè qui originale peccatum negant, aut dicunt baptisma pueris

non esse necessarium, seu gratiam solùm nobis dari, ut faciliùs operemur bonum, atque sine ipsâ Divina præcepta adimpleri posse *(ib. n.* 664 *ad* 669 *).*

§ XVIII. Interea Zosimus, detectis artibus quibus Pelagius et Cœlestius errores suos simulare solebant, eos damnavit, sententiamque misit non modò ad africanos episcopos, sed ad universas ecclesias. Eam generatim omnes episcopi cum plausu recipiebant; eique, ut Pontifex iusserat, subscribebant, præter Iulianum Eclanensem et alios sexdecim, qui ab episcopatu omnes deiecti fuerunt, quamquam ad Pontificem scripsere de illius sententiâ ad concilium œcumenicum appellantes. Zosimus enim, hac appellatione contemptâ, sententiam suam executioni mandari præcepit *(ib. n.* 670 *et* 671 *).*

§ XIX. Sanctus Augustinus variis libris et epistolis Pelagii fraudes aperire, errores impugnare, atque ipsius et Iuliani argumenta et calumnias dissipare non cessabat: œcumenicum concilium necessarium non esse ostendebat: Adrumeti monachos, quorum aliqui doctrinâ de gratiâ liberum arbitrium tolli verebantur, instruebat, et pacem inter eos restituebat: Leporium monachum gallum, qui à pelagiano errore circa gratiam in alia contra Incarnationis mysterium se præcipitem dederat, ad fidem catholicam convertebat, et ut retractationem authenticam ad Galliam mitteret auctor erat: duodecim articulos maximi ponderis Vitali proponebat; et semipelagianos, qui initium fidei et bonorum operum in libero arbitrio constituebant, et solùm ad opera perfecta et consummata gratiæ necessitatem agnoscebant, multis modis impugnabat. Augustini de gratiâ doctrinam sanctus Cœlestinus romanus Pontifex mirè commendavit in epistolâ ad episcopos Galliæ; cui addi solet breve et pretiosum commentariolum, quod ita inscribitur: *Auctoritates Sedis Apostolicæ de gratiâ Dei.* In hoc opusculo ex decretalibus Pontificiis et synodis africanis novem capitulis exponitur doctrina de peccato originali, et de necessitate gratiæ ad omnem mentis aut voluntatis actum bonum: quam doctrinam ex orationibus Ecclesiæ apertè colligi observatur *(ib. n.* 672 *ad* 685 *).*

§ XX. In relatione suorum actuum, quam Ephesinum concilium ad Cœlestinum romanum Pontificem misit, habemus in eo concilio lecta fuisse acta depositionis impiorum Cœlestii, Pelagii, Iuliani et sociorum; atque omnes concilii patres unanimi voce sententiam Cœlestini contra pelagianos ratam habendam, illosque omnes iure depositos decrevisse. Germanus Antissiodorensis episcopus à romano Pontifice in Britanniam per id temporis missus, eius insulæ pelagianos convertit: et sequentium Romanorum præsulum vigilantia, concilii Arausicani secundi anno quingentesimo vigesimo nono gravissima decreta, et plurium catholicorum doctorum ardens pro fide catholicâ zelus, rapidos progressus cohibuerunt; quibus hanc hæresim, corrupti hominis cupiditatibus adeò indulgentem, latissimè per orbem christianum fundi metuendum erat (*ib. n.* 686 *ad* 688).

CAPUT VIII.

De schismatibus ætatis secundæ.

Novatianorum schisma uno tempore cum quarto sæculo finem habuit 1. *Meletianum inter arianos evanescit* 2. *Audianum non diu durat* 3 : *neque Luciferianum* 4 : *Pessimum donatistarum schisma electionis causâ Cæciliani nascitur* 5, *quam probant romanus Pontifex, synodus Arelatensis, et Imperator* 6. *Fanatica arrogantia donatistarum : circumcelliones* 7. *Dissidium inter donatistas, quos oppugnat Augustinus* 8. *Collatio carthaginensis* 9 : *post eam schisma statim dissolvitur* 10.

§ I. Hactenus vidimus Ecclesiam ætate secundâ

contra hæreticos, seu fidei dogmatum hostes acerrimè propugnatam fuisse. Videamus nunc qualiter schismaticorum seu unitatis Ecclesiæ inimicorum impetus fregerit. Adveniente pace Constantini novatianum schisma nondum extinctum fuerat. Nicæense concilium, Ecclesiæ novatianos reconciliari desiderans, iubet accedentes benignissimè in clero recipi; et quoniam in fide catholicâ circa Divinitatem Verbi constantissimè permanebant, postea ab arianis inimicè insectabantur. Enatâ deinde inter ipsos anno trecentesimo nonagesimo secundo de die Paschatis controversiâ, antiquum odium in catholicos tandem tepescebat, et sensim ad Ecclesiam revertebantur *(ib. n.* 689 *ad* 691 *).*

§ II. Conabatur etiam Nicæense concilium aliud extinguere schisma, quod *meletianorum* vocatum est à Meletio Licopolitano episcopo, qui à Petro Alexandrino depositus non solùm sententiæ assentitus non est, sed Alexandrinæ ecclesiæ communioni renuntiavit. Omnes ordinatos à Meletio in suo gradu benignè admitti decernebat concilium, prohibens aliquem in posterum ab illo ordinari absque consensu episcopi catholici. Meletius tamen successorem sibi elegit: unde schisma post eius mortem perseveravit. Meletiani ad sanctum Athanasium calumniandum et persequendum cum arianis societatem inibant, et huic novæ factioni in omnibus adhærebant, unde nomen schismatis *meletiani* inter arianos evanuit *(ib. n.* 692 *et* 693 *).*

§ III. Novum in Mesopotamiâ schisma apparuit auctore Audio, viro morum severitate, et virtutis ardenti studio, celeberrimo. Cùm enim ipsius zelus inscitus esset, atque christianæ prudentiæ et charitati omninò adversus, in ecclesiasticos intempestivè amarissimèque clamare cœpit: ad levissimam quamlibet avaritiæ suspicionem, speciem aut umbram voluptatis vel luxûs in eis visam aut existimatam, excandescebat, et eorum communioni abruptè renuntiabat. Inde factio quædam nata est moribus austerissimis, cuius etiam episcopi et presbyteri non nisi manuum suarum labore, sicut laici pauperes, vivebant. Audius exul in Scythiam missus est,

ubi monasteria quædam asperrimi vitæ generis erigebat, virginum christianarum cœtus efformabat, et ascetarum severam vivendi rationem extendebat. Ipso tamen sæculo quarto *audiani* defecisse videntur (*ib. n.* 694).

§ IV. Ex nimiâ etiam severitate *luciferianorum* schisma ortum est. Lucifer enim Calaritanus episcopus, et quidam eius socii, cum illis communicare renuebant qui Ariminensi formulæ subscripserant, quamquam multa in eorum excusationem opportunè adducerentur, et Alexandrinum concilium anno trecentesimo sexagesimo secundo celebratum omnes admittendos esse sanciverat, ut antea diximus. Exinde verò adhuc magis à christianâ charitate recedentes luciferiani, ab eorum quoque communione abhorrebant qui cum Ariminensibus subscriptoribus communicabant, atque adeò à totâ Ecclesiâ. Pro his schismaticis Marcellinus et Faustinus libellum Valentiniano et Theodosio imperatoribus obtulerunt : datumque à Theodosio responsum in rescripto continetur ad Cinegium, in quo Imperator Gregorium episcopum in Hispaniâ, et Heraclidem in Oriente, quos inter suos luciferiani accensebant, ut veros et venerandos episcopos agnoscit, et qui cum eis communicent vexari prohibet. Luciferianorum verò nulla posterior memoria superest (*ib. n.* 695 *et* 696).

§ V. Memorata schismata neque plures ecclesias perturbabant, nec ad longum tempus consistebant, sicut schisma *donatistarum*, quod accuratè nosci magni interest. Vitâ cum morte à Mensurio carthaginensi episcopo commutatâ, in unum coacti episcopi illius provinciæ Cæcilianum eiusdem ecclesiæ diaconum cuncto populo acceptissimum eligebant, quem Felix Aptungitanus consecravit. Contra hanc electionem conspirabant ambitio duorum qui locum Cæciliani occupare contenderant : avaritia quorumdam senum, à quibus novus episcopus sacra ecclesiæ vasa persecutione vigente ipsis commendata repetebat; et superbia cuiusdam nobilis ac præpotentis feminæ, quam Cæcilianus, dum diaconi munere fungeretur, in ecclesiâ publicè reprehenderat, quoniam ut martyrem venerabatur quem talem Ecclesia non

noverat. Et ex tam corruptis fontibus immanis factio manabat, quæ citissimè valens viribus septuaginta Numidiæ provinciæ episcopos, ad electionem carthaginensis vocari peroptantes, Carthagine congregabat: qui de Cæciliani electione nullo iure iudicare, irritamque pronuntiare ausi sunt *(ib. n.* 697 *et* 698 *)*.

§ VI. Pro tam iniusto decreto illud præcipuè Cæciliani inimici allegabant, quòd Felix, qui ipsum consecraverat, persecutionis tempore Librorum sacrorum *traditor* fuerat. Catholici tamen hanc esse meram calumniam facilè demonstrabant, ulteriùs arguentes, quòd quamvis ita foret, non ideò tamen Cæciliani consecratio nedum electio invalida dici poterat. Cùm schismatici ad Africæ proconsulem contra Cæcilianum confugissent, dissidii quod ipsi excitaverant iudices è Galliâ mitti postulantes, decreto Constantini hæc causa Romam delata est, ubi viginti africani episcopi, decem cuiuslibet partis, à Melchiade romano Pontifice cum episcopis quindecim ex Italiâ et tribus ex Galliâ auditi sunt. Romanus Pontifex electionem Cæciliani ratam pronuntians, et episcopos schismaticos benignissimè recipi iubens, solùm Donatum à Casis Nigris illorum motuum præcipuum auctorem, à quo *donatistarum* nomen assumptum videtur, depositionis sententiâ mulctandum censuit. Quoniam verò africanam plebem commovere donatistæ non cessabant, quasi Numidarum septuaginta conciliabulum à romano Pontifice cum minori episcoporum numero infirmari non posset, Constantinus novum Arelate frequentissimum concilium congregari iubebat, ubi rursùs examinatâ Cæciliani causâ, innocens iterum declarabatur, eiusque electio legitima. Ad Imperatorem ipsum donatistæ tunc provocavere, qui eos in consistorio patienter auditos calumniæ reos pronuntiavit, Cæcilianum verò innocentem, et episcopum legitimum. Atque hanc sententiam, quæ prope finem anni trecentesimi sexti decimi pronuntiata fuit, Africæ Vicario communicabat. Neque tamen ipsius Imperatoris sententiâ donatistæ quiescere potuerunt: ut intelligamus quanta eorum erat obstinatio, et quàm va-

lida vincula, quibus suæ factioni alligati tenebantur *(ib. n.* 699 *ad* 704 *)*.

§ VII. Anno trecentesimo vigesimo nono à schismaticis in Carthaginensem episcopum eligebatur alter Donatus, perindè famosus ac primus, ut ab ipso quoque nomen sumere schisma potuerit. Erat humanis litteris valdè eruditus, erga pauperes liberalis, et honestâ morum famâ : superbiâ tamen valdè insolens et audax. Cuius arrogantiam alii schismatici episcopi æmulantes, suis præiudiciis facilè adhærebant, quasi infallibiles et impeccabiles se esse crederent : schismatici cæteri tutissimos se putabant episcoporum suorum iussa vel consilia, rationi etiam ac iustitiæ evidenter pugnantia, exequentes. Ex hac fanaticâ persuasione illorum furor nascebatur, qui fustibus, quos *israëlitas* vocabant, armati, et Dei laudes cantantes, quaquaversùm, et præcipuè per pagos villasque, quæ cellæ ibi nominari solebant, turmatim circumeuntes, unde *circumcelliones* vocabantur, catholicos ab ecclesiis arcebant, eosque summâ vi ad partes ipsorum trahere, servos libertate donare, debita condonari, et omnia suo arbitrio gerere contendebant; quare inauditas strages per totam Africam fecerunt. Sub imperio Constantis viribus multùm decrescere schisma visum est : at Iuliano regnante sectatorum numero et audaciâ invaluit. Cùm verò Parmenianus schismatis apologiam scripsisset, eam impugnavit sanctus Optatus, qui de Romanâ ecclesiâ hæc inter alia minimè oblivioni danda obiter scribebat : « Negare non potes « scire te in urbe Româ Petro primò cathedram episcopalem esse collatam, in qua sederet omnium Apostolorum caput Petrus, unde et Cephas appellatus est : « in qua unâ cathedrâ unitas ab omnibus servaretur : ne « cæteri Apostoli singulas sibi quisque defenderet : ut iam « schismaticus et peccator esset, qui contra singularem « cathedram alteram collocaret ». *(ib. n.* 704 *ad* 708 *)*.

§ VIII. Ultimo decennio sæculi quarti plus quàm quadringenti fuerunt in Africâ episcopi donatistæ, et in varias, et ab invicem inimicas partes quandoque dividebantur : unde postea omnium conversio facilior redde-

batur, præcipuè ex divisione seu schismate inter Primianum et Maximianum, quorum quilibet à magno donatistarum episcoporum numero ut legitimus Carthaginensis episcopus habebatur, cùm etiam plebs dissensione, quem illorum agnosceret, laboraret. Eodem tempore sanctus Augustinus pro unitate Ecclesiæ contra immane schisma pugnare incipiebat. Primò quidem psalmum edidit, seu cantilenam ad usum populi, quæ historiæ schismatis compendium continet, valdèque perspicua argumenta, quibus confutatur. Deinde variis sermonibus, epistolis, collationibus, et libris totum schismatis ædificium undequaque, sed præcipuè à fundamentis ipsis concutiebat. Interea romanus Pontifex, pluraque africana concilia schismaticos ad pacem et unitatem hortabantur, eosque sæpiùs invitabant, ut cum catholicis amicè convenirent, de ineundâ omnium ecclesiarum unione pacificè tractaturi. Carthaginense concilium anno quadringentesimo quarto legatos ad Imperatorem mittebat, qui ante eorum adventum severam legem in donatistas promulgaverat, quæ plurimos à schismate re ipsâ separavit *(ib. n.* 709 *ad* 717*)*.

§ IX. Anno quadringentesimo decimo iubet Imperator generalem celebrari conventum episcoporum omnium tam catholicorum quàm donatistarum. Catholici ab initio collationis etiam suis sedibus renuntiare promittunt, si ad perfectam pacem et unionem opportunum sit : Donatistæ contrà, examini removendo unionique frustrandæ totum animum intendunt. Nihilominùs res ipsa seu totius discordiæ summa tandem expendenda sumitur. Donatistæ à sancto Augustino eò rediguntur, ut vitium unius personæ seu causæ alii personæ seu causæ nocere non posse vel inviti fateantur. Inde verò necessariâ et apertâ deductione conficitur, quòd licèt certissima forent crimina quæ Cæciliano, et episcopo qui eum consecraverat, imputabantur ; non ideò tamen à communione aliarum ecclesiarum, nedum totius orbis, recedendum esset. Ita celebri illâ collatione Carthaginensi donatistas catholicorum argumentis victos fuisse, dubitari non potest *(ib. n.* 718 *ad* 721 *)*.

§ X. Imperator novis ac severis mandatis schismati-

cos deinde coercebat : maior episcoporum pars ad Ecclesiam properabat : qui verò in schismate permanebant, obcæcatiores erant et audaciores ; quorum calumniis S. Marcellinus tribunus, qui magnæ collationi Imperatoris nomine præerat, ut reus coniurationis in Principem mortem obivit. Hos turbidos schismaticos pœnarum etiam acerbitate frenandos esse docebat Augustinus, et Ecclesiam nil ferventius quàm ipsorum felicitatem peroptare. Postea sancto Gregorio Magno Ecclesiam gubernante nonnulli donatistæ erant in Africâ : omninò tamen evanuerunt ætate sequenti, dum christianum nomen à *mahometanis* Africam irrumpentibus delebatur. Sed de inimicis Ecclesiam ætate secundâ infestantibus dicta sint satis (*ib. n. 722 ad 727*).

CAPUT IX.

De conciliis generalibus ætatis secundæ.

Mirandum spectaculum, concilium generale 1. *Nicænum* 2 : *vox* homousios 3 : *viginti canones* 4. *Sardicense, canones* 5. *Constantinopolitanum primum : symbolum : canones* 6. *Ephesinum* 7, *impugnatum ab orientalibus* 8, *à Legatis Papæ probatum* 9, *apud Imperatorem triumphans* 10. *Chalcedonense* 11 : *divisio metropolis* 12 : *alia negotia* 13 : *canones* 14 : *privilegia constantinopolitana* 15. *Tria capitula : Vigilii* Iudicatum 16 : *Constantinopolitanum secundum* 17 : *decreta* 18 : *à Vigilio Papa probata* 19.

§ I. In hac secundâ ætate, postquam magnos progressus, quibus Ecclesia post pacem cum Imperio initam amplificata est, et mirabiles triumphos, quos de inimicis

suis externis reportavit, consideravimus; tertio loco commemoranda veniunt ipsius concilia generalia et particularia, et magnus etiam numerus insignium sacrâ eruditione virorum, qui scriptis suis doctrinam Ecclesiæ illustrarunt et propugnarunt. Profectò omnium quos Ecclesia pace Constantini fructus collegit, spectabilissima fuit celebratio concilii generalis, in quo diversarum nationum ecclesiæ omnes adunatæ, seu in eodem sacro conventu repræsentatæ novum et magnificentissimum spectaculum mundo dedere *(ib. Lib. VII. n. 1)*.

§ II. Primum fuit Nicæense anno trecentesimo vigesimo quinto, romano Pontifice et Imperatore convocantibus celebratum, episcopis in curru publico Nicæam undique confluentibus; et sumptibus omnibus, tum in itinere, tum etiam Nicææ concilii tempore, ab Imperatore solutis. Tercenti decem et octo episcopi intererant, et ingens christianorum turba tantæ rei novitate allecta. Aderant quoque nonnulli magni nominis gentiles philosophi, divisionem inter christianos enatam cum gaudio conspicientes, et quæ tandem esset tam acris controversia, scire cupientes. Eorum quemdam simplex fidelis laicus, qui fidem publicè confessus fuerat, admirabili ratione ad Christum convertit *(ib. n. 2 et 3)*.

§ III. Imperatori Constantino plures libelli supplices tradebantur, quosdam episcopos variis criminibus accusantes: eos tamen Imperator iudicare noluit, sui non esse iuris has causas sibi persuadens. Postquam privatis conventibus quæ palàm agenda erant sensim fuerant parata, pervenit tandem optata dies, qua episcopi omnes congregati de causâ fidei gravissimâ sententiam laturi erant. Imperator magnificentissimo apparatu præsens aderat, Imperii maiestatem Ecclesiæ paci et fidei catholicæ firmandæ obsecundare peroptans. Arius eiusque socii à patribus magnâ patientiâ audiuntur. Concilium ut antiquam fidem clariùs profiteatur, vocem *homousios* seu *consubstantialis* in ipsâ fidei professione assumendam prudentissimè iudicat: quæ quidem vox non omninò nova erat: eam etenim aliqui ex patribus præcedentibus Filio Dei eodem etiam sensu quo concilium dederant. Itaque

declarat concilium, Filium Dei verum Deum esse, atque eiusdem cum Patre substantiæ: fidei symbolum, quod Ossius Cordubensis proponit et legit, cum plausu approbat: Arium et eius socios in errore obstinatos extra Ecclesiam facit: et illius cantionem quamdam *Talia* vocatam, et alia scripta comburi iubet. Item Pascha dominico die celebrari præcipit, atque meletianos ad Ecclesiæ unitatem peramanter vocat *(ib. n. 4 ad 10)*.

§ IV. Viginti etiam canones seu regulas concilium præscribebat Ecclesiæ regimini opportunissimas, quarum summa hæc est. 1 Qui sponte eunuchi fiunt, clerici non sint. 2 Neque neophyti: quòd si aliquis fuerit, et peccati carnalis seu bestialis reus inveniatur, deponendus est. 3 Mulierem extraneam nullus clericus domi habeat. 4 Episcopi ordinationi tres minimùm comprovinciales episcopi intersint, et omnia quæ agantur metropolitanus confirmet. 5 Qui ab aliquo episcopo excommunicantur, à nullo alio in communionem recipi debent: provocare tamen possunt ad concilium provinciale, quod bis in anno celebrandum est. 6 et 7 Privilegia ecclesiarum Alexandrinæ, Antiochenæ, et Ierosolymitanæ firmantur: illa verò Romanæ ecclesiæ firma supponuntur. Si quis autem absque metropolitæ sententiâ factus est episcopus, eum magna synodus definit et declarat non esse episcopum. Si verò communi electioni contradicant duo vel tres, vincant plurium suffragia. 8 Cathari seu novatiani ad fidem catholicam conversi benignè recipiantur; et impositis eis manibus in clero permaneant. 9 Qui contra canones antiquos presbyteri ordinati sunt ad ordinis sui ministerium non admittantur. 10 Lapsi, qui ordinati fuerint, statim deponantur. 11 ad 14 His qui in idololatriam, etiam sine necessitate seu sine periculo lapsi fuerant, pœnitentia conceditur; et canone 13. morti proximis petentibus communionem seu Eucharistiæ participationem dari iubetur. 15 Ab unâ ad aliam civitatem minimè transeat episcopus, neque presbyter, neque diaconus. 16 Ecclesiam suam nullus clericus derelinquat sub pœnâ excommunicationis. Si quis autem episcopus eum, qui ad alium pertinet, surripere audeat, et pro suâ

ecclesiâ ordinare, non consentiente episcopo à quo recessit, ordinatio irrita sit. 17 Nullus clericus usuras exerceat. 18 Diaconi intra sui ministerii limites contineantur : presbyteris minores sunt, potestatem enim offerendi non habent sicut presbyteri. Unde neque inter hos sedere, neque illis communionem dare audeant. 19 Paulianistæ ad Ecclesiam venientes baptizandi sunt : quique inter ipsos erant presbyteri, ordinari poterunt. Idem fiat aliis clericis. Etiam diaconissis. Hæ autem nullam manuum impositionem recipiunt, et omninò inter laicos annumerantur. 20 Diebus dominicis et à Paschate usque ad Pentecostem fideles stantes orent. Et hæ sunt viginti ecclesiasticæ politiæ leges, quas Nicæensis synodus promulgavit. Ad omnes ecclesias synodicam suam epistolam direxit, præcipuè tamen ad Alexandrinam. Etiam Constantinus epistolas scribebat, edictum publicabat, Arii scripta omnia flammis consummi iubebat, et priusquàm episcopi reverterentur, eos in convivium vocabat, et donis munificè cumulabat *(ib. n.* 11 *ad* 21 *).*

§ V. Quasi Nicæensis concilii appendix, Sardicensis synodus, anno trecentesimo quadragesimo septimo habita, æstimari debet. Eusebiani seu ariani ab urbe Sardicâ tunc fugerunt, quin eos detinere potuerint neque Ossii amicissimæ et instantes preces, neque ipsius et aliorum episcoporum gravia argumenta, et vividæ comminationes quibus à tanto scandalo eos distrahere satagebant. Sardicense concilium innocentes declarat Athanasium, Marcellum et Asclepam : contra hæreticos quosdam sententiam pronuntiat : ad romanum Pontificem, ad Imperatores, ad Alexandrinam ecclesiam, et ad universos episcopos epistolas mittit. Percelebres eos canones edidit, quibus episcopalium iudiciorum, unius, secundi, et tertii, ordo præscribitur; necnon dum ad Pontificem romanum immediatè appellatur. Qui omnes summum erga apostolicæ sedis auctoritatem respectum redolent, et ius appellandi à conciliorum sententiâ ad romanum Pontificem, aut huius ad mittendum legatos è suo latere, non instituunt, sed supponunt et declarant. Ili canones solent tertius, quartus et septimus numerari. Aliis quoque canonibus

plura ad disciplinam Ecclesiæ spectantia decernuntur. 1 et 2 Episcoporum de unâ ad aliam ecclesiam translatio sub pœnâ minimùm depositionis prohibetur. 5 et 6 Episcopis vicinæ provinciæ committitur, ut alterius provinciæ episcopum instante populo ordinent, quoties in ipsâ provinciâ unicus episcopus est, et ordinationi assistere rogatus recusat: non ordinetur tamen episcopus oppido, cui presbyter sufficiat. 8 ad 12 Episcopi ad curiam, nisi ab ipso Imperatore per epistolam vocati, non accedant: diaconum tamen pro piis instantiis mittere possint. 13. Nemo etsi litteratus, aut dives, aut publicis muneribus functus, et electus episcopus, ordinetur seu consecretur, quin priùs in officiis lectoris, diaconi, et presbyteri congruo tempore exerceatur. 14 et 15 Episcopus à suâ ecclesiâ plus quàm tribus dominicis diebus nunquam absens permaneat. 16 Nullus episcopus in suam communionem admittat clericum à proprio episcopo excommunicatum. 17 Excommunicatus autem ad episcoporum concilium appellare potest: et ibi causa iterum cognoscatur. 18 Nullus episcopus potest alterius diœcesis clericum in aliquâ ex suis ecclesiis collocare. 19 Si aliquis episcopus clericum alterius diœcesis pro suâ ordinaverit absque consensu proprii episcopi, ordinatio irrita sit. 20 Presbyteri et diaconi ab ecclesiâ seu parochiâ suâ plus quàm tribus hebdomadibus absentes permanere nequeunt. 21 Qui ob fidem à suâ civitate exules vadunt, in aliis honorificè recipiantur. Post editos canones universa synodus dixit: Omnia quæ constituta sunt, Ecclesia catholica toto orbe diffusa custodiat. Et profectò hi canones summo honore habiti sunt, et aliquando inter Nicæenses computati *(ib. n. 22 ad 38)*.

§ VI. Theodosius imperator, Damaso Pontifice abs dubio consentiente, totius Orientis concilium Constantinopoli convocat anno trecentesimo octogesimo primo. Tunc ipsius civitatis episcopus Gregorius Nazianzenus eligebatur, Antiochiæ verò sanctus Flavianus. Gregorius protinùs episcopatui renuntiat, et ab urbe recedit. Celebre symbolum à concilio edebatur, in quo Nicæensis fides elucet, quibusdam additis, præcipuè ut fides In-

carnationis contra appollinaristas, et Divinitas Spiritûs Sancti contra macedonianos magis declaretur. Sic autem ait : « Credimus in unum Deum, Patrem omnipotentem, « factorem *cœli et terræ*, visibilium et invisibilium. Et « in unum Dominum Iesum-Christum Filium Dei unige- « nitum, et ex Patre natum *ante sæcula*, Deum de Deo, « lumen de lumine, Deum verum de Deo vero : natum, « non factum : consubstantialem Patri, per quem omnia « facta sunt. Qui propter nos homines et propter nostram « salutem descendit. Et incarnatus est *de Spiritu Sancto* « *et Mariâ Virgine*, et humanatus est. *Et crucifixus pro* « *nobis sub Pontio Pilato, et sepultus*. Et tertiâ die re- « surrexit. Et ascendit in cœlos, *sedet ad dexteram Pa-* « *tris*. Et iterùm venturus est *Cum gloriâ* iudicare vivos « et mortuos, *cuius regni non erit finis*. Et in Spiritum « Sanctum *Dominum et vivificantem, ex Patre proceden-* « *tem, cum Patre et Filio coadorandum, et conglorifi-* « *candum, qui locutus est per prophetas. In unam catho-* « *licam et apostolicam Ecclesiam. Confitemur unum bap-* « *tisma in remissionem peccatorum. Et expectamus resur-* « *rectionem mortuorum. Et vitam venturi sæculi. Amen.* Præterea in hoc Constantinopolitano concilio quibusdam canonibus statutum est, ut Nicæensis fides contra omnem hæresim, specialiter arianorum, macedonianorum, photinianorum et apollinaristarum, custodiatur. Ut episcopi extra fines suæ diœcesis non egrediantur, et ecclesias contra regulas constitutas non permisceant. Ut singulas quasque provincias synodus provincialis admininistret et gubernet, sicut in Nicæâ iam definitum est. Atque ut episcopus Constantinopolitanus habeat primatûs honorem post Romanum episcopum, quoniam Constantinopolis nova Roma est. Demum ordinatio Maximi Cynici, et eorum quos ipse ordinaverat, irritæ declarantur. Licèt autem in hoc concilio solius Orientis episcopi convenissent, quia tamen quæ de fide pronuntiavit ab universâ Ecclesiâ accepta sunt, ideò cum œcumenicis iure numeratur. Anno sequenti aliud celebrabatur concilium constantinopolitanum, quod ad romanum Pontificem, cæterosque occidentales episcopos scribebat *(ib. n. 39 ad 47)*.

§ VII. Simul ac errores suos Nestorius spargere cœpit, generalem synodum convocari constantinopolitani fideles instantissimè petebant, et Imperator universos orbis episcopos invitabat, ut Ephesum ad hoc convenirent die festo Pentecostes anni quadringentesimi trigesimi primi. Aderant omnes tempore præsignato, præter orientales, eos scilicet qui ad diœcesim seu patriarchatum Antiochiæ pertinebant. Quibusdam verò diebus post Pentecostem transactis, iure dies indicebatur quo synodus inciperet; eoque adveniente, in ecclesiâ sanctæ Mariæ sumpsit initium, orientalibus non diutiùs expectatis. Nestorius sponte non accedens à concilio ter citatur, et orientales nondum adesse causatus, interesse renuit. Leguntur primò epistolæ duæ, altera Cyrilli quæ probatur, altera Nestorii quæ universim reprobatur. Legitur deinde romani Pontificis sententia contra Nestorium, et illorum relatio qui eam Constantinopoli huic intimarunt. Audita sunt etiam quorumdam testimonia, qui de Nestorii pertinaciâ in errore dicebant: lecta quoque sunt ex illius scriptis excerpta quædam, sanctorum Patrum contra eius errores sententiæ plurimæ, et Africanæ ecclesiæ epistola ad synodum. Tandem contra Nestorium depositionis sententia lata est *(ib. n. 48 ad 59)*.

§ VIII. Sequenti die concilii sententia Nestorio intimatur: plures de rebus gestis epistolas Constantinopolim synodus mittit, necnon actorum omnium exemplaria ad Imperatorem, ad clerum et populum. Nestorius quoque, et qui suæ factionis erant, multa ad constantinopolitanos scribebant, gesta omnia falsò et disiunctim referentes, ut sanctum Cyrillum et totam synodum odii in Nestorium, turbidi animi, et aliorum criminum insimularent. Non post multos dies Ioannes Antiochenus et socii Ephesum perveniunt; et in conciliabulo coëuntes, absque ullâ iudicii formâ Cyrillum et Memnonem ephesinum episcopum damnandos pronuntiant. Interea Ephesum ab Imperatore mittebatur nuntius pro Nestorio vehementissimo præiudicio captus *(ib. n. 60 ad 65)*.

§ IX. Pervenientibus paulò post romani Pontificis legatis, secunda concilii sessio celebrabatur, in qua Pon-

tificiæ litteræ lectæ, et à patribus maximè laudatæ sunt. Deinde legati missionis suæ finem manifestant, iuxta præscriptum in decreto seu monitis à Pontifice ipsis traditis, quæ maximè notanda sunt. Legatorum instantiis primæ sessionis acta lecta fuerunt, et nomine romani Pontificis confirmata. Tunc synodi patres de legatorum adventu ad Imperatorem retulerunt, observantes priora gesta concilii auctoritate romani Pontificis, et occidentalium omnium episcoporum esse iam approbata et confirmata. Et inde causam omninò finitam supponentes, enixè precabantur ut benignè annueret episcopos ad suas quosque sedes protinùs regredi. Interea Ioannes Antiochenus eiusque socii à synodo sæpiùs vocantur, et cùm interesse nolint, administratio eis episcopatûs interdicitur : de qua sententiâ Imperatorem et romanum Pontificem statim monebat synodus. Improbabat postea dissonam quamdam fidei professionem, quæ à Theodoro Mopsuesteno scripta credebatur ; et ad universos episcopos dirigebat epistolam, sex canones contra eos, qui Nestorii aut Cœlestii partibus adhærebant, continentem : unde Cœlestii seu Pelagii hæresim ab hac synodo damnatam apertè colligitur. Quædam quoque providebat synodus de negotiis insulæ Cypri, Pamphiliæ, et Thraciæ (*ib. n.* 66 *ad* 77).

§ X. His ita peractis, Ephesum pervenit Ioannes Comes ab Imperatore missus, qui controversias omnes extinguere intendebat, depositiones Nestorii, Memnonis, et Cyrilli ratas habens, et executioni mandans, quasi omnes tres à synodo decretæ fuissent. Tam turpe graveque mendacium cùm episcopi catholici ferre non possent, libellum supplicem ad Imperatorem dirigunt, de tam effreni imposturâ conquesti, atque Cyrilli et Memnonis innocentiam testantes, et pro viribus propugnantes. Tunc Imperator utriusque partis legatos Constantinopolim accedere iubet : quibus auditis, de novo errore, cui tantum Imperialis curia favebat, fides catholica tandem in ipsâ curiâ triumphabat. Sanctus Cœlestinus romanus Pontifex concilii patribus responsum dabat, et ad Imperatorem, ad ecclesiam constantinopolitanam, et ad eius

novum episcopum lætus scribebat (*ib. n.* 78 *ad* 84).

§ XI. Aliud generale concilium anno quadringentesimo quinquagesimo primo, convocante imperatore Martiano, Chalcedone celebrabatur, ad removenda scandala quæ pro hæresi eutychianâ *latrocinium,* ut aiunt, ephesinum paraverat. Sanctus Leo romanus Pontifex legatos mittit qui eius nomine præsint, et magnâ pompâ initia synodi celebrabantur. Deinde accusatur Dioscorus Alexandrinus; et conciliabuli seu latrocinii ephesini acta leguntur, et reprobantur. Agitur de fide, et catholicam omnes profitentur. Legitur epistola sancti Leonis ad Flavianum, et summo plausu ab omnibus accipitur. Postea Dioscorus citatur: novi accusatores illius audiuntur: depositionis pœnâ mulctatur, et sententia intimatur ipsi, et promulgatur. Iterum legitur epistola sancti Leonis, iterumque probatur et laudatur. Dioscori sociis conversis omninò parcitur. Et cum tredecim Ægypti episcopis, qui Eutychetem libenter damnabant, Leonis tamen epistolam, nisi annuente episcopo Alexandrino cui subdebantur, admittere se non posse contendebant, benignissimè agitur: imò etiam cum quibusdam monachis ægyptiis, turbidis eutychianis, qui se à concilii communione recessuros esse audacissimè comminabantur, nisi Dioscorus absolveretur (*ib. n.* 85 *ad* 95).

§ XII. Inter episcopos Tyri et Beryti notabilis causa in concilio acta est. Etenim cùm Tyrus totius Phœniciæ primæ esset metropolis, hæc provincia in duas civiles ab Imperatore divisa fuit, et Berytus constituta metropolis provinciæ noviter erectæ. Unde contendebat episcopus Beryti hanc divisionem civilem consequi divisionem provinciæ ecclesiasticæ; ac proinde iura metropolitæ in episcopos et ecclesias urbium novæ civili provinciæ designatarum assumebat. Iudices, seu mandatarii imperiales, qui concilio intererant, protestati sunt Imperatorem velle res ecclesiasticas iuxta canones, non verò iuxta leges imperiales definiri: et à synodo exquisierunt an vellet hanc causam finire secundùm leges, vel secundùm canones. Synodus iuxta canones finiendam respondit. Unde magistratus seu iudices tandem pronuntiarunt epis-

copum Tyri omnia iura metropolitana, quæ priùs habuit, conservare, et à divisione civili nullum ius episcopo Beryti accessisse: quam propositionem iudicum concilium magno plausu admisit. Postea cùm fidei professio, à patribus quibus is labor commissus fuerat exarata, legeretur, ab omnibus unanimi voce recepta est, eique coram Imperatore omnes subscripserunt. In eâ autem fides Incarnationis contra Nestorii et Eutychetis errores clarè exponebatur *(ib. n.* 96 *ad* 99*)*.

§ XIII. Tres articulos seu canones à Martiano propositos synodus tunc probabat. 1 Monasterium non ædificetur absque consensu episcopi. Huic subiiciantur monachi, et quieti sint; ieiunio et orationi dediti, in locis in quibus se Deo devoverunt permaneant: nec rebus ecclesiasticis aut civilibus se unquam immisceant, nisi fortè ita eis ab eiusdem urbis episcopo propter urgentes necessitates præcipiatur. Episcopi autem sollicitudinem necessariam monasterio exhibeant. 2 Nullus clericus aut monachus possessiones conducat, nec sæcularibus negotiis se immisceat, nisi iubente episcopo in rebus ecclesiarum, orphanorum, viduarum, et similium. 3 Clericus unius ecclesiæ in alienâ non ordinetur sub pœnâ excommunicationis tam ipsius clerici, quàm episcopi qui eum admittit. Confirmat etiam synodus initam inter patriarchas Antiochenum et Ierosolymitanum concordiam. Theodoretus et Ibas, damnato Nestorio, suis sedibus restituuntur. Pro alimentis quorumdam qui episcopi fuerant, ex bonis ecclesiarum quas rexerant solvendæ pensiones assignantur, et diversæ inter particulares ecclesias quæstiones feliciter extinguuntur *(ib. n.* 100 *ad* 103*)*.

§ XIV. Statuebat etiam concilium plures canones in sessione quadam, cui neque legati Pontificii, neque missi ab Imperatore magistratus intererant. Unde huius synodi numerantur viginti octo. 1 Præcedentium synodorum canones serventur. 2 Simonia gravissimè prohibeatur. 3, 4 et 20 sunt tres à Martiano propositi. 5 Ab unâ ad aliam ecclesiam nullus clericus transeat. 6 Nullus absolutè seu vagè ordinetur, sed tantùm pro determinatâ ecclesiâ, oratorio, seu monasterio. 7 Clerici et mo-

nachi ad militiam vel sæcularia munera non transeant. 8 Omnes clerici, etiam monasteriorum, seu ecclesiarum martyrum, episcopo urbis subdantur. 9 Clericus contra alium clericum non in tribunali laicorum, sed coram episcopo, metropolitâ vel primate litem moveat. 10 Qui ab unâ ecclesiâ ad aliam omninò translatus sit, nullo negotio prioris ecclesiæ immisceatur. 11 Pauperibus iter agentibus litteræ pacificæ seu ecclesiasticæ dentur, non autem commendatitiæ. 12 Episcopi civitatum quæ de novo in metropoles civiles eriguntur, nullum ius metropolitanum acquirunt. 13 Clerici extranei sine litteris sui episcopi ut clerici non admittantur. 14 Lectores et psalmistæ, ubi nubere possunt, alterius sectæ uxorem non accipiant. 15 Diaconissa non constituatur, quæ quadragenaria non sit; et postquam suum ministerium aliquamdiu observaverit, nubere non possit. 16 Virgo Deo dicata et monachus nubere nequeunt. 17 Parochiæ rusticanæ sint illius episcopi, qui per triginta annos illas gubernaverit. Si nova civitas ab Imperatore erigitur, civiles ordinationes sequatur ecclesiarum parochiarum ordinatio. 18 Clerici vel monachi qui conspirationem vel coniurationem contra episcopum moliantur, deponantur. 19 Bis in anno concilia provincialia celebrentur. Episcopus, qui cùm possit non convenerit, reprehendatur. 20 et 21 Qui episcopos aut clericos accusant, non facilè audiantur. 22 Post mortem episcopi eius res nemo diripiat. 23 Defensor ecclesiæ constantinopolitanæ ab eâ urbe expellat clericos aut monachos, qui ad eam absque licentiâ proprii episcopi venerint. 24 Quæ Deo semel sacrata sunt monasteria, cœnacula sæcularium non fiant. 25 Intra tres menses vacantis ecclesiæ novi episcopi ordinatio fiat. Viduatæ ecclesiæ redditus ab œconomo integri serventur. 26 Oeconomus, vel dispensator ecclesiæ, ex ipsius clero sumatur, et res ecclesiæ gubernet arbitrio episcopi. 27 Raptores mulieris, si clerici, deponantur; si laici, anathematizentur *(ib. 104 ad 107)*.

§ XV. Ultimus canon supponit à concilio constantinopolitano primo concessa fuisse episcopo Constantino-

polis seu novæ Romæ æqua privilegia ac illi prioris Romæ, et secundum locum in Ecclesiâ; atque ad constantinopolitanum episcopum pertinere ordinationem metropolitarum Ponti, Asiæ et Thraciæ, et omnium episcoporum in regionibus barbarorum. Et mandatariis seu magistratibus Imperialibus proponentibus, statuitur episcopo constantinopolitano seu novæ Romæ parilis honor ac episcopo Romæ antiquæ, et auctoritas illos metropolitas ordinandi. Contra hoc decretum quod numerari solet canon 28, legati Pontificii die sequenti acriter dicebant; et quamquam in synodicâ epistolâ ad sanctum Leonem, quem summâ veneratione patres alloquuntur, ab eo enixè deprecarentur ut ea privilegia rata ac firma haberet, sanctus tamen Pontifex ea se probare non posse testatus est: probavit tamen quæcumque circa fidem synodus statuerat *(ib. n.* 108 *ad* 113*)*.

§ XVI. Novo concilio œcumenico occasionem dedit celebris *de tribus capitulis* concertatio, cuius initia antea meminimus, et quæ sub imperatore Iustiniano vehementer agitabatur. Ea capitula Imperator damnabat: de quo africani episcopi multùm dolebant, et apud Vigilium romanum Pontificem, Iustiniani iussu ad Constantinopolim iter agentem, conquerebantur. Ad hanc urbem initio anni quingentesimi septimi Pontifex perveniebat: primatûs sui auctoritatem graviter et decorè sustinebat: Chalcedonense concilium fortiter tuebatur; et in causâ trium capitulorum prudens illud decretum edebat, quod *Iudicatum* nominari solet. In eo Theodorum Mopsuestenum, et impia eius scripta damnabat: ea quoque quæ Theodoretus contra duodecim sancti Cyrilli anathemata et Ephesinum concilium ediderat; sicut etiam epistolam quæ ab Iba episcopo ad Marim Persam scripta supponitur. Deinde Vigilius diaconos duos, qui eum diversimodè calumniati fuerant, munere deponebat, et magno cum dolore observabat episcopos africanos et illyricos etiam post ipsius decretum tria capitula pro viribus propugnare *(ib. n.* 114 *ad* 118*)*.

§ XVII. Oecumenicum concilium pro pace Ecclesiæ Constantinopoli celebrandum Imperator et romanus Pon-

tifex unanimes decernebant. Cùm verò Imperator promissis, et quidem solemni iuramento firmatis, sæpiùs deesset, gravissima inde nascebatur discordia; et Pontifex Imperatoris iussu sævissima et vix credibilia patiebatur. Episcopi orientales Vigilio suæ fidei confessionem, catholica dogmata exactissimè exprimentem, singulari Pontificis solatio offerunt. Interea tamen contra pacta conventa concilii sessiones seu collationes ipsi soli celebrant: et ad Pontificem mittunt numerosam ex eorum primoribus legationem, ut ad concilium accedat enixè deprecantes. Et quamquam Pontifex, occidentalibus episcopis nondum stantibus, concilio interesse iure recusabat: trium tamen capitulorum examen accuratè et gravissimè synodi patres instituunt; an liceat mortuum quemlibet condemnare speciatim etiam expendentes (*ib. n.* 118 *ad* 126).

§ XVIII. Pontifex nimium esse Imperatoris et orientalium episcoporum in tria capitula odium, et erga Chalcedonense concilium minorem iusto venerationem veritus, longum decretum super tribus capitulis, ab alio quod priùs ediderat valdè diversum, promulgavit, et appellari *Constitutum* voluit. Iustinianus irâ commotus quòd Vigilius priorem de hac causâ sententiam omninò mutasset, eum ut hæreticum haberi iussit: concilium verò pacatiùs prudentiùsque agens, suum decretum tandem protulit. In eo Chalcedonense concilium, perinde tria priora œcumenica, amplexabatur: in tribus capitulis condemnandis priori romani Pontificis decreto seu *Iudicato* apprimè consentiebat, et catholicam de Incarnatione doctrinam, errores oppositos anathemate feriens, perspicuè et acerrimè propugnabat (*ib. n.* 127 *ad* 130).

§ XIX. Tam constanti testimonio concilii Constantinopolitani contra hæresim, et pro concilio Chalcedonensi, antiquos timores exuebat romanus Pontifex, et prudentissimum iudicabat pacem et veram concordiam cum Imperatore et synodi patribus inire. Itaque decretali epistolâ ad patriarcham constantinopolitanum directâ, omnia quæ concilium egerat probavit, et auctoritate

suâ firmavit : ultimum verò suum decretum seu constitutum tollendum censuit. Atque exinde, qui tria capitula propugnabant, pœnis ecclesiasticis subiacere debebant. In Italiâ ac Istriâ schisma formarunt, quod tamen prudenti romanorum Pontificum zelo sensim decrescebat, et tandem omninò extinguebatur. Et hoc ultimum fuit sex conciliorum generalium, quæ secundâ Ecclesiæ ætate celebrata sunt (*ib. n.* 131 *ad* 135).

CAPUT X.

De conciliis particularibus secundæ ætatis.

Diversa particularium conciliorum genera 1. *Multiplici ex causâ congregantur* 2. *Ad disciplinam moresque formandos plura sæculo quarto, Ancyranum, Neocæsariense* 3, *Antiochenum* 4, *Laodicenum, et Gangrense in Oriente* 5. *In Occidente duo in Galliâ* 6 : *totidem in Hispaniâ* 7; *et Carthaginensia primum et secundum* 8, *tertium* 9, *quartum et quintum* 10. *Sæculo quinto Milevitanum, Rhegiense* 11, *Vasense et alia in Galliâ* 12. *Sæculo sexto Agatense* 13, *quinque Aurelianensia* 14 : *Epaonense et alia gallicana* 15. *Hispana plurima, ut Tarraconense, Gerundense* 16, *Toletanum secundum, Barcinonense primum* 17, *Ilerdense, Valentinum* 18, *duo Bracarensia* 10, *et Toletanum tertium, et alia* 20. *Canonum collectiones* 21.

§ I INTER generalia seu œcumenica concilia in quæ totius Ecclesiæ episcopi convocantur, et illa unius tantùm ecclesiæ, seu quando episcopus cum suis presbyteris de rebus ecclesiæ suæ tractat; alia diversi generis

media sunt, quæ plurium episcoporum particulares synodi iure vocantur. Etenim quandoque unius ecclesiasticæ provinciæ episcopi coram metropolitâ suo coëunt, ut his posterioribus sæculis frequenter in provinciâ Tarraconensi. Quandoque omnes unius gentis seu nationis, pluribus ecclesiasticis provinciis constantis, ut sæpè in Toletanis conciliis aliisque Hispaniæ Gothorum tempore. Et quandoque etiam episcopi omnes cuiusdam patriarchatûs, aut alterius magnæ Ecclesiæ partis, quæ non solùm plures ecclesiasticas provincias sed plures etiam gentes seu nationes intra suos terminos claudat, ut concilia totius Africæ, totius Occidentis, totius Orientis, etc. *(Lib. VII. n.* 136 *).*

§ II. Post pacem verò Ecclesiæ datam à Constantino, præter antiquas congregandorum conciliorum causas, nempè lites et quæstiones finiendas, Ecclesiæ officia ordinanda, episcopos aliosque Ecclesiæ ministros eligendos et consecrandos, et præcipuè fidei depositum et Ecclesiæ unitatem, morumque puritatem ab hæreticis, schismaticis, et corruptis magistris defendenda; alia frequens se se obtulit convocandorum conciliorum occasio: novæ scilicet ecclesiæ solemniter dedicandæ. Et quoniam aliunde ea obstacula quæ persecutionum tempore in unum convenire episcopos rarò sinebant, aut ferè aut omninò evanuerant; ideò frequentissimâ plurium vel paucorum episcoporum concilia, secundâ Ecclesiæ ætate, præcipuè ob hæresim Arii et schisma Donati celebrabantur *(ib.* 137 *).*

§ III. Hic ea tantùm memorare aggredior, quæ ob canones Ecclesiæ disciplinæ aut moribus formandis idoneos celebriora sunt; quorum aliquos, paucissimos tamen, indicabo. Inter orientalia concilia sæculi quarti eminent Ancyranum, Neocæsariense, Antiochenum, Laodicenum, et Gangrense. *Ancyranum,* anno ut videtur trecentesimo decimo quarto habitum, de pœnitentiâ eorum qui in idololatriam, homicidium, aut adulterium lapsi fuerant, multa statuit: tempus autem et exercitationes pœnitentiæ episcoporum arbitrio mutari vel abbreviari posse, et hoc concilium et alia frequenter mo-

nent. Istius canon 10 illi diacono facultatem nubendi relinquit, qui priusquàm ordinaretur, episcopo protestatus est se continentiam servare non posse, neque ordinari velle nisi cum facultate nubendi, et nihilominùs eum episcopus ordinaverit. Neocæsariense anno trecentesimo quinto decimo celebratum fertur: cuius est canon 1: Presbyter, qui uxorem duxerit, deponatur: si in fornicationem vel adulterium labitur, excommunicetur, et pœnitentiæ ut laicus subiaceat. 6 Mulier prægnans si velit baptizetur: nec tamen eius baptismo infans in utero baptizabitur. 11 Presbyter ante triginta annorum ætatem non ordinetur *(ib. n.* 138 *ad* 140*)*.

§ IV. *Antiochenum,* anno trecentesimo quadragesimo primo, vel forsan trigesimo secundo, ad universos Ecclesiæ episcopos canones dirigebat, ut eos suo consensu confirmarent. 1 Qui eodem die ac iudæi Pascha celebret, si clericus fuerit, deponatur; si laicus, excommunicetur. 2 Non licet communicare cum excommunicatis; nec orare cum eis qui per domos conveniunt, devitantes orationes et conventus Ecclesiæ. 4 Episcopi à synodo depositi, aut presbyteri ab episcopo, qui priusquàm absolvantur sua ministeria exercent, nec in aliâ synodo restitutionis spem, neque locum defensioni habeant. 5 Si presbyter vel diaconus se ab ecclesiâ episcopi sequestrat, et privatim congregationem efficit, damnetur omnimodè. Quòd si Ecclesiam conturbare perstiterit, tamquam seditiosus à potestate externâ seu sæculari castigetur. 6 Excommunicatus à proprio episcopo, ab aliis non recipiatur. 7 Omnis episcopus in ordinandis clericis et gubernandis rebus suæ parochiæ seu diœcesis expeditam potestatem habet. In reliquis magni momenti nil nisi metropolita fuerit, nec iste sine cæterorum concilio, gerat. 10 *Chorepiscopi* seu vicarii *foranei*, quamvis ut episcopi consecrati sint, curent solùm ecclesias sibi commissas, et pro iis lectores, exorcistas, et subdiaconos ordinent: non verò diaconum aut presbyterum, sine consensu episcopi cui subiacent. 12 Episcopus à synodo damnatus, vel presbyter aut diaconus ab episcopo, qui ad maius concilium non convertuntur, sed Imperatoris auri-

bus molesti fiunt, nullâ veniâ digni sunt, nec illis satisfactionis locus, aut spes restitutionis esse debet. 13 Nullus episcopus ordinationibus et ecclesiasticis negotiis alterius provinciæ se ingerat, nisi ab illius metropolitâ et aliis episcopis fuerit per litteras invitatus. 14 et 15 In iudicio episcopi crimine accusati sententia unanimis episcoporum suæ provinciæ firma maneat. Si comprovinciales episcopi dissident, metropolita aliquos è vicinâ provinciâ convocet, qui etiam iudices sint. 19 Episcopus extra synodum, et absente metropolitâ, non ordinetur. 23 Episcopo non licet successorem sibi constituere. Servetur ius ecclesiasticum, quo statuitur episcopum non aliter fieri oportere, quàm iudicio et synodo episcoporum, qui potestatem habent eum qui dignus fuerit promovere. 24 et 25 Ecclesiæ bona dispensanda sunt iudicio et potestate episcopi: cum timore tamen Dei, et in omnes egenos. Sciant verò presbyteri et diaconi quæ propria ecclesiæ sunt, ut moriente episcopo, quæ sunt ecclesiæ huic conserventur, et quæ erant episcopi propria hæredibus suis tradantur *(ib. 141 ad 143)*.

§ V. *Laodiceni* concilii sexaginta canones manent, qui in pœnitentiæ ritu, aliisque, necnon in clericorum vitâ ordinandis præcipuè versantur. 7 et 8 Novatiani conversi, sancti chrismatis inunctione admitti seu reconciliari possunt: phrygii verò seu montanistæ sunt baptizandi. 9 Ad cœmeteria vel ecclesias hæreticorum catholici orationis aut venerationis causâ non pergant. 12 et 13 Turbis non est permittendum eorum, qui sacerdotes constituendi sunt, electionem facere; sed metropolitarum, et vicinorum episcoporum iudicio episcopi constituantur. 31 Fidelis cum hæretico matrimonium non fiat, nisi is converti promittat. 48 Oportet eos, qui baptizantur, post baptisma inungi cœlesti chrismate. 60 Catalogus Librorum sacrorum. Concilii *Gangrensis* circa annum trecentesimum octogesimum coacti unus et viginti canones sunt, quibus varii errores ex nimio austeritatis, et fanatico pietatis amore orti, anathemate condemnantur: eorum nempè, qui dicunt matrimonium et esum carnium illicita esse, servos à dominis recedere, et à patre filios,

aut patrem à filiis omninò negligi obtentu pietatis posse licitè; illis etiam damnatis, qui his erroribus inter coniugatos dissidia excitant, aut ab Ecclesiæ conventibus variis prætextibus separantur, vestes mutant, die dominico ieiunant, et memorias martyrum contemnunt *(ib. n.* 144 *ad* 149*)*.

§ VI. Eodem sæculo quarto duo in Galliâ Arelatense et Valentinum, totidem in Hispaniâ Cæsaraugustanum et Toletanum, et quinque Carthaginensia concilia ob canones notissima occurrunt. *Arelatense* ob causam donatistarum præcipuè congregatum, anno trecentesimo quarto decimo, canones viginti duo edebat, et ad sanctum Silvestrum romanum Pontificem mittebat, ut omnibus ecclesiis eos indicaret. 1 Celebretur Pascha ubique terrarum eodem die quem romanus Pontifex iuxta consuetudinem, litteris ad omnes ecclesias, præscribat. 8 Si aliquis de hæresi venerit, et interrogatus de symbolo, constat eum in Patre et Filio et Spiritu Sancto esse baptizatum, manus ei tantùm imponantur, ut accipiat Spiritum Sanctum. Quòd si interrogatus non responderit hanc Trinitatem, baptizetur. 14 De iis qui falsò accusant fratres suos, placuit eos usque ad exitum non communicare. 15 Diaconi minimè offerant: etiam urbici honorem presbyteris reservent. 20 Episcopus non solus episcopum ordinet: sint minimùm tres. *Valentini* concilii quatuor canones extant. 1 In posterum nullus bigamus ordinetur clericus; at qui ordinati iam sunt, in ministerio maneant. 4 Qui, ne ordinentur diaconi, presbyteri vel episcopi, mortali crimine dixerint se esse pollutos, non ordinentur: nam rei certi sunt vel illius criminis, vel gravissimi mendacii *(ib. n.* 150 *ad* 152*)*.

§ VII. In Hispaniâ *Cæsaraugustani* concilii anno trecentesimo septuagesimo quarto contra priscillianistas celebrati, canones octo ad illorum errores vitandos ordinati supersunt. 2 Ne quis ieiunet die dominico, nec quadragesimarum diebus ecclesiæ desit. 3 Si quis Eucharistiæ gratiam acceptam in ecclesiâ, probatur non sumpsisse, anathema sit in perpetuum. 6 Si quis clericus ab officio suo discedit, et monachus, veluti legis observator, ma-

ior clerico videri voluerit, de ecclesiâ repellatur. 8 Virgines, quæ se Deo voverint, non velandæ sunt nisi quadraginta annorum ætate, et auctoritate episcopi. *Toletana* synodus anni quadringentesimi non solùm reconciliandis priscillianistis, et horum erroribus damnandis incumbebat, sed etiam disciplinæ ordinandæ, præcipuè circa ordinationes clericorum, in quibus Nicæensis concilii decreta apprimè observari iubebat. 1 Diaconi et presbyteri qui uxores habeant, et cum eis continentiam non servent, in superiorem gradum ascendere nequeunt. 2 Pœnitens non admittatur ad clerum. Pœnitentem verò dicimus eum, qui post baptismum aut pro homicidio, aut pro diversis criminibus, gravissimisque peccatis publicam pœnitentiam agens in cilicio, divino fuerit reconciliatus altario. 5 Clericus qui ad ecclesiam ad sacrificium quotidianum non accesserit, clericus non habeatur. 10 Qui alteri obligatus est, non ordinetur clericus sine consensu patroni. 17 Qui uxorem habet simul et concubinam, non communicet. Unius tantùm mulieris sit coniunctione contentus, aut nomine uxoris aut concubinæ, ut ei placuerit. 20 Ab hac die nullus presbyter nisi solus episcopus chrisma faciat, et per diœcesim destinet. Episcopo autem omni tempore licet chrisma conficere (*ib. n.* 153 *ad* 155).

§ VIII. Quæ concilia sæculi quarti plures canones ediderant, *Carthaginensia* sunt. Vocatur *primum*, quod Gratus carthaginensis episcopus è Sardicensi concilio redux ex totâ Africâ convocabat, in quo disciplinæ et moribus opportuni canones statuebantur. 3 et 4 Clericorum castitati et bonæ famæ multùm consulatur. 6 Clerici laicorum domorum œconomi aut administratores non sint. 13 Inita inter duos vicinos episcopos pacta circa diœcesium divisionem exactè custodiantur. Extant etiam aliquot canones concilii Carthaginensis anni trecentesimi nonagesimi, quod *secundum* vocatur. 2 Omnes qui altari deserviunt, etiam uxoribus se abstineant. Hanc disciplinam Apostoli indiderunt, et antiquitas servavit. 3 Chrismatis confectio, puellarum consecratio, et cuiuslibet in publicâ Missâ reconciliatio, à presbyteris non

fiant. 9 Nullus presbyter inconsulto episcopo agenda *(Missam)* in quolibet loco celebret. 10 Causa criminalis episcopi à duodecim episcopis, presbyteri à sex, et diaconi à tribus, quos inter sit diœcesanus, iudicetur. 12 Inconsulto metropolitâ seu primate provinciæ nullus episcopus vel à multis ordinetur *(ib. n.* 156 *et* 157 *)*.

§ IX. *Tertium* ratione canonum vocatur illud Carthaginense concilium, quod anno trecentesimo nonagesimo septimo celebratum est. 1 Omnes africani episcopi à carthaginensi diem Paschatis curent accipere. 2 Totius Africæ concilium singulis annis habeatur. Cuiuslibet provinciæ tres legati accedant; Tripolitanæ verò ob inopiam episcoporum unicus. 3 Ordinandis episcopis vel clericis decreta conciliorum inculcentur, ne illa ignorent. 4 Ante viginti ætatis annos nec diaconi ordinentur, nec virgines consecrentur. 12 Filii vel filiæ episcoporum, vel quorumlibet clericorum gentilibus, hæreticis, aut schismaticis matrimonio non iungantur. 21 Clericum alienum, nisi concedente eius episcopo, nemo audeat vel retinere, vel promovere in ecclesiâ sibi creditâ. 24 In sacramento corporis et sanguinis Domini nil ampliùs offeratur, quàm ipse Dominus tradidit, hoc est, panis et vinum aquæ mixtum. 29 Sacramenta altaris non nisi à ieiunis hominibus celebrentur. Et si post prandium defuncti alicuius commemoratio facienda est, solis orationibus fiat. 34 Ægrotantes qui loqui non possunt, baptizentur, dummodò eorum voluntas testimonio suorum constet. 35 Scenicis atque histrionibus, vel apostatis conversis ad Deum reconciliatio non negetur. 38 Baptisma et ordinationem iterare non licet; sed neque episcopum transferri. 42 Non erigatur novus episcopatus sine consensu episcopi, in cuius diœcesi ea urbs est. 47 Hic canon catalogum continet Divinarum Scripturarum Tridentino in omnibus conformem. 49 Qui nil habentes ordinantur, et postea episcopatûs vel clericatûs sui tempore agros vel prædia sibi comparant, ut usurpatores rerum Ecclesiæ castigentur, nisi ecclesiæ ipsi ea contulerint *(ib. n.* 158 *ad* 161 *)*.

§ X. *Quarto* Carthaginensi concilio anni trecentesimi

nanagesimi octavi ducenti quatuordecim episcopi, inter quos sanctus Augustinus, aderant, et centum et quatuor canones fiebant. Novem prioribus statuitur de quibus tentandi sunt ii qui ad episcopatum destinantur, et quomodò celebranda sit ordinatio episcopi, presbyteri, diaconi, subdiaconi, acolythi, exorcistæ, lectoris, et ostiarii. 10 Psalmista seu cantor ab episcopo ordinandus non est. 11 Sanctimonialis virgo, cum ad consecrationem episcopo offertur, vestibus induta sit professioni suæ et sanctimoniæ aptis, qualibus semper vestienda est. 13 Sponsus et sponsa, cùm benedicendi sunt à sacerdote, à parentibus suis vel paranymphis offerantur. 15 Episcopus vilem supellectilem, et mensam ac victum pauperem habeat, et dignitatis suæ auctoritatem fide et vitæ meritis quærat. 16 ad 63 et item alii de episcoporum, presbyterorum, aliorumque clericorum moribus et officiis multa opportunè præcipiunt. 77 Pœnitentes qui in infirmitate sunt viaticum accipiant. 84 Nullus prohibeatur ingredi ecclesiam et audire verbum Dei, sive gentilis, sive hæreticus, sive iudæus, usque ad Missam catechumenorum. 93 Oblationes dissidentium fratrum non admittantur. 94 Dona eorum, qui pauperes opprimunt à sacerdotibus refutanda. 104 Viduæ quæ, postquam fidem castitatis Domino voverunt, ad nuptias transeunt, sine communione maneant. Post biennium concilium Carthaginense *quintum* canones quindecim edebat. 3 Episcopi, presbyteri, et diaconi, secundùm antiqua statuta etiam uxoribus abstineant. Cæteri clerici ad hoc non cogantur. 4 Res Ecclesiæ non vendantur, nisi cogat necessitas à metropolitâ in synodo probata. 6 Illi quorum baptisma certo testimonio non constat, absque scrupulo baptizentur. 9 Ab Imperatoribus postuletur, ut pauperum defensores destinentur, qui cum episcopis eos adversùs potentiam divitum defendant. 14 Non permittantur altaria et memoriæ martyrum, nisi ubi aliquæ certæ reliquiæ sint, aut ubi martyres natos fuisse vel passos, aut habitasse, fidelissimâ traditione constet. Et hæc de canonibus sæculi quarti indicata sufficiant (*ib. n.* 162 *ad* 167).

§ XI. Sæculo quinto nullum occurrit in Oriente con-

cilium particulare ob canones disciplinæ speciatim memorabile; aliqua verò in Africâ, et plura in Galliâ. *Milevi* in Numidiâ totius Africæ concilium, anno sæculi secundo celebratum, eius ecclesiæ morem semper fuisse asserebat, ut inter episcopos honoris ordo antiquitatem ordinationis semper sequeretur. Unde iubebat ordinatos ab ordinatore litteras cum die et consule accipere, ut omnis altercatio vitaretur. Alia fuere Carthaginensia concilia, quæ priorum canones passim innovabant. In Galliâ concilium *Rhegiense* anni quadringentesimi trigegesimi noni ecclesiarum episcopalium vacantium curam metropolitæ committebant. In morte verò episcopi viciniorem protinùs accedere iubet, ut fratrem cum honore sepeliat, et fidelium paci, et bonorum ecclesiæ conservationi provideat: statim verò ad sua revertatur. *Arausicanum* anni quadringentesimi quadragesimi quinti pœnitentibus et catechumenis multa providebat. 5 Qui ad ecclesiam confugiunt, loci reverentiâ defendantur. 7 Qui in ecclesiâ manumissi sunt, ad servitutem non reducantur. 14 Dæmoniacis baptizatis, qui se sollicitudini clericorum tradunt, mònitisque obtemperant, communionis sacramentum detur, cuius virtute munientur. 22 Non ordinetur diaconus coniugatus, nisi castitatem priùs profiteatur. 28 Ex utroque sexu à promissâ castitate deficientes pœnitentiæ legitimæ subiaceant (*ib. n.* 168 *ad* 172).

§ XII. *Vasensis* concilii in Galliâ Narbonensi decem extant canones. 2 Pro his, qui pœnitentiam agentes inopinatò sine communione moriuntur, fiant oblatio, funera, et memoria, eodem modo ac si reconciliati fuissent. 4 Qui oblationes defunctorum ecclesiæ non tradunt, ut infideles habeantur, quoniam defunctos votorum suorum plenitudine, et pauperes alimoniâ fraudant: quasi egentium necatores habendi sunt. 9 et 10 Qui expositos colligit Ecclesiæ denuntiet, et in ecclesiâ populo nuntietur; at post dies decem nemo expositum repetere valeat, sed collectoris sit. Circa dimidium sæculi *Andegavense* concilium suos edebat canones. 1 Clerici absque licentiâ episcopi nec sæcularia iudicia expetant, nec de

loco ad locum transeant. 8 Monachi si absque debitâ licentiâ et sine necessitate vagantur, excommunicentur. *Arelatensis* secundi canones ferè omnes ex aliis conciliis sumpti sunt. 22 Coniugato pœnitentia publica sine consortis consensu non concedatur. 54 In ordinatione episcopi hic ordo servetur: Venalitate et ambitione submotâ tres ab episcopis nominentur, ex quibus clerici vel cives unum eligendi habeant potestatem. Arelatense tertium iura episcopi Fori Iulii in monasterium Lerinense de quibus concertatio nata fuerat, non alia esse declarabat, quàm quæ à prædecessoribus usitata fuerant; ut nempè solùm ab ipso, aut saltem de eius licentiâ, omnes altaris ministri in monasterio ordinarentur, ipse chrisma daret, neophytos confirmaret, et sine eius licentiâ peregrini clerici nunquam in monasterio admitterentur. Laici verò monachi unicè abbati subessent, nec nisi ipso petente posset episcopus aliquem ordinare. Demum *Turonensis* anni quadringentesimi sexagesimi quinti hi inter alios canones extant. 6 Monachi vagi, si verbis increpati non emendentur, etiam verberibus coërceantur. Clericus ebrius aut excommunicetur, aut corporali supplicio castigetur. 15 In totâ provinciâ idem sit sacrorum ordo, et psallendi consuetudo. 16 *Sanctorum sortes,* et omnis divinatio quarumcumque scripturarum inscriptione omninò prohibentur *(ib. n.* 173 *ad* 177 *).*

§ XIII. Etiam sexto sæculo plures Galliæ synodi canones ediderunt. *Agathensi*, quæ anno sexto celebrabatur, multi tribuuntur. 3 Episcopi ob causas minimas non excommunicent. 12 Omnes Ecclesiæ filii totâ quadragesimâ, exceptis dominicis, ieiunent. 18 Sæculares qui diebus Natalis Domini, Paschatis, et Pentecostes non communicaverint, catholici non credantur. 20 Clerici qui comam nutriunt, ab archidiacono etiam inviti detondeantur. 21 In agris seu villis oratoria permittuntur, in quibus Missa agatur ad vitandam fatigationem incolarum. In festis tamen maximis anni non nisi in civitatibus et parochiis Missa celebretur, nisi fortè iubente aut permittente episcopo. 47 Sæculares die dominico toti Missæ

adsint, ita ut ante benedictionem sacerdotis nullus egrediatur *(ib. n.* 178 *et* 179 *).*

§ XIV. Quinque *Aurelianensium* huius sæculi conciliorum canones extant. In primo de iure asyli, de bonis ecclesiæ, et de monachis agitur. 8 Si nesciente domino servus ordinetur, maneat clericus; dominus tamen duplici satisfactione compensetur. 19 Abbates sub episcoporum potestate sint; et si quid extra regulam fecerint, ab episcopis corrigantur. 24 Ante Pascha sit quadragesima, non quinquagesima. 27 Rogationes seu *Litaniæ* ante Ascensionem Domini celebrentur: quo triduo quadragesimalibus cibis omnes utantur. In secundo Aurelianensi: 3 Episcopus nec pro causis nec pro ordinationibus aliquid accipiat. 11 Matrimonia nec infirmitate nec voluntatum contrarietate solvi possunt. 16 Non ordinetur presbyter vel diaconus qui litteras vel baptizandi ordinem nesciat. In tertio: 2 Subdiaconus, et superior clericus nec uxorem ducere, nec cum eâ quam antea fortè duxerat, vitam maritalem agere potest. 28 Die dominicâ non iudaicâ superstitione ab itinere, præparatione victûs, nec à faciendo munditias abstinendum est: opere tamen rurali abstinere oportet, ut faciliùs agricolæ ad ecclesiam convenire et orare possint. In quarto plures sunt canones, quibus ecclesiæ bona ab ecclesiasticis alienari, et à laicis occupari prohibetur; et etiam cleri privilegia seu immunitates sustinentur. In quinto: 10 Episcopus simoniacè ordinatus deponatur. 20 Detentos in carcere ob delicta archidiaconus singulis diebus dominicis visitet, et eorum necessitates sublevare studeat, atque de domo ecclesiæ competens eis victus tribuatur. 21 De leprosis specialem curam episcopus habeat *(ib. n.* 180 *ad* 194 *).*

§ XV. Etiam in aliis Galliæ conciliis plures canones sæculo sexto editi sunt. In *Epaonensi:* 4 Episcopi, presbyteri et diaconi canes ad venandum et accipitres non habeant. 22 Si presbyter aut diaconus crimen capitale commiserit, ab officio depositus in monasterio retrudatur ad mortem usque. 30 Incesta sunt non coniugia, si quis viduam fratris, vel germanam uxoris suæ, vel

novercam, vel consobrinam, vel sobrinam, vel viduam avunculi seu patrui, vel privignam ducat. In *Vasensi* secundo statuitur ut parochi rurales domi suæ habeant lectores suæ ecclesiæ non coniugatos; et eos lege domini, psalmis, divinisque lectionibus ut boni patres spiritualiter nutriant. Iubetur etiam nomen domini Papæ viventis in ecclesiarum orationibus adhiberi. In *Arvenensi* seu Claromontano statuitur priùs de moribus et disciplinâ in conciliis agendum, quàm de litibus aut negotiis particularibus. In *Parisiensi,* anno quinquagesimo septimo, contra usurpationem bonorum Ecclesiæ multa decernebantur. In *Turonensi*, anno sexagesimo sexto, iubebatur unamquamque civitatem pauperes suos alere, ne vagari cogantur; atque adeò presbyteros et cives omnes suum quemque pauperem pascere: et in reverentiam et cultum sancti Martini præscribebatur officium tam in ecclesiâ ipsius sancti, quàm in aliis recitandum. In *Matisconensibus* prohibebatur archiepiscopos Missas sine pallio dicere, et clericos vestitu et armis ut sæculares uti. Iubetur omnes tam viros quàm mulieres singulis diebus dominicis oblationem panis et vini altari facere, et morem antiquum solvendi decimas Ecclesiæ reparari. In *Narbonensi,* anno octogesimo nono, sub pœnâ pecuniariâ aut verberum diem dominicum festum agere iubebatur, honoremque Iovi feriâ quintâ tribui prohibebatur. Prohibebatur etiam presbyterum aut diaconum eum ordinari, qui litteras nesciat. In *Antissiodorensi* synodo diœcesanâ plures idololatriæ reliquiæ prohibebantur, ut choreæ et cantus puellarum in ecclesiâ, festum vigiliæ sancti Martini, dare Eucharistiam defunctis, etc. Et hæc de Galliæ conciliis sæculi sexti (*ib. n.* 183 *ad* 206).

§ XVI. Plura quoque fuerunt in Hispaniâ, etiam dum Reges ariani erant. *Tarracone* anno quingentesimo sexto decimo canones tredecim disciplinæ antiquæ servandæ causâ fiebant. 4. 10 Episcopi et cæteri clerici, convenientibus partibus, causas iudicare possunt; non verò criminales, neque die dominico. Non eis tamen licet aliquid, more iudicum sæcularium, accipere pro officio iudicandi vel patrocinandi adhibito. 9 Episcopus annuis

vicibus omnes ecclesias suæ diœcesis visitet; et quibus opus sit eas reparari faciat ex tertiâ parte proventuum, quam ex omnibus antiquâ traditione accipit. 13 Metropolitâ dum fratres ad synodum vocat, moneat ut secum afferant aliquos presbyteros ex *cathedralibus* et aliis ecclesiis, et quosdam etiam sæculares. Anno sequenti eadem provincia aliud concilium *Gerundæ* celebrabat, et decem canones edebat. 1 In totâ provinciâ ordo Missæ, sicut etiam psallendi et ministrandi, idem ac in Tarraconensi ecclesiâ servetur. 3 Duo litaniarum tridua cum abstinentiâ à carnibus et vino celebrentur, nempè post septimanam Pentecostes, et post kalendas novembris. Etiam subdiaconi coniugati sine coniuge habitent (*ib. n.* 181 *et* 182).

§ XVII. *Toletanum secundum*, anno sexti sæculi vigesimo septimo, quinque fecit canones. 1 Qui ab infantiâ clericatui mancipantur, mox ut detonsi fuerint, in domo ecclesiæ curante episcopo erudiantur. Ubi duodevicesimum ætatis annum compleverint, de expetendo coniugio ab episcopo perscrutentur. Si castitatem absque coniugio se servaturos spondent, à vicesimo anno subdiaconi ordinentur. Si innoxiè ad vicesimum quintum pervenerint, et diaconatûs officium scienter implere posse ab episcopo comprobatur, diaconi ordinentur. 2 Qui tali educatione imbuuntur, ad aliam ecclesiam transire non debent. *Barcinonense* concilium, anno quadragesimo, decem statuebat canones. 3 Nullus clericorum comam nutriat, vel barbam radat. 7 Pœnitentes ne dent operam negotiis accepti et expensi. 10 De monachis observentur quæ synodus Chalcedonensis constituit (*ib. n.* 184).

§ XVIII. *Ilerdensis*, anno quadragesimo sexto habiti, canones sexdecim supersunt. 1 Clerici qui altari ministrant, Christi sanguinem tradunt, vel vasa sacro officio destinata contractant, ab omni humano sanguine etiam hostili, vel in obsidionis necessitate positi abstineant. 10 Qui iubente sacerdote pro quacumque culpâ ab ecclesiâ exire contempserit, pro noxâ contumaciæ tardiùs recipiatur ad veniam. 13 Non admittatur oblatio illius, qui filios suos hæreticis baptizandos obtulerit. Eo-

dem anno *Valentiæ*, tunc Carthaginensis provinciæ, concilium celebrabatur, in quo de morte episcopi, ne aliquid de bonis ecclesiæ depereat, et ut viduata ecclesia rectè administretur, multa providentur. Item ne ordinetur clericus, qui non spoponderit se futurum *localem*, seu loco affixum pro quo ordinatur *(ib.* 192 *et* 193 *)*.

§ XIX. Eiusdem sæculi annis sexagesimo primo et septuagesimo secundo, duo *Bracarensia* concilia celebrabantur. Primum post anathematizatos priscillianistarum errores ad uniformem disciplinam servandam unum et viginti canones edebat. 1 Unus et idem psallendi ordo in matutinis aut vespertinis officiis ubique teneatur; et privatæ seu monasteriorum consuetudines cum ecclesiasticâ regulâ non permisceantur. 2 In vigiliis et Missis dierum solemnium easdem lectiones in ecclesià omnes legant. 4 et 5 Ab omnibus celebrentur Missæ, et administretur baptismus eodem ordine, quem Profuturus ab Apostolicæ sedis auctoritate suscepit scriptum. 7 De rebus ecclesiasticis tres æquæ portiones fiant, episcopo una, clericis alia, et tertia pro recuperatione et luminariis ecclesiæ. 18 Corpora defunctorum in ecclesiis non sepeliantur. Bracarense secundum de visitandis ab episcopo ecclesiis omnibus, contra simoniam et alia, decem canonibus opportunè statuebat *(ib.* 197 *et* 200 *)*.

§ XX. Inter hispana sæculi sexti concilia singulari recordatione dignum est Toletanum anno octogesimo nono actum, quod *tertium* vocari solet: non tantùm quòd in eo Gothorum ex arianâ hæresi conversio celebrata est, ut alibi dicitur, sed etiam episcoporum frequentia (erant enim sexaginta duo, et aliorum quinque legati), et viginti trium canonum utilitate. 1 Serventur accuratè conciliorum omnium constituta, et synodicæ sanctorum Præsulum romanorum epistolæ. 2 In omnibus ecclesiis symbolum Constantinopolitanum in Missâ recitetur, et à populo voce clarâ cantetur; ut ad Christi corpus et sanguinem libandum pectora populorum fide epurificata accedant. 4 Potest episcopus unam ex suis ecclesiis monasterium dicare, et monachis, qui in eâ vivant, aliquid de bonis ecclesiæ, si hæc detrimentum non

patiatur, donare. 7 In mensâ episcoporum legantur scripturæ Divinæ. 21 Concilium à Regis pietate poposcit, ut servi ecclesiarum et clericorum in publicis aut privatis negotiis à iudicibus vel actoribus publicis non occupentur. 22 Christianorum corpora non nisi psalmorum cantu ad sepulcra deferantur. Hoc sufficit christianis, qui spem resurrectionis habent. Funebre carmen vulgò usitatum, et se, proximos vel familias cædere, omninò prohibetur. 23 Exterminanda omninò est irreligiosa consuetudo qua populi sanctorum solemnitates saltationibus, et turpibus etiam canticis agunt, quibus non solùm sibi nocent, sed fidelium officiis strepitibus obstant. Hoc ut ab omni Hispaniâ depellatur, episcoporum et iudicum curæ à concilio committitur. Tandem etiam in conciliis Hispalensi anno nonagesimo, Cæsaraugustano nonagesimo secundo, Toletano anno nonagesimo septimo, Oscensi anno sequenti, et Barcinonensi anno nonagesimo nono opportunissima decreta, seu canones edebantur *(ib. n. 204 ad 209)*.

§ XXI. Generatim in omnibus sæculi sexti conciliis de ecclesiasticorum electione, ordinatione, officio et moribus, de sacris omnibus, nempè de sacramentis, et cæteris actibus Divini cultûs, de bonis Ecclesiæ, eiusque privilegiis seu immunitatibus, et de aliis ad disciplinam Ecclesiæ pertinentibus, prout abusuum emendatio, aut alia iusta causa exigebat, multa sanciebantur. Frequentissimum quoque erat eandem legem ob inobservantiam in diversis conciliis sæpiùs iterari, ut ea quæ clericos cum extraneis mulieribus habitare prohibet, et aliæ ad mores pertinentes. Nulli autem concilio propositum est totius disciplinæ corpus efformare, sed præsentibus tantùm necessitatibus providere. At plures sapientes viri ad usum ecclesiarum, aut clericorum faciliorem instructionem, canones conciliorum in unum corpus collegerunt, quibus collectionibus novorum conciliorum canones successivè adderentur. Sic in concilio Chalcedonensi canones 4 et 5 Antiocheni leguntur, ut 83 et 84 ex libro inscripto *Regulæ* seu *Canones sanctorum Patrum*. Etiam in Occidente variæ canonum collec-

tiones latinè ætate secundâ factæ sunt, quarum celebrior est quam Dionysius Exiguus, canones græcos denuò latinè reddens, effecit. Sanctus Martinus Dumiensis seu Bracarensis selectum 84 canonum corpus effecit, quorum octo et sexaginta priores ad clerum pertinent, et posteriores ad laicos. At de canonum collectionibus ætate tertiâ sermo redibit *(ib. n. 210)*.

CAPUT XI.

De scriptoribus ecclesiasticis ætatis secundæ.

Sapientissimis scriptoribus Ecclesia abundavit 1. *Sæculo quarto præcipuè floruere Eusebius Cæsariensis* 2 : *Hilarius Pictaviensis : Athanasius* 3 : *Basilius magnus* 4 : *Cyrillus Ierosolymitanus : Patianus* 5 : *Gregorius Nazianzenus* 6 : *Ambrosius* 7. *Ephræm et Gregorius Nissenus* 8. *Sæculo quinto Prudentius : Epiphanius* 9 : *Ioannes Chrysostomus, et concionibus* 10, *et præclarè gestis* 11, *et laboribus* 12, *in quibus à romano Pontifice erigebatur* 13, *scriptis denique celeberrimus* 14. *Hieronymus* 15 : *Paulinus Nolanus* 16 : *Augustinus à conversione suâ mirabilis* 17, *episcoporum in omnibus exemplar* 18 : *facta quædam notabilia : Piniani : Cæsareæ* 19 : *Fusalæ, et designatio successoris : Vandalorum irruptio* 20. *Excellentia scriptorum Augustini* 21. *Cassianus : Cyrillus Alexandrinus* 22 : *Vincentius Lerinensis : Orosius* 23. *Theodoretus Cyrensis, et Prosper Aquitanus* 24. *Atque sæculo sexto Boëtius : Fulgentius* 25 : *Cæsarius Arelatensis : Cassiodorus* 26 : *Martinus Dumiensis : Gregorius Turonensis, et Leander* 27.

§ I. Quemadmodum ætate secundâ Ecclesiæ ingens fuit conciliorum generalium et particularium numerus, quæ doctrinam Ecclesiæ illustrabant ac propugnabant, disciplinam formabant et regebant, morum verò emendationi et puritati invigilabant; ita magna erat sapientissimorum hominum vis, qui eosdem hortos indefesso labore colebant et irrigabant, non verbo et exemplo tantùm, sed etiam scriptis suis; quare fidelibus sequentium ætatum copiosissimos, maturosque doctrinæ fructus attulere. Æquum est igitur ut saltem præcipuos illius temporis scriptores memoremus.

§ II. Quo nomine digni abs dubio sunt Constantinus Imperator ob eas orationes et epistolas, quibus christianam fidem propagari satagebat; et Commodianus, qui apud gentiles sapientiæ famâ notus, cùm christianæ fidei nomen dedisset, octoginta sermonibus contra idololatriæ vanitatem, et pro christianâ fide multa et piè disserebat. Iuvencus poëta hispanus, circa annum sæculi quarti trigesimum, Evangelii historiam seu Christi vitam versibus hexametris cantabat. Celeberrimi Eusebii Cæsariensis episcopi, præter libros *de Præparatione* et *Demonstratione Evangelii,* quos capite quinto memoravimus, extant etiam *Chronicon,* seu universæ historiæ tabulæ, *Vita Constantini;* et ut cætera prætercam, *Ecclesiasticæ historiæ* libri, omnium antiquissimi et summo pretio habendi. *(Lib. VII. n. 211 et 212).*

§ III. Hilarius ex nobilissimâ Galliæ familiâ, gentilis philosophus, eloquentiâ celebris, iam matrimonio coniunctus et filiam habens, veram hominis felicitatem in hac vitâ haberi non posse, atque bonis moribus à Deo summè bono æternam felicitatem concedendam sibi persuadens, lectis Evangeliis aliisque sacris Libris, Deo dante, christianam fidem amplexus est. Postea Pictaviensis episcopus electus, contra arianam hæresim magno zelo laborans, in exilium missus, in Oriente et Italiâ sicut in Galliâ fidem catholicam verbo et scriptis strenuè propugnavit. Ex eius scriptis *Tractatus de Synodis,* libri *De Trinitate,* et *contra Auxentium, Fragmenta* et

alia contra arianos, tum etiam *Commentaria psalmorum*, et quædam alia supersunt. Magnus Athanasius, quamquam perpetuo bello cum arianis præpeditus, contra gentiles etiam et Apollinarem libros edidit, variæ sacræ Scripturæ commentaria, et plures magni ponderis epistolas, inter quas illa ad Dacrontium monachum singulari memoriâ dignâ est, qui summo omnium plausu Hermopolis episcopus electus et ordinatus, muneris episcopalis onera timens, et solitudinis amore abreptus, statim episcopatui renuntians, in eremo se se absconderat. Athanasius non ex verâ pietate suam renuntiationem nasci, imò verò ad ecclesiam suam ob Dei timorem statim regredi debere, peramanter ac vividè illi exponit. Cum Athanasio, et paulò post eius mortem, plures episcopi, abbates, aliique celebrium ecclesiasticorum librorum auctores florescebant *(ib. n. 213 ad 217)*.

§ IV. Eminebat sanctus Basilius, qui tum scientiâ tum sanctitate multùm à iuventute profecerat. In ecclesiâ Cæsariensi cùm presbyter esset, pro fide catholicâ, et pro sanctis fidelium moribus magno cum fructu laborabat; maiori tamen postquam ipsius episcopus electus fuit. Basilii electionem Gregorius Thaumaturgus ardenter promovit, non modò variis ad hoc scriptis epistolis, sed etiam Cæsaream, etsi senex et infirmus, se se transferendo; quoniam ut eligeretur Basilius unum suffragium defuturum præviderat. Postea grassantes in orientali ecclesiâ propter arianos discordias Basilius considerans, ad romanum Pontificem fidenter et demissè confugiebat, enixè orans ut orientali ecclesiæ pacem restitueret. Ipse verò cum macedonianis, pacis amore, tantâ benignitate et mirandâ indulgentiâ agebat, ut eos ad Ecclesiæ communionem admitteret, dummodò fidei Nicæensi subscriberent, et Spiritum Sanctum creaturam non esse faterentur, quamvis ipsum expressè fateri Deum repugnarent. Ecclesias Armeniæ sanctè visitat: Cappadociæ in duas ecclesiasticas provincias divisionem impedire frustrà satagit: à variis calumniis se se plenè vindicat: clerum suum ad perfectam sanctitatem instruit et hortatur: magnum egenis infirmis nosocomium erigit: novam

ecclesiam ædificat; et tum malis Ecclesiæ, tum etiam corporis ægritudine afflictam nimis sanctissimamque vitam finivit summâ veneratione à fidelibus habitus. Plura sunt et maximi pretii eius scripta, præcipuè Homiliæ super *Hexameron*, libri *Contra Eunomium*, *Ascetici*, *Morales* et *de Spiritu Sancto*, atque epistola *Ad sanctum Amphilochium*, quæ celeberrimos continet canones de baptismo hæreticorum, de pœnitentiâ reorum homicidii, adulterii, et aliorum delictorum, et etiam circa varios disciplinæ ecclesiasticæ articulos, in quibus de censuris quoque et de communione præclara sanxit. Basilium proponit Photius ut perfecti oratoris exemplar et formam; atque in ipsius scriptis copiosam veritatum fidei, et morum Ecclesiæ notitiam theologi inveniunt. Unicum exemplum proferam: « Singulis diebus communicare, ait « Basilius, seu participem esse sancti corporis et sangui« nis Christi, bonum est et perutile... Nos quidem quater « in hebdomadâ communicamus, die dominicâ et quartâ, « in parasceve et sabbato; et aliis diebus, si sancti alicu« ius memoria recolatur ». Deinde animadvertit persecutionis tempore licere fidelibus, absente sacerdote et diacono, communionem suis ipsis manibus sumere, quoniam id diuturna consuetudo, præcipuè inter monachos et in Ægypto confirmat *(ib. n.* 218 *ad* 235*)*.

§ V. Sancti Cyrilli Ierosolymitani decem et octo supersunt *Catecheses;* in quibus symbolum catechumenis explicatur, et aliæ quinque, quas *Mystagogicas* vocat, seu introductionem ad mysteria, quæque magni pretii depositum continent doctrinæ christianæ circa baptismum, confirmationem, et Eucharistiam. Timothei Alexandrini etiam nunc extat epistola canonica in qua de decem et octo morum quæstionibus decernit. Extant etiam scripta quædam sancti Patiani Barcinonensis episcopi, quæ tametsi brevia ingentis tamen ponderis sunt; nempè *Tres epistolæ contra novatianos*, efficacissima *Parænesis ad pœnitentiam*, et tractatus *De baptismo:* quæ opera ad hispanum sermonem accuratissimè reddita, et aptis illustrationibus iam publicata hispanos, plus quàm noscunt, noscere par est. Sæculo quarto exeunte

Ecclesiam quoque scriptis illustrabant sanctus Amphilochius, sanctus Phæbadius, Dydimus cæcus, Evagrius monachus, Dexter; et ut alios prætercam, Diadocus auctor singularis tractatûs, lectu dignissimi, quem *De perfectione spirituali* inscripsit, eius fundamenta in tribus virtutibus theologicis, et præcipuè in charitate collocans. Etiam tunc floruere Gregorius Nazianzenus, Ambrosius, Ephræm, et Gregorius Nissenus, quorum memoria nunquam in Ecclesiâ delebitur, et de quibus nonnulla dicenda sunt *(ib. n.* 236 *ad* 253 *).*

§ VI. Ex sanctissimâ familiâ Gregorii, qui philosophus gentilis, Nonnâ eius uxore iam christianâ suadente, fidem amplexus est, et baptizatus, et deinde Nazianzi episcopus electus, natus erat sanctus Gregorius Nazianzenus cognomento *Theologus.* Insigni castitate, morum austeritate, et summâ humilitate conspicuus, primùm à patre suo presbyter, et deinde à sancto Basilio, in studio scientiarum et pietatis amicissimo socio, episcopus ferè invitus ordinatur, et annoso patri suo in ecclesiâ Nazianzi auxiliatur. Pro ecclesiâ Constantinopolitanâ multùm etiam laborat, ut antea diximus: posteà ruri ad mortem usque austerissimè vivit, et præclarissimas *Orationes, Epistolas, Poëmata* quoque in lucem edit. In omnibus Gregorii scriptis fidei dogmata, et purissimæ circa mores sententiæ passim occurrunt; et auctoris in rerum inventione sublime ingenium, gravis sentiendi vis, elegans in dicendo facundia, et vastissima selectissimaque rerum Divinarum humanarumque notitia ubique elucent *(ib. n.* 254 *ad* 260 *).*

§ VII. Dum Ambrosius adhuc catechumenus Mediolanensem civitatem Imperatoris nomine gubernat, et arianis et catholicis de electione episcopi acriter contendentibus tranquillitatem publicam pro munere seriò commendat, vox pueri auditur clamantis *Ambrosius episcopus,* et protinùs omnium non modò unanimi consensu, sed efficacissimis instantiis, etsi reluctans, episcopus eligitur. Et quamquam leges Ecclesiæ de non ordinandis neophytis allegat, ut saltem eius ordinatio differatur; nihilominùs populo instante, et episcopis utilissimam

imò necessariam dispensationem iudicantibus, statim baptizatur, et octo sequentibus diebus ad episcopatum usque promovetur, unum quotidie gradum ascendens, et eius officium exercens. Inter Ecclesiæ ministros et doctores scientiâ et virtute protinùs eminet. Verbo et scripto virginitatem et continentiam commendat, easque professos exhortatur, ut Angelorum custodum et Martyrum, qui actionum nostrarum inspectores sunt, patrocinium orationibus implorent. Magnâ charitate eos recipit, qui è suis domibus barbarorum metu emigrabant : prudenter tamen episcopos monebat, ut sibi et gregibus suis, ab iis qui ab Illyrico veniebant, ubi ariani diu dominati fuerant, diligenter caverent. Fratris sui sancti Satyri funebrem orationem prædicat. Episcopum catholicum in ecclesiâ Sirmiensi, etsi alterius provinciæ, et arianis validè repugnantibus, fortissimè operans instituit. Ad Maximum imperii usurpatorem bis legatus mittitur ; et tunc, et in aliis pluribus gestis notabile prudentiæ specimen dabat ; tum benignitate qua cum reis, tum firmitate qua cum ipso Maximo, cum Theodosio, cum Eugenio, aliisque viris potentibus pro iustitiâ agebat. Et ex eius vitâ, quam Paulinus, omnium quæ refert oculatus aut ex oculatis auritus testis, scripsit, apertè constat quòd Ambrosio morienti plura miracula, eximiæ virtutes, et masculæ eloquentiæ scripta plurima nomen cum laude æternum facilè augurabantur. Plures adhuc extant eius tractatus et libri, in quibus vel sacram Scripturam exponit, vel *de Officiis, de Ministris Ecclesiæ, de Virginibus, de Viduis*, etc. *de Mysteriis, de Spiritu Sancto, de Fide,* cæt. disserit ; plures quoque *Epistolæ* et aliquot *Hymni*. In omnibus Ambrosii operibus stilus materiæ de qua agitur accommodatissimus est, verbis concisus, et sententiis copiosus, in exponendis non solùm veritatibus fidei quæ theoricem spectant, verùm etiam morum doctrinis : in cuius exemplum saltem expositio psalmi 118 legatur oportet *(ib. n.* 261 *ad* 272 *)*.

§ VIII. Sancti Ephræmi monachi ducenta opuscula habemus, quæ de moribus formandis agunt. Et quamquam syriacè scripta fuerint, in latinis tamen et græcis

versionibus tanta superest sententiarum vis et efficacia, ut rarissimum sancti monachi in dicendo nervum fuisse facilè colligamus. Hæc opuscula ad inspirandum amorem pœnitentiæ, copiam lacrymarum de peccatis commissis, et compunctionem cordis opportunissima sunt. Tandem Gregorius Nissenus magni Basilii germanus frater, cum Theosebiâ singularis virtutis feminâ matrimonio iunctus, in clerum postea admittebatur, et presbyter ordinatus docendis eloquentiam iuvenibus incumbebat. Deinde Nissæ episcopus electus, et fidem catholicam contra arianos strenuè propugnans, ab ecclesiâ suâ triennio exulabat. Cùm morti sororis suæ sanctæ Macrinæ monachæ casu adfuerit, illius exequias disposuit, ob immensum gentium è vicinis populis concursum celeberrimas. Deinde visitat ecclesias Arabiæ, et sancta loca Ierusalem : quam peregrinationem eos aggredi non probat, qui mundo renuntiaverint. Scriptorum Gregorii ingens adhuc numerus superest pro fide contra hæreticos, iudæos ac gentiles, in Scripturam sacram, et præcipuè ad christianos mores formandos. Item *Orationes panegyricæ* Sanctorum, et *funebres* recens mortuorum etc: in quibus absoluta christianæ eloquentiæ exemplaria et vastissimæ ac solidæ eruditionis Gregorii argumenta notissima habemus. Eius stilus ubique purè ac placidè fluit, et momentis gravibus, pulchrisque imaginibus abundans, mirificè delectat ac vincit. Et hæc de scriptoribus ecclesiasticis sæculi quarti *(ib. n.* 273 *ad* 277 *).*

§ IX. Ab initio quinti magna erat hispani fama Prudentii, insignis theologi atque poëtæ, in cuius operibus plurimæ memorantur prioribus sæculis in Ecclesiâ vigentes consuetudines : unde antiquissimæ et laudabiles facilè demonstrantur aliquæ ex iis quæ vel ab ignorantiâ, vel ab innovandi pruritu, quasi superstitiosæ, et recens in Ecclesiam inductæ calumniari solent : ut ritus et mores Ecclesiæ circa lumina diurno tempore, altaria, templorum ornatum, reliquiarum et imaginum Sanctorum cultum etc. Etiam S. Ephiphanius in suis scriptis de antiquis Ecclesiæ moribus, et disciplinâ multa loquitur : ut de virginitate præferendâ matrimonio, de cleri continentiâ, de ieiunio

quadragesimali ante Pascha, et aliis, de memoriâ defunctorum sacrificii tempore, de abstinentiâ à carnibus et lactantiis etc. Cùm in quodam Palæstinæ monasterio esset, Pauliniano monacho, sancti Hieronymi fratri, qui ordinari strenuè renuebat, coacto ut ipsum audiret, tandem persuasit Dei voluntatem esse eum ordinari; atque ad sacerdotium eum evexit. Et cùm episcopus Ierosolymitanus, cui Paulinianus subditus erat, de hac ordinatione in alienâ diœcesi et personæ alteri subditæ ab Epiphanio facta conquereretur, iste rationibus minimè contemnendis eam excusabat. Imaginem in velo ianuam ecclesiæ operiente depictam se removisse refert; quod pluribus de causis opportunum iudicare potuit, licèt eo tempore imaginum usum in Ecclesiâ iam non esse rarum dubitari nequeat. Præter tractatus *De Trinitate* et *De hæresibus*, quos inscripsit *Anchoratum* et *Panarium*, alia eius opera supersunt; ex quibus cum magnâ eruditione summam in illo fuisse animi simplicitatem, piamque credulitatem apparet *(ib. n.* 278 *ad* 283*).*

§ X. Ad Ioannem Chrysostomum pervenimus, de quo paulò ampliùs agendum est. Ioannes postquam pluribus annis in eremo sanctitatem coluerat, ubi statûs monastici Apologiam quam capite secundo commemoravimus scripsisse videtur, presbyter ordinatus est; magno cum audientium fructu Antiochiæ postea frequens concionator. Una ex prioribus homiliis, quas ad populum Antiochenum habuit, *De anathemate* inscribitur; et in ea contra impotens odium, quo antiocheni in duas partes Flaviani et Paulini distributi, sub specie zeli se mutuò hæresis accusabant, vehementer declamat. Celebres sunt quoque viginti *Homiliæ* quibus, dum Flavianus ad clementiam Theodosii de Antiochenâ commotione indignati implorandam Constantinopolim profectus fuerat, antiochenum populum consolari, et à vitiis publicis, præcipuè ab impiâ periurandi et blasphemandi consuetudine deterrere conabatur. Deinde Constantinopolitanus episcopus institutus, illius numerosissimi populi amorem et fidem sibi mox conciliat; et Eutropium ad ecclesiæ asylum confugientem insigni charitate tuetur, contra vim

legis recentis, quam infelix ipse Eutropius edi curaverat, ut asyli privilegia arctarentur. Inde verò nonnulli aulici contra sanctum virum commovebantur. Similiter à zelo quo morum castimoniam tuebatur, plures solutioris vitæ clerici acri odio contra ipsum ardebant. Interea ad populum omnibus ferè diebus sermonem habebat; et notabilis erat publicorum morum successiva emendatio. Sed et gentilium atque hæreticorum, qui eius eloquentiâ allecti ipsum concionantem audire frequentissimè accedebant, plures convertebantur *(ib. n.* 284 *ad* 289 *).*

§ XI. Thraciæ, Asiæ, et Ponti, aliasque benè multas ecclesias Chrysostomus reformat et protegit. Gaynam gothum arianum, factioni suæ ecclesiam ab Imperatore instanter petentem, cohibet, et obmutescere cogit: inde tamen gothorum et arianorum factiones in se concitat. Causam Antonii Ephesiorum episcopi, et sociorum eius, depositione sex episcoporum simoniâ ordinatorum feliciter concludit. Gerontium Nicomediensem, qui medicus erat et populo gratissimus, priùs tamen Mediolanensis diaconus fuerat, et ab officio ob grave crimen ad tempus remotus, nec unquam reconciliatus, deponit; et hinc inimicorum suorum numerus multùm augetur. Præterea intrepido ingratoque Severiano Gabalensi incautus favet. Demum in vanum nititur Chrysostomus querimonias suffocare, quas contra Theophilum Alexandrinum patriarcham monachi, quos *fratres longos* vocabant, intendebant. Incassùm quoque huiusce causæ iudicem esse recusabat, pacis cum Theophilo cupidus. Intrepidus Theophilus, qui electionem Chrysostomi in patriarcham constantinopolitanum frustrà impedire conatus fuerat, eum à sua sede deturbare aggreditur : et quorumdam aulicorum et indocilium clericorum auxilio conciliabulum in Quercu iuxta Chalcedonem nec longè à Constantinopoli anno quadringentesimo congregat, et iudicium Ioannis in se recipiens, causam coram ipso disceptari iubet *(ib. n.* 290 *ad* 299 *).*

§ XII. In ipsâ domo episcopali permanebat Chrysostomus cum quadraginta episcopis Alexandrini audaciam horrentibus, quos Ioannes solari conabatur. Theophilus

eum ad synodum vocat. Ioannes pacato animo respondet nimis adulterinum atque à iure dissentaneum illud esse tribunal, ut ei se sistere debeat: nihilominùs in synodum se protinùs collaturum promittit, dummodò è iudicum numero deleantur ii, quos ipsius esse inimicos apertè constat. Interea Chrysostomus ad populum de more concionabatur, eiusque verba perperàm inimici eius interpretabantur, quasi populum ad seditionem excitaret. Synodus eum ab episcopatu deponit: Imperator ab urbe eiicit, et ad asiaticas Bosphori Thracii ripas ipse transmeat. At proximâ nocte urbs tota magno terræmotu concutitur; et Imperatrix sibi persuadet ob Chrysostomi exilium cœlum irasci: eum mox venire iubet, et eâdem die quasi triumphans inter omnium plausus in urbe recipitur. Tunc Theophilus, cæterique Chrysostomi hostes ab urbe Constantinopoli veloces fugiunt, quamquam sanctus ipse vehementer instaret ut illi permanerent, numerosius concilium celebraturi. Adversa tamen tulit sors, ut paucos post menses in plateâ coram ecclesiâ sanctæ Sophiæ quædam Imperatricis statua magnâ pompâ erigeretur, frequentes verò saltantium et canentium chori, qui hac occasione illic conveniebant, ecclesiastica officia maximè perturbarent. Unde episcopus in concionibus suis solitis aliquoties lamentabatur, festis iis, quæ morum gentilium reliquiæ erant, veri Dei cultum quodammodò impediri; et hæc lamenta seu querimonias ægrè ferebat Imperatrix. Unde Ioannis hostes innovandæ persecutionis occasionem sumpsere; et novo concilio in ipsâ urbe celebrato eum à sede deiiciunt: Imperator verò è domo suâ egredi prohibet. Multa ob pastoris amorem tunc oves fi patiebantur; et cùm ab urbe egredi postea iuberetur, fidelis populus à dilectissimo vigilantissimoque pastore deseri non sustinens, illum etiam vi detinere nitebatur. Eâdem nocte magnum in urbe incendium erupit, cuius prætextu cum amicis Chrysostomi sæviter actum est; nam et ipse clam aufugere potuerat, Bithyniamque navigarat: postea in Cucussum missus; ubi evangelicus operarius copiosam adinveniens segetem, cum gaudio et magno fructu laborabat (*ib. n.* 300 *ad* 310).

§ XIII. Interea nonnulli ex inimicis Chrysostomi malis acerbissimis vexati, inflictas à Deo pœnas luere videbantur; et tam Chrysostomus ipse, quàm eius amici et inimici ad romanum Pontificem, qui tunc erat Innocentius primus, omnes confugiebant, tantæ sedis patrocinium implorantes. Chrysostomus in epistolâ ad romanum Pontificem, post gestorum relationem eum enixè deprecabatur, ut tantis malis promptum remedium adhiberet, et litteras mitteret quibus irrita et nulla declararet quæcumque adversùs ipsum gesta fuerant, eumque in Romanæ sedis communione conservaret. In quocumque autem legitimo tribunali suam causam agere se se paratum esse aiebat. Pontifex, re maturè perpensâ, Chrysostomi partes tenet; et Honorio Imperatori Occidentis concors, ad Arcadium Constantinopoli imperantem legatos mittit. Qui quamvis contempti, et mille iniuriis onerati fuerint, magno tamen solatio tum Chrysostomo fuit, tum eius amicis, quòd pro ipsius causâ romanus Pontifex apertus et efficax apud Imperatorem Orientis intercessor extiterit. Chrysostomi virtutes, et efficax ipsius tam propagandæ fidei, quàm corrigendorum morum sollicitudo, ecclesiasticis provinciis exilii sui loco vicinis mirum quantum profecerint: donec illius famam per totum Orientem inde magis inclarescentem, cùm inimici eius sustinere non possent, eum ad remotiora loca mittunt, et in itinere moritur *(ib. n.* 311 *ad* 317 *)*.

§ XIV. Plurima tanti viri opera supersunt, quorum stilus perspicuus est, sublimis, purus, simplex, fluidus, nativus, atque ab inutili ornatu, quem corruptus gustus invexerat, omninò liber. In omnibus Chrysostomi scriptis eloquentiæ vis et pulchritudo elucent: in libris autem *De Sacerdotio* se ipsum superasse videtur. Singulari quoque plausu atque fructu omni tempore legentur eius *Homiliæ* super psalmos, Mathæum, Ioannem, et epistolam ad Romanos; diffusior *Ad Theodorum exhortatio*, et tractatus alii benè multi *(ib. n.* 518 *)*.

§ XV. Theophilus Alexandrinus, gestis contra Chrysostomum nimis notus, eloquens erat, efficax, et intrepidus. Epistolas paschales scripsit, errores Origeni tri-

butos impugnavit, quosdam monachos furibundus insectatus est, et dubia quædam in Ægipto excitata sedis suæ auctoritate dissolvit. Gestorum contra Chrysostomum, Theophilum ante mortem pœnituisse videtur. Certum autem est in Ecclesiæ communione mortuum fuisse, cumque ab Ephesino concilio inter illustres Ecclesiæ magistros, et à sancto Leone magno inter excellentiores Alexandriæ episcopos numerari. Celebre etiam id temporis erat Hieronymi nomen, qui amicus Ruffini, et Damaso romano Pontifici acceptissimus, postquam præcelsas nobilitate feminas per arctam cœli viam Romæ direxerat, anno trecentesimo octogesimo quinto Palæstinam profectus est, quò etiam S. Paula matrona romana transmigrabat. Hieronymus Ioanni Ierosolymitano patriarchæ, errorum Origenis accusato, bellum hac de causâ mox indicebat. Et paulò post cùm Ruffinus Origenis libros *De principiis* latinè à se versos in lucem edens, Hieronymum assereret Origenis propugnatorem, id ægrè tulit Hieronymus, et novam exactioremque eiusdem operis versionem edidit: unde inter ambos amicos acre bellum cietur, et uterque fervidis scriptis pugnat. Anno quadringentesimo vigesimo Hieronymus moriebatur, multa et magni pretii scripta relinquens: in quibus græca versio sacræ Scripturæ, quæ *Septuaginta* dicitur, emendatur; latinæ utriusque testamenti corriguntur, aut novæ eduntur, plures sacri Libri explicantur, hæreses Vigilantii, Pelagii, et aliæ impugnantur, virorum illustrium christianorum catalogus efformatur, et de vitâ solitariâ, rebusque aliis gravissimis opportunè disseritur. Hieronymi stilus nobilis est, purus, elegans, Augusti sæculo dignus *(ib. n.* 319 *ad* 335 *).*

§ XVI. Circa tempora mortis sancti Hieronymi alii plures ecclesiastici scriptores vitam finiebant, quorum tres tantùm referam, Sinesium, Paulinum Nolanum, et Sulpicium Severum. In Sinesio observanda sunt singularis eius in episcopatum electio, plurium ecclesiarum visitatio, excommunicationis sententia quam in Andronicum tulit; et libri quoque ac epistolæ ipsius quæ supersunt. Sanctus Paulinus Urbis senator et consul, vir

opulentissimus, cum Therasiâ uxore suâ per Hispaniam iter faciens, Barcinone instante populo ferè invitus ordinabatur presbyter: sub eâ tamen conditione ab ipso adhibitâ, quòd nec Barcinonensi nec aliæ ecclesiæ addictus censeretur. In Italiam redux, cæteris bonis immobilibus venditis, et pretio pauperibus distributo, parvam villam prope Nolam conservabat, in qua cum uxore suâ humillimè, pauperrimè et castissimè vivebat. Deinde factus ipsius Nolæ episcopus in sanctificandis fidelibus indefessus ad mortem usque laborabat. Eius extant epistolæ, et quædam poëmata ab Ausonio viro gentili laudata, quorum plura sunt in laudem sancti Felicis Nolani, cuius natalem diem annuo poëmate celebrare solebat. In istis præclarissima antiquorum Ecclesiæ sæculorum monumenta servantur, præcipuè circa cultum sanctorum, lampades et cereos ante eorum sepulcra accensos, ornatûs templorum magnificentiam, cæt. Sanctus Sulpicius Severus varios libros scripsit, sermonis puritate et elegantiâ conspicuos, quibus omnibus *Sacra historia* à creatione mundi ad annum Christi quadringentesimum perducta præstantior haberi solet *(ib. n.* 336 *ad* 343*)*.

§ XVII. Magnum iam tunc erat, et deinceps in toto orbe catholico semper fuit Augustini nomen. Augustinus manichæorum fraudibus seductus in iuventute fuerat. Anno tamen ætatis suæ vigesimo octavo dum Mediolani cum eius matre sanctâ Monicâ degeret, impiæ sectæ errores feliciter cognoscebat, et detestabatur: concionibus publicis et privatâ conversatione cum sancto Ambrosio in fidem christianam alliciebatur. Et anno trecentesimo octogesimo sexto vitâ sancti Antonii Abbatis opportunè cognitâ, sui ipsius in difficillimâ pugnâ victor, mirabili ratione christianam religionem et vitam tandem amplectitur. Ad baptismum se devotissimè parat, illudque à sancto Ambrosio humillimo animo et summâ fide recipit. Moritur deinde eius sancta mater: filius Carthaginem regreditur: singularis portenti oculatus testis est: ad villam solitudinis amore recedit; et ibi triennio orationi, ac Divinæ legis meditationi, aliorumque verbo et scriptis instructioni assiduè vacans permanet, donec Hip-

ponensis presbyter inopinatò eligitur. Aurelio amico suo in Carthaginensem episcopum electo, ut inveteratos et universales abusus tollere valeat, monita suggerit prudentissima. Antiqua etiam et iam ob frequentia scandala intoleranda ecclesiarum convivia, adhuc presbyter, ab Hipponensi ecclesiâ iteratis concionibus aufert *(ib. n.* 544 *ad* 558 *)*.

§ XVIII. Magis in dies eius gloriâ clarente, Hipponensis episcopus renuntiatur : et deinde præclarum semper fuit in omnibus episcoporum exemplar. Ac primò quidem in universo suæ domûs seu familiæ ordine : in qua cum presbyteris, diaconis et subdiaconis suæ ecclesiæ velut in monasterio vivebat, nullum clericum ordinans, qui hanc vitam communem ducere non priùs sponderet. Etiam in bonorum ecclesiæ administratione, quam probatis clericis commendabat, et ab ipsis accuratam rationem exigebat. Multoties donationes prædiorum factas ecclesiæ à parentibus quibus erant filii admittere recusabat : quæ ob modicum suæ domûs seu monasterii sumptum superfluebant, pauperibus alendis aut vestiendis impendebat ; et promptum se se populo suo ostendebat, ad bona omnia immobilia ecclesiæ relinquenda, et solis fidelium oblationibus et eleemosynis, ipsius, clericorum, et monachorum victum ac vestitum comparandum : populus autem nullatenùs id permittere volebat. Augustinus erat quoque episcoporum exemplar in vigilantiâ, et efficaciâ qua ovium suarum bono providebat, plerasque quotidie horas impendens finiendis velut arbiter et pacificus iudex earum litibus aut quæstionibus, iis casibus in adversis solandis, et in arduis dirigendis, imò et protegendis etiam in negotiis temporalibus ; inde tamen semper occasionem sumens in earum bonum spirituale laborandi. In assiduâ quoque et opportunâ Divini verbi prædicatione, in qua mox ut ordinatus fuit presbyter, indefessus sæpè etiam bis in die exercebatur, in vitia publica magnâ charitate et prudentiâ iugiter clamans, et audientium capacitati simplici stilo se se accommodans. Vehementi zelo contra privatarum personarum, præcipuè clericorum, scelera publica, quæ aliis scandalo essent, agebat. At multitudinis vitiis potiùs oratione, mansuetudi-

ne et frequentibus sermonibus charitatis, quàm severis decretis, medendum asserebat *(ib. n.* 359 *ad* 366 *).*

§ XIX. Cum Pinianus, vir piissimus et opulentissimus, Augustinum invisisset, populus Hipponensis nimio ardore Augustino instabat, ut Pinianum, etsi renuentem, illius ecclesiæ presbyterum ordinaret. Ut tumultum iam nimis ferventem Pinianus sedaret, se in eâdem urbe domicilium suum semper habiturum, et si aliquando presbyterum ordinari consentiret, illius ecclesiæ futurum iureiurando spopondit. Huius iuramenti, utpote per vim adhibiti, postea quiete restitutâ nullum esse robur plures asserebant. Sanctus verò Augustinus de eâ re populum suum excusare satagebat, quasi solùm ex summâ Piniani erga pauperes liberalitate, honorum et rerum humanarum contemptu, ac maximâ pietate, inconsulti ac turbidi motus illi nati fuissent: et etiam iuramento Pinianum obligari sustinebat. Dum Cæsaream Mauritaniæ iter faceret Augustinus, pravissimum morem patheticâ oratione eliminavit: nempè antiquum certamen, in quo iuvenes in duas partes quasi hostiles exercitus distributi ita inter se pugnabant, ut semper plures malè vulnerati, et aliqui interfecti essent *(ib.* 367 *et* 368 *).*

§ XX. In extremis Hipponensis diœcesis, quæ amplissima erat, populus quidam magnus erat Fusala nomine, in quo episcopum proprium constituere Augustinus opportunum iudicavit, et cum primate Numidiæ Fusalam pervenit, ut optimus presbyter in episcopum consecraretur. Presbyter autem nullâ ratione adduci potuit, ut episcopale munus susciperet. Unde eius loco Antonium iuvenem monachum Augustinus substituit. Antonius igitur primus Fusalensium episcopus consecratus est; sed tam perversè se gessit, ut non multò post solemni iudicio ab ecclesiæ gubernatione remotus sit. Ipse tamen ad romanum Pontificem confugit, qui eum restitui iussit, si ab eo exposita vera essent. Cùm verò Fusalenses ad romanum Pontificem supplicem libellum dirigerent, ut eam ecclesiam nusquam Antonius regendam reciperet, Augustinus qui hoc dissidio multa mala pertimescebat, Cœlestino Papæ scripsit, de

gestis omnibus ad eum referens, et pro Fusalensibus orans. In hac autem epistolâ magni Parentis humilitas, charitas et prudentia singulariter elucent. Anno quadringentesimo vigesimo sexto magno cleri et populi sui plausu cooperatorem et successorem in episcopatu sibi designavit solemni scripto, quod legi dignissimum est. Denique cum Africam Vandali invaderent, prudentissimas regulas præscripsit, quibus Ecclesiæ ministri in similibus irruptionibus facilè cognoscant, an ipsis emigrare seu fugere è suis ecclesiis et urbibus liceat et expediat. Et anno quadringentesimo trigesimo, dum Hipponensis urbs à Vandalis obsidebatur, in ipsâ mortuus est (*ib. n.* 369 *ad* 379).

§ XXI. Operum sancti Augustini et numerus et extensio et varietas mirabilia sunt; præcipuè si perfectio et utilitas considerentur. In omnibus se se produnt auctoris magnum ingenium, vasta eruditio, nativa eloquentia, prudentia summa, ardens pro Ecclesiâ zelus, constans veritatis amor, germana pietas, sincerum erga omnes homines obsequium, et summa in rebus omnibus animi moderatio. His communibus scriptorum Augustini dotibus accedit in libris contra gentiles et manichæos stili elegantia, profana eruditio, et ratiocinandi vis: in scriptis contra pelagianos et donatistas eorum sophismatibus dissolvendis mira dexteritas, momentorum contra eos adductorum gravissimum pondus, et in litterali sensu sacræ Scripturæ explicando summa perspicuitas: in commentariis eiusdem Scripturæ ad populum directis magna elucet facilitas, qua undique varia documenta haurit fovendæ pietati opportunissima, allegoricis et mysticis sensibus compunctionem cordis et devotionem fidelium animis suavissimâ efficaciâ instillans. Unde facilè colligas in singulis sancti Augustini operibus illud perfectionis genus elucere, quo proximorum saluti utiliora sint (*ib. n.* 380 *ad* 387).

§ XXII. Ioannes Cassianus Massiliensis presbyter, postquam plura Ægypti et alia monasteria visitaverat, *Collationes* et *Institutiones* monasticas scripsit, in quibus plura et gravissima documenta sunt circa orationem,

pœnitentiam, et corporis ac spiritûs puritatem. Sancti Nili præfecti constantinopolitani, et accerrimi Ioannis Chrysostomi vindicis, pii nonnulli tractatus supersunt, et mille et amplius epistolæ, ferè omnes brevissimæ ac concisæ, vividoque stilo conscriptæ: in quibus de reali præsentiâ Iesu-Christi in sacramento altaris, et de utilitate confessionis peccatorum præclarè loquitur. Sanctus Cyrillus Alexandrinus, quem contra Nestorii errores multùm laborasse vidimus, decem libros *Contra Iulianum apostatam*, et alia opera conscripsit iusto pretio habenda, quamquam neque in iis ordinandis magnam curam adhibuerit, neque eos limâ perfecerit. Sancti Cyrilli tempore Alexandrinus populus à turbidis quibusdam monachis commotus, in ipsius urbis procuratorem, et Hippaciam sapientiâ celebrem mulierem immaniter insurrexit (*ib. n.* 388 *ad* 391).

§ XXIII. Vincentii Lerinensis extat præclarum *Commonitorium*: breve quidem volumen, dignissimum tamen quod præ oculis iugiter habeatur, ob regulas opportunissimas, quibus ab omni hæresum et schismatum genere caveamus. Sanctus Isidorus Pelusiota plurima opera scripserat; solùm tamen extant epistolarum circiter duo millia, quæ laconico elegantique stilo scriptæ sunt, et in quibus fidei propagandæ, et contra clericorum vitia clamandi vehemens zelus apparet. Marii Mercatoris quædam opuscula supersunt contra pelagianos, et alia: Socratis et Sozomeni *Historiæ ecclesiasticæ* passim notæ: Pauli Orosii *Historia mundi*: et Petri Chrysologi sermones quidam, et epistola ad Eutychetem (*ib. n.* 392 *ad* 397).

§ XXIV. Theodoretus monachus, Cyri parvæ urbis, vastæ tamen octingentarum ecclesiarum diœcesis episcopus reluctans constituitur. In episcopatu pauperem austeramque monachi vitam agens, ex ecclesiæ redditibus aquæductum, duos pontes, et alia publica magnæ utilitatis ædificia erexit. Hæreticos plures ad fidem catholicam convertit. Et quamquam Nestorii amicitiâ, quam à primâ iuventute in monasterio contraxerat, præoccupatus, quædam inconsultè egerit aut scripserit, ut alibi diximus;

resipiscens tamen à sancto Leone protectus fuit, et in Chalcedonense concilium admissus. Huius celebris viri duæ *Historiæ, ecclesiastica* scilicet et *monastica,* et alia plura opera etiam nunc extant, quæ frequentiùs evolvenda et attentissimè legenda forent. Eius stilus perspicuus est, fluidus, sublimis, vividus, et delectabilis. Photius singulari laude commendat Theodoreti *Commentaria in sacram Scripturam.* In ipsius tamen orationibus *De Providentiâ,* et *Contra paganos* maximè elucet eius sublime ingenium, cogitationum delectus, sententiarum nobilitas, stili puritas et elegantia, atque argumentorum ordo ac vis. Post Theodoretum optimâ famâ claruit sanctus Prosper Aquitanus, qui sancto Leoni Magno à secretis fuit, et laicus fuisse videtur. Plura scripsit contra pelagianos : celeberrimum autem est eius poëma *De Ingratis,* seu *De Gratiâ Christi.* Ipsi quoque tribui solent vulgati duo libri *De Vocatione gentium.* Labente eodem sæculo quinto florebant inter alios Basilius Seleuciæ : sanctus Maximus, cuius extant laude dignæ *Homiliæ :* Salvianus qui in tractatu *De Providentiâ,* aliisque scriptis suis, magnâ vi clamabat, ut omnes ad vitium odio habendum, amandam verò virtutem moveret : Sidonius Apollinaris, inter oratores et poëtas sui temporis meritò celebratus : Victor Vitensis auctor *Persecutionis Vandalicæ,* et alii quamplurimi *(ib. n.* 398 *ad* 401 *).*

§ XXV. Scriptores ecclesiastici sæculi sexti scriptoribus sæculi quinti et numero et merito inferiores sunt : plures tamen accuratè legendi sunt, et saltem nonnullos hìc commemorabimus. Clarissimi Boëtii senatoris et consulis romani plura extant opera non modò philosophica, sed etiam theologica, ut *De duabus naturis, et unicâ personâ in Christo ; De unitate Dei et trinitate Personarum ;* et *Professio fidei accuratissima.* Boëtii scripta inter alia sui temporis puritate stili, idearum sublimitate, et suavitate sermonis eminent. Sanctus Fulgentius ex nobilissimâ carthaginensi familiâ ortus, invitâ matre muliere piissimâ, monachus factus est. Postea verò arianorum persecutione in Africâ paululùm quiescente, plures ecclesiæ eum sibi episcopum elegerunt : ipse verò se ita abs-

condit, ut ecclesiæ eum incassùm quærentes alios eligere coactæ sint. Quando verò sine curâ suo iudicio ad monasterium rediit, Ruspensis ecclesia, in qua episcopus nondum electus fuerat, eum ferè coactum consecrare fecit, et episcopum habuit. Difficillimis temporibus ecclesiam suam sanctissimè rexit; his Sardiniam exul missus est; fidem catholicam non modò contra arianos, ut alibi diximus, sed etiam contra pelagianos, ut verus sancti Augustini discipulus, strenuè defendit, sicut in eius scriptis quæ supersunt facilè conspicimus. Orientii seu Orentii Illiberitani in Hispaniâ episcopi nobis *Poëma* est, præclara documenta continens circa officia hominis erga Deum et proximum. Dionysius Exiguus celebris *Collectionis canonum* auctor, paschalem *cyclum* ad plures annos duxit, et novum absolutiorem efformavit, annos à nativitate Christi numerare incipiens *(ib. n.* 402 *ad* 408 *)*.

§ XXVI. Cæsarius Arelatensis, qui in Galliarum bellis multa patiebatur, plures sermones edidit, et regulam mulieribus vitam monasticam profitentibus utilissimam. Sancti Benedicti occidentalium monachorum parentis regula, ut ut brevis sit, ob præceptorum tamen quæ continet opportunitatem, et præclaram in Ecclesiâ famam auctori præcelsum inter scriptores ecclesiasticos locum procul dubio comparavit. Cassiodorus, qui postquam fuerat Romanus consul, et præcipuus Theodorici in regni gubernatione minister, ad monasterium quod in Calabriâ fundaverat recessit, plures epistolas scripsit tum nomine proprio, tum Regum quibus ministrabat, tum aliorum: atque institutiones aliquas de Scripturis sacris et quosdam alios libros. In omnibus verò scriptis suis maturi iudicii, sapientis politices, et miræ cogitationum fœcunditatis et sublimitatis præclara argumenta reperiantur, necnon constantis in fide catholicâ mentis, quamquam regibus arianis inserviret *(ib. n.* 409 *ad* 413 *)*.

§ XXVII. Prope finem sæculi sexti varia opera à quinque episcopis hispanis scribebantur, quorum tantùm superest *Commentarium* sancti Iusti Urgellensis *super Cantica Canticorum.* Sunt etiam sancti Martini Dumiensis *Collectio canonum orientalium*: sancti Gregorii Turonen-

sis opera varia ad historiám Ecclesiæ pertinentia : Evagrii Epiphanensis *Historia ecclesiastica* : sancti Leandri Hispalensis archiepiscopi *Instructio virginum*, brevis tractatus *De contemptu mundi*, et elegans ad concilium Toletanum tertium *Oratio* : Ioannis Biclarensis, Gerundensis episcopi, brevia ac magni pretii chronica habemus ; et plura etiam alia opera auctorum qui labente sæculo sexto scripserunt. Ab initio autem ipsius sæculi celeberrimi iam erant libri, qui nomen sancti Dionysii Areopagitæ præ se ferunt ; et ad ea tempora symbolum *Quicumque*, quod sancti Athanasii opus non esse videtur, referri potest *(ib. n.* 414 *ad* 417 *)*.

CAPUT XII.

De episcopis qui Ecclesiam sæculo quarto gubernarunt.

Series Romanorum Pontificum 1. *Iulius : Liberius : Damasus* 2 : *Siricius : Anastasius* 3. *Divisio Ecclesiæ geographica : patriarchatus Romanus* 4 *continet Italiam, Hispaniam, Gallias, Africam, et Illyricum* 5. *Alexandrinus, Antiochenus, Ierosolymitanus, et Constantinopolitanus* 6. *Patriarchæ Alexandrini et Antiocheni* 7, *Ierosolymitani et Constantinopolitani* 8 : *alii insignes episcopi ut S. Martinus* 9 *à Deo singulari providentiâ mittuntur* 10, *Ecclesiaque mirabiliter protegitur sæculo quarto* 11.

§ I. Pervenimus tandem ad quartum et ultimum argumentum quod in ætate secundâ Ecclesiæ considerandum proposuimus, nempè episcoporum successionem, et doctrinæ à Christo et Apostolis Ecclesiæ traditæ conserva-

tionem. Sanctus Augustinus nobis integram seriem tradit Pontificum omnium, qui Romanam ecclesiam à pace Constantini ad finem usque sæculi quarti gubernarunt: dum nempè contra donatistas arguens, veram Ecclesiam non apud ipsos, sed apud catholicos ex eo existere probat, quòd vera Ecclesia abs dubio ea sit, quæ à Christo per Apostolos continuatâ serie descendit: id quod donatistæ sibi arrogare nullo modo possunt, catholicis autem omninò convenire sola Romanorum episcoporum successio evidenter demonstrat. Itaque romanorum Pontificum saltem nomina commemoranda sunt *(Lib. VIII. n. 1)*.

§ II. Quando Constantini et Licinii edictum de pace Ecclesiæ edebatur, romanus Pontifex erat Melchiades, cui anno trecentesimo quarto decimo successit sanctus Silvester: huius autem pontificatus viginti duorum annorum fuit. Itaque anno sæculi trigesimo sexto eligebatur sanctus Marcus; et paulò post sanctus Iulius, qui sedibus, quibus ab arianis deturbati fuerant, plures episcopos orientales admirabili zelo restituebat, et in multis aliis pro fide catholicâ contra hæresim strenuè dimicabat. Iulio successit Liberius, cuius labores in persecutione arianorum, et vulgatum ipsius lapsum antea meminimus. Liberii loco, dum exulabat, ariani Felicem virum catholicum ecclesiæ Romanæ præficiebant, invitis tamen catholicorum clero et populo, qui redeuntem Liberium cum plausu recipiebant. Licèt autem Felix legitimus romanus Pontifex non fuerit, hoc tamen non impedit quominùs pro fide catholicâ, quam semper sustinuerat, sanguinem postea fuderit; unde inter martyres iure coli potest. Mortuo Liberio sanctus Damasus natione hispanus, et Romanæ ecclesiæ presbyter, in eius sedem evectus est: cùm autem Ursinus diaconus magnam populi partem commovens à quodam episcopo in Romanum se se consecrare fecisset, magnum inde schisma natum est; illud verò imperatores Gratianus et Valentinianus extinguebant. Damasus contra apollinaristas et arianos multùm laboravit; et etiam in frustrandis Symmachi senatoris et aliorum conatibus, qui decidentem idololatriam reparare, aut sustinere nitebantur. Thessalonicenses episcopos

in Illyrico vicarios suos Damasus constituit : et suæ sedis auctoritate etiam Timotheum Alexandrinum deponebat *(ib. 2 ad 5)*.

§ III. In Damasi locum anno octogesimo quarto eligebatur sanctus Siricius, cuius celebris extat epistola decretalis ad Himerium Tarraconensem, qui romano Pontifici varia dubia proposuerat. Inter alia verò decernit Pontifex, ab arianis baptizatos non esse baptizandos : et pueros, et quibus mortis periculum imminet, subitò baptizandos esse, ne aliquis sine baptismo moriens æterno regno privetur. Monachorum et monialium matrimonia civilibus etiam legibus prohibita supponit, et eos qui contrahere attentaverint, ab ecclesiâ eiici, et in carcerem trudi iubet. In illos vehementer invehitur, qui presbyteros aut diaconos coniugatos cum uxoribus suis more maritali vivere posse contendebant. Inter varios ordines longa interstitia præscribit. Bigamos ordinari non posse, monachos autem posse declarat ; et de pœnitentibus multa agit. Suam epistolam iubet Siricius ab Himerio ad cæteras Hispaniæ, et vicinas provincias mitti. Quædam aliæ Siricii epistolæ supersunt, quarum una ad universos Ecclesiæ episcopos directa, summam in eligendis et ordinandis clericis, ac præcipuè in assumendis ad episcopatum vigilantiam commendat. Siricio post illustrem annorum quatuordecim pontificatum succedebat Anastasius, apostolicæ sollicitudinis vir, qui ferè quadriennio ad annum usque secundum sæculi sequentis Romanam ecclesiam gubernabat mirâ prudentiâ, qua eam à dissidiis, Origenis occasione excitatis, defendebat. Et hì sunt sæculi quarti romani Pontifices *(ib. n. 6 ad 12)*.

§ IV. Antequam verò de episcopis aliarum ecclesiarum verba faciamus, opportunum videtur quamdam veluti tabulam geographicam Ecclesiæ delineare, in qua ipsius in quinque patriarchatus, Romanum, Alexandrinum, Antiochenum, Ierosolymitanum, et Constantinopolitanum, horumque in varias ecclesiasticas provincias divisionem, quæ totâ secundâ ætate maximè obtinuit, attentè consideremus. Non alium præter Romanum in toto Occidente patriarchatum tunc fuisse videtur : ille

autem ad latissimos terminos extendebatur, Italiam, Hispaniam, Gallias, Africam, Illyricum, et etiam Germaniam, et insulas Britannicas comprehendens *(ib. n.* 13 *)*.

§ V. Italia, præter provinciam eiusdem nominis, cuius metropolis erat Mediolanum, totam regionem vicario præfecti Romæ subditam continebat: decem et septem erant illius provinciæ civiles; episcopatus verò ferè ducenti quinquaginta. Hispaniam in citeriorem et ulteriorem primò Romani distribuerunt: deinde Augustus in Tarraconensem, Bæticam et Lusitaniam: tandem verò in quinque provincias divisa diu mansit, cùm ex Tarraconensi tres factæ fuerint, nempè Gallecíæ, Carthaginensis, et ea quæ Tarraconensis nomen retinuit. Hispaniæ episcopatus ad numerum circiter septuaginta duorum pertingebant. Galliæ, quarum in rebus civilibus primò septem, deinde decem et septem erant provinciæ, quod ad Ecclesiam pertinet, ultimam provinciarum civilium partitionem ferè in omnibus tenuere: episcopatus verò erant plùs minùsve centum viginti. In Africâ sex solùm fuerunt ecclesiasticæ provinciæ: sedium verò episcopalium tantus numerus, ut anno quadringentesimo decimo essent minimùm quadringentæ et septuaginta, quas catholici possidebant; et labente eo sæculo tot ferè fuerint episcopi ab Hunnerico in exilium missi. Denique Illyricum plures provincias ecclesiasticas comprehendebat; episcopatus verò centum et decem *(ib. n.* 14 *ad* 17 *)*.

§ VI. Alexandrini patriarchatûs iura ad totum Ægyptum, Lybiam et Pentapolim se extendebant, in quibus centum et viginti episcopatus fuisse videntur. Provinciæ patriarchatûs Antiocheni erant vel minimùm duodecim, quarum una fuit insula Cypri: episcopatus verò centum et quadraginta plùs aut minùs. In Ierosolymitano provinciæ erant tantùm tres, et episcopatus quadraginta quinque. Tandem patriarchatus Constantinopolis magnum provinciarum numerum in Thraciâ, Ponto et Asiâ comprehendebat, et ferè quadringentas urbes episcopales. Et hæc tunc temporis erat orbis christiani divisio, quæ non semper omninò eadem permansisse putanda est, sed frequentes variationes patiebatur *(ib. n.* 18 *ad* 21 *)*.

§ VII. Alexandrinam ecclesiam et patriarchatum sæculi quarti initio gubernabat sanctus Petrus primus, cuius epistolæ canonicæ meminimus: postea sanctus Aquilas, qui celebrem alexandrinam scholam direxerat; tum sanctus Alexander, cuius tempore *arianismi* monstrum in eâ urbe natum est; nec sanctus episcopus illud in cunabulis suffocare potuit. Alexandro post Nicæense concilium magnus Athanasius succedebat, cuius sæpè memoriam fecimus; et illi post quadraginta sex annorum pontificatum sanctus Petrus secundus: qui ab arianis multùm vexatus Romam confugerat; et litteris sancti Damasi munitus Alexandriam regressus, et episcopo quem ariani intruserant remoto, suæ sedi restitutus est. Post Petrum electus fuit eius frater Timotheus; post cuius mortem anno sæculi octogesimo quinto eruditus ac intrepidus Theophilus in eum patriarchatum evectus est: unde Chrysostomum tanto odio insectabatur, ut antea diximus. Antiochenam ecclesiam, postquam sanctum Eustacium ariani in exilium miserunt, episcopi huius factionis passim regebant: duo verò sancti presbyteri, Diodorus et Flavianus, catholicam fidem in magnâ populi parte conservabant. Anno sexagesimo primo ariani ipsi sanctum Meletium in sede Antiochiæ collocabant; sed mox in exilium mittebant. Et tunc inter eos catholicos, qui Meletio adhærebant, et alios qui illum utpote ab arianis electum tamquam pastorem venerari noluerant, antiochenum schisma famosum erupit. In quo fideles catholici, in duas partes divisi, nempè *eustacianorum,* quorum postea Paulinus episcopus fuit, et *meletianorum,* quibus Flavianus post sanctum Meletium præfuit, mutuò se se hæresis iniustè accusabant, quod sanctum Chrysostomum vehementer increpasse diximus: neque hoc schisma extingui potuit usque ad annum sequentis sæculi quintum decimum sub episcopo Alexandro *(ib. n.* 22 *ad* 29 *).*

§ VIII. Ierosolymitanam ecclesiam feliciter gubernarunt sanctus Macarius, cuius tempore inventio crucis Christi evenit, et sanctus Maximus unus ex iis innumeris fidei confessoribus, quibus in persecutione Maximini al-

ter oculus effossus, et unius poplitis quidam nervi rupti sunt. Maximum in synodo Tyri de fraudibus arianorum monebat sanctus Paphnutius Thebaidis episcopus, et in confessione ac tormentis socius. Et inde Ierosolymitana ecclesia pro sancto Athanasio constans perseveravit. Circa dimidium sæculi Maximo succedebat sanctus Cyrillus, cuius *Catecheses* meminimus; et cuius pontificatûs initio crux in cœlo multis diebus apparebat, unde pagani et iudæi plurimi ad fidem Christi crucifixi convertebantur; et alia quoque post ea miracula contigerunt, quibus templi ædificatio impedita est, ut antea diximus. Magnus Ierosolymitanæ ecclesiæ honor ex Nicæensi concilio, metropolitæ, nempè Cæsariensis episcopi iuribus non derogabat: et inde dum Acacius, qui arianus erat, hanc metropolim regebat, exilium aliosque labores Cyrillus Ierosolymitanus sustinere coactus est: sensim tamen auctoritas Ierosolymitani episcopi augebatur. Ioannes Cyrilli successor errorum Origenis fuit sæpiùs accusatus; at ab omni erroris suspicione se se postea purgasse videtur. Quando è parvâ Bizantio magna Constantinopolis facta est, eam ecclesiam gubernabat sanctus Alexander, qui exquisito miraculo gentilium quorumdam philosophorum ore ruborem suffudit, et in suam communionem Arium recipere constantiâ mirabili recusavit. Virtutum et doctrinæ tanti viri splendore integra mansit fides in populo constantinopolitano, quousque anno sæculi quadragesimo moriebatur. Exinde ariana pestis per eam urbem latè grassabatur annis circiter quadraginta. Postea circa octogesimum sæculi Gregorius Nazianzenus brevi tempore multùm in evellendis zizaniis ab agro illius ecclesiæ, et magno cum fructu laborabat. Gregorio succedebat Nectarius, magnæ virtutis et prudentiæ vir, cuius tamen electio, quoniam adhuc catechumenus erat, ut romani Pontificis auctoritate firmaretur magnus Theodosius solemni legatione missâ rogavit, et consecutus est. A Nectario extinctum fertur officium expiatoris seu *pœnitentiarii* in ecclesiâ constantinopolitanâ, et data cuilibet fideli libertas suum spiritualem medicum sibi inter probatos presbyteros eligendi, ut, ei peccatis confessione apertis, eius

consilio aut iussu ad sacram communionem accederet, vel ab eâ abstineret. Demum Nectario circa finem sæculi succedebat sanctus Ioannes Chrysostomus, de quo antea locuti sumus *(ib. n.* 30 *ad* 35 *)*.

§ IX. Etiam in ecclesiis non patriarchalibus magnus fuit sæculo quarto insignium episcoporum numerus; paucos ex illustrioribus nominemus. In Italiâ celeberrimus fuit sanctus Ambrosius cum magno illustrium sanctitate et doctrinâ discipulorum choro. Hispaniam maximè illustrarunt primò magnus Ossius, deinde Gregorius Illiberitanus, Himerius Tarraconensis, et Barcinonenses duo, Prætextatus et insignis sanctus Patianus: Gallias autem sanctus Hilarius Pictaviensis, et sanctus Martinus Turonensis, de cuius mirabili vitâ aliquid indicare lubet. Martinus post plures annos in militiâ cum magnâ morum puritate transactos, rude donatus, in monasterium se se recepit, et statim non virtutibus modò, sed miraculis etiam clarus fuit. Anno sæculi septuagesimo primo, sub prætextu visitandæ et consolandæ morientis mulieris, è monasterio avulsus, captus est, et Turonem ductus, ubi vix non coactus, populo et clero fervidè instantibus, episcopus institutus est. Vitam semper pauperrimam duxit: et in oratione assiduus, in fidelibus hortandis et instruendis indefessus, mirum quantum gentilium et hæreticorum numerum ad fidem catholicam, peccatorum verò ad pœnitentiam duxerit. Omnigenæ superstitionis, et idolici moris infensus inimicus, cùm reliquias in ecclesiâ seu oratorio prope Turonem ut martyris veneratas sedulò examinaret, et cœlesti visione à Deo moneretur eas non martyris sed cuiusdam esse latronis, statim removeri, et altare dirui iussit. Eius zelum in excidendis lucis diis gentium dicatis, cæterisque idololatriæ memoriis delendis, Deus miraculis etiam approbavit. Ab imperatoribus Valentiniano et Maximo fuit summo honore habitus, quamvis eos singulari libertate adiret, et alloqueretur. Demum virtutibus et annis onustus finiente sæculo obibat *(ib. n.* 36 *ad* 40 *)*.

§ X. In Africanâ ecclesiâ toto sæculo quarto à donatistis validè agitatâ, plures episcopi in fide et unitate

Ecclesiæ sustinendis et in populis gubernandis, fortitudine, prudentiâ, scientiâ et zelo præstantes fuere, quorum vel unum memorasse sufficiat Augustinum, qui labente hoc sæculo doctrinæ suæ radiis totum orbem illustrare incipiebat. In Nicæensi concilio plures ex variis regionibus insignium virtutum aut scientiæ famâ conspicui aderant, quorum Spiridionem proferre satis sit, Tremithuntis in Cypro episcopum. Spiridion, postquam consecratus fuit, anteriorem vivendi rationem omninò servabat, pastoris ovium officium ut antea exercens; atque cum tam humili et simplici vitâ totam episcopalis dignitatis gravitatem et auctoritatem decorè conservabat. Ita cùm in concilio suæ provinciæ quidam episcopus illud Evangelii adducens *Tolle grabatum tuum*, voci *grabatum, krabatos* græcè, aliam politiorem substituisset: *An ne*, inquit severè Spiridion, *sapientiorem vel meliorem te existimas illo qui krabatos dixit, ut te illius vocis pudeat?* Pari modo in omnibus christianis provinciis et sub simplicissimo habitu plures erant sæculo quarto magnæ virtutis episcopi, quales inimicorum Ecclesiæ multitudo et audacia, et statuendæ post pacem cum Imperio ecclesiasticæ politiæ seu disciplinæ necessitas tunc exigebat: in quo sicut in Imperatorum serie, beneficentissima Dei in Ecclesiam providentia facilè deprehenditur (*ib. n.* 41 *ad* 44).

§ XI. Profectò quicumque, ut capite decimo primæ ætatis dicebamus, Ecclesiam post annos decem persecutionis ultimæ, Imperatorum edictis indictæ, post eius sacra ædificia solo æquata, Libros sanctos ad flammas, et christianos ad tormenta et mortem inquisitos, non modò subsistentem, sed amplificatam, et Imperatoris ipsius Constantini conversione honestatam consideret, eam à Deo fundatam, et Dei omnipotentiæ innixam clarè conspiciet. At eius veritatis novum argumentum in imperio Iuliani apostatæ occurrit. Etenim Dominus qui Ecclesiam suam laboribus exercendam, non tamen deserendam præsignificavit, eamque imperante Constantio ab arianis dirissimè vexari permisit; Iuliano ipso, qui religionem christianam funditùs destruere constituerat,

ad iacturam quam ab arianis passa fuerat reparandam instrumento usus est. Nam dum Iulianus, ut iurgiis inter diversas sectas seu factiones Ecclesia contabescat et corruat, omnibus libertatem ad suas ecclesias revertendi et pro arbitrio se se congregandi concedit: catholici episcopi ab exilio revertentes, maiori quàm antea veneratione à populis audiuntur, et in conciliis passim congregati, summâ benignitate ab hæresis abysso extrahunt magnum eorum numerum, quos exilii metus aut falsa prudentia in arianorum errores demerserant. Unde istorum factio multùm decrescit; catholici autem se reficiunt, ut novo futuro Valentis bello fortiter pro fide pugnent. Demum Theodosius magnus labente sæculo à Deo missus est, qui magno zelo et prudentiâ catholicam fidem contra impietatem ac hæreses protexit. Ita Ecclesia sæculo quarto inter magnos labores multùm provinciarum extensione et fidelium numero proficiebat; et ad finem sæculi in templis, et ministris suis, atque in omnibus Divini cultûs actibus splendidissima et de paganitate ac hæresibus triumphans mundo apparebat (*ib n.* 45 *ad* 51).

CAPUT XIII.

De episcopis sæculi quinti.

Romani Pontifices : Innocentius primus 1. *Zosimus : causa Appiarii* 2 : *Bonifacius : Cœlestinus : Sixtus* 3 : *Leo Magnus* 4 : *de canone ultimo Chalcedonensi* 5 : *Decretalis adversùs S. Hilarium Arelatensem* 6 : *Hilarus : Simplicius : Felix* 7 : *de Acacio* è dipticis *sive recensionibus delendo* 8. *Gelasius* 9 : *Anastasius : Symmachus* 10. *Patriarchæ Alexandrini et Antiocheni* 11 : *Ierosolymitani et Constantinopolitani* 12. *Romani*

Imperii finis, et de fine mundi opinio 13. *Status Ecclesiæ in Italiâ, Hispaniâ, Galliâ et Africâ* 14. *Ecclesiam Deus semper protegit ac tuetur* 15.

§ I. ROMANORUM Pontificum sæculi quinti series ab illustri sancto Innocentio initium sumit. Innocentius, sicut Damasus, Siricius et Anastasius, Thessalonicensi episcopo vices suas gerendi in Illyrico potestatem fecit: ut nempè ecclesiarum omnium, quæ in illius regionis provinciis erant, romani Pontificis nomine curam gereret, causasque diiudicaret; ita tamen ut metropolitarum iura intacta manerent, graviores causas Romam mitteret decidendas, et in negotiis ecclesiasticis quæ ipse expediturus esset, aliquos episcopos fideles et prudentes in consiliarios sibi assumeret. Celebres sunt huius sancti Pontificis epistolæ *Decretales* ad Victricium Rothomagensem, ad Exuperium Tolosanum, ad Hispaniæ episcopos, ad Decentium Eugubinum, et ad Felicem Noceritanum. In iis multa à Siricio ad Himerium decreta inculcat. Ad Victricium scribens, iubet episcopum nec ab unico episcopo, nec sine metropolitæ consensu ordinari; et ecclesiasticorum causas in episcoporum provinciæ concilio iudicari, salvâ romani Pontificis auctoritate, ad quam post episcopale iudicium de gravioribus causis referendum est. Alienæ provinciæ episcopis nulla causa deferatur. Nullus episcopus clericum alterius ordinet, nec ab alio excommunicatum in communionem recipiat. Qui civilibus seu curialibus oneribus subiacet, clericus non ordinetur. Ad Exuperium, iis qui post baptismum incontinentiæ dediti vixere, et in horâ mortis pœnitentiam et communionem postulant, ait antiquitùs solam pœnitentiam concessam fuisse: post pacem verò Ecclesiæ etiam cum pœnitentiâ moribundis communionem dandam ut viaticum. Declarat quoque vivente coniuge irritum esse novum coniugium, licèt repudium intervenerit; et sacrorum Librorum catalogum ponit. Hispanos episcopos qui concilio Toletano anni quadringentesimi interfuerant laudat, quòd priscillianistas conversos benignissimè susceperint: eos verò, qui hanc benignitatem im-

probabant, ut inimicos pacis et schismaticos excommunicari iubet. Ad Decentium, monet ecclesiam Romanam instituta sancti Petri firmiter semper tenuisse : unde ad uniformem et rectum disciplinæ ordinem servandum oportere cæteras ecclesias ad Romanam disciplinam et ritus se conformare. Præterea solum episcopum declarat baptizatos chrismate in fronte signare posse, seu eis Spiritum Sanctum conferre : presbyterum verò id non posse, nec chrisma conficere, licèt baptizare, et dum baptizat chrismate ungere valeat. Monet etiam episcopos abs dubio posse unctionem, de qua sanctus Iacobus loquitur, infirmis ministrare; quæ presbyteris commendatur, quoniam episcopi non possent infirmis omnibus eâ subvenire. Multa quoque Innocentius opportunissima providit pro ecclesiis Africæ, Macedoniæ, Antiochiæ, et pro sancto Chrysostomo *(Lib. VIII. n.* 52 *ad* 61 *)*.

§ II. Innocentio successit sanctus Zosimus, in cuius pontificatu celebris Appiarii causa agitari cœpit. Appiarius Siccæ in Mauritaniâ Cæsariensi presbyter ab episcopo suo Urbano depositus fuit, causa verò vel sententia eius aliquâ defectione laborabat. Appiarius Romam confugit; et Papa Zosimus Faustinum episcopum ad Africam legatum misit, ut Urbanus sententiam suam rectam efficeret ; et de appellatione episcoporum ad Papam et iudicio clericorum ageretur. Re in concilio generali Africæ tractatâ, Urbanus promptè erratum suum correxit, Appiarius delictorum suorum veniam imploravit, et concilium eum à Siccâ separari iussit; honorem tamen presbyterii retinere, et facultatem serviendi in aliâ ecclesiâ concessit. De aliis verò duobus capitibus, quæ legatus Papæ ut Nicææ canones seu decreta laudabat, respondit concilium ea in codicibus Africæ non inveniri : unde ab Alexandriâ et Constantinopoli exemplaria canonum Nicææ petere decreverunt patres, de omnibus ad romanum Pontificem referentes; et interea illa duo scita, nempè appellationem episcoporum à sententiâ conciliorum Africæ ad romanum Pontificem, et clericorum à iudicio sui episcopi ad vicinos, servare spondebant. Post aliquot annos iterum Appiarius ob nova delicta excommunicatur :

iterum Romam se confert, et à Papâ qui tunc erat Bonifacius admittitur, atque iterum Faustinus in Africam hac de causâ navigat. Extat generalis concilii Africæ ad sanctum Bonifacium epistola, in qua Appiarium dicit maximis criminibus convictum, ea tandem confessum fuisse. Unde Pontificem enixè deprecantur, ne quos ipsi excommunicaverint ipse in communionem facilè admittat. Secundùm canones verè Nicæenses iura metropolitarum servari peroptant. Negotia in provinciis, in quibus acta sunt, iudicanda opinantur. Et ut Pontifex clericos tamquam suorum decretorum executores, præcipuè verò ipsum Faustinum non ampliùs mittat, efficaciter rogant. In omnibus autem magnâ veneratione Pontificem alloquuntur : et quamquam clericorum appellationes ab ipso non recipiendas contendant, et rogent, tamen præ oculis habendum est causas fidei ad romanum Pontificem deferendas semper africanos episcopos existimasse, ut in causâ Cœlestii constat *(ib. n. 62 ad 69)*.

§ III. Itaque Bonifacius Zosimo successit; et quamquam simul Eulalius antipapa eligebatur, schisma tamen protinùs extinctum est. Tunc Constantinopolitanus episcopus patriarchatui suo totum Illyricum subiicere tentabat; et ab Imperatore Orientis Theodosio iuniore lex edebatur, qua dubia et lites in Illyrico orta in episcoporum concilio decerni iubebat, Constantinopolitano episcopo intercedente, quem in toto Imperio orientali eadem iura ac Romanum in occidentali obtinere contendebat. Bonifacius pro auctoritate sedis suæ variis scriptis epistolis strenuè pugnabat; et, ad Theodosium Honorio Occidentis imperatore de hoc etiam scribente, Theodosius in rescripto ait se omnia abrogare quæ per subreptionem circa Illyricum statuerat, et antiquæ Romæ integra et firma habere privilegia. In Bonifacii locum anno sæculi vigesimo secundo eligebatur sanctus Cœlestinus; cuius, dum de nestorianis et Ephesino concilio, memoriam fecimus. Cœlestinus totius mundi christiani mores accuratè inquirere, abusus tollere, et novitates cavere, sui esse muneris existimabat. Inde ad episcopos Galliæ scribebat, clericos reprehendens qui habitum

seu vestitum monastico similem usurpabant : abusum quoque denegandi pœnitentiam in horâ mortis acriter improbabat, et alia opportunè præscribebat. Anno trigesimo secundo moriebatur Cœlestinus : et eius locum occupabat Sixtus tertius, qui per legatos quos sanctus Cyrillus Romam miserat, qua ratione episcoporum orientalium cum Ecclesiâ unio posset iniri apud Pontificem tractaturos, *Encyclicam* epistolam ad omnes Orientis episcopos misit, in qua eos suæ electionis certiores facit : episcopos omnes, qui errorem detestentur, in suis sedibus reponendos declarat; et omnes exhortatur ut separatorum conversionem et reconciliationem efficaciter procurent *(ib. n. 70 ad 76)*.

§ IV. Emortuo Sixto anno quadragesimo Romanam cathedram ascendebat eius archidiaconus sanctus Leo cognomento *Magnus,* insignioribus doctrinâ, sanctitate, et prudenti zelo romanis Pontificibus sine dubio annumerandus. Ferocem Attilam pro Romanâ urbe supplex orabat, ipsumque cum toto exercitu suo, dum Romæ immineret, retrogredi impetravit. Gensericum postea orabat, eiusque barbariem nonnihil temperans. Summâ constantiâ et prudentiâ fidei puritatem, generalium conciliorum decreta, et sanctæ Sedis iura tuebatur. Romani populi sanctificationem ardenter procurabat, etiam frequentibus sermonibus, quorum nunc ferè centum elegantissimi supersunt ; et in bonum universæ Ecclesiæ indefessus laborans, epistolas quaquaversùm scribebat, quarum centum quadraginta tres habemus, de rebus gravissimis circa Ecclesiæ doctrinam ac disciplinam agentes. Inter eas præcipuè observandæ sunt quæ de concilio Chalcedonensi, et contra eutychianos disserunt; et quæ ad ecclesias Italiæ, Hispaniæ, Galliæ, Africæ, Illyrici, Alexandriæ et Antiochiæ diriguntur. In omnibus multa opportunè præcipit aut declarat, quorum aliqua indicanda sunt. Episcopos Italiæ iubet prædecessorum suorum Decretales epistolas accuratè servare. Inter eiusdem ecclesiæ presbyteros honoris ordinem ad antiquitatem conformari, nisi aliquis in pœnam delicti è loco suo removeatur. Et mulieres qui maritos

suos mortuos bonâ fide credentes alias nuptias contraxerunt, excusat; sed ad priores maritos redituras declarat. Ad hispanos episcopos de priscillianistis scribit, et ut in concilio congregentur iniungit. In epistolis ad Theodorum et Rusticum Galliæ episcopos docet peccata ab episcopis reverâ remitti ea confitentibus : de rebus disciplinæ generalis episcopos nil sine consensu metropolitæ sui disponere posse : et presbyterum aut diaconum malè actorum pœnitere debere, neque illis unquam publicam pœnitentiam concedendam : de aliis autem pœnitentibus multa providet. Ad Africam legatum miserat sanctus Leo, de abusibus qui irruptione Vandalorum irrepserant cogniturus : unde circa episcoporum electionem plura præscribebat ; et in ipsâ Africâ de causis omnibus iubebat ecclesiasticis cognoscendum, ita tamen ut sedi Apostolicæ omninò actorum accurata ratio redderetur, quo illius auctoritate roborarentur. Illyrici metropolitis ait, prædecessorum suorum more, Thessalonicensi episcopo vices suas commisisse, cui in rebus disciplinam spectantibus omnes obtemperare debent. Sicut autem sua suique vicarii, sic etiam metropolitarum supra episcopos iura firmiter sustinebat ; et multa ad illius regionis politiam ordinabat *(ib. n.* 77 *ad* 88 *)*.

§ V. In pontificatu sancti Leonis duo specialiter notanda occurrunt : eius renixus canoni ultimo concilii Chalcedonensis ; et Decretalis in sanctum Hilarium Arelatensem edita. Canone illo summa privilegia episcopo constantinopolitano concedi, et concilio enixè deprecanti ut sanctus Leo illum approbaret, sanctum Pontificem non annuisse diximus cap. nono § xv. Sed et Imperator, Imperatrix, patriarcha constantinopolitanus, imò et legatus ipsius Pontificis illum efficaciter rogabant, ut ea privilegia sedis Imperialis rata haberet. Tanti ponderis precibus etiam probabilissima argumenta accedebant, quæ Pontificem ut canonem approbaret inducere videbantur. Nihilominùs zelo prudentissimo se gerens Pontifex in illo reprobando perstitit. Ut enim prætercam cæterorum patriarcharum et exarcharum iuribus quibus oberat ille canon, patronos in concilio Chalcedonensi defuisse ; ani-

madvertebat Pontifex non de mero honore, seu de secundo in Ecclesiâ, vel primo post romanum Pontificem loco antistiti constantinopolitano tribuendo agi: sed de auctoritate vel iurisdictione magnâ ei concedendâ, et de omninò æquandâ constantinopolitani episcopi in Imperio orientali potestate romani in occidentali Pontificis potestati; quasi romani Pontificis auctoritas ex eo solùm ortum duceret, quòd Roma totius Imperii caput fuisset. Quare pluribus malis, quæ postea ex hoc corrupto fonte emanarunt, haud difficilè erat obviam ire. Hinc Magnus Leo ambitioni Anatolii constantinopolitani episcopi pluribus epistolis strenuè obstitit: et illum canonem auctoritate sancti Petri Apostoli cassavit, et nullum atque irritum fecit, tamquam decretis seu canonibus Nicæensis Synodi contrarium, quæ post Romanam ecclesiam Alexandrinæ et Antiochenæ maiorem præ cæteris omnibus auctoritatem et potestatem competere declaravit. Sanctus Leo passim ita loquebatur, quasi Nicæensis concilii decreta illa, licèt ad disciplinam pertinentia, irrevocabilia omninò forent: et erant quidem ob defectum causæ sufficientis, licèt non ob defectum auctoritatis in concilio œcumenico et romano Pontifice (*ib. n.* 89 *ad* 95).

§ VI. Sanctus Hilarius Arelatensis episcopus, de cuius sedis auctoritate sæpè disputatum fuit, in quodam concilio Celedonium episcopum, quòd viduæ desponsatus fuisset et sententias pronuntiasset, episcopatu deposuerat; ille verò ad sanctum Leonem appellavit. Romam etiam sanctus Hilarius profectus est, cui à sancto Leone inter iudices sedere permittitur, dum appellatio Celedonii cognosceretur. Celedonius probatæ fidei testibus falsissima esse probavit, quæ ipsi opponebantur: atque adeò in suâ sede repositus fuit. Hilarius verò, sententiam ægrè ferens, insalutato Pontifice Galliam redibat. Alius etiam episcopus Proiectus nomine apud Leonem conquerebatur, quòd cùm ipse ægrotaret, Hilarius novum episcopum in eius locum ordinavit. Ob hæc et alia quæ contra sancti Hilarii ferventem zelum adducebantur, sanctus Leo decretali ad episcopos provinciæ Viennensis, aut etiam Maximæ Sequanæ directa, post accuratè

stabilitam Romanæ sedis auctoritatem, sancti Hilarii gesta improbat, præcipuè quòd synodos extra suam provinciam congregaverit, eumque iure metropolitano provinciæ Viennensis privat, et sui episcopatûs curæ tantùm incumbere præcipit. Hæc Leonis sententia in omnibus executioni mandata est; eique tam mirabili docilitate sanctus Hilarius obtemperavit, atque episcopatûs sui munera tam sanctè adimplevit, et gregem suum verbo et exemplis tanto zelo ædificavit, ut post mortem ab ipso sancto Leone *episcopus sanctæ memoriæ* appellatus fuerit (*ib. n.* 96 *ad* 99).

§ VII. Sancto Leoni anno sæculi sexagesimo primo demortuo succedit ipsius archidiaconus S. Hilarus seu Hilarius, qui in conciliabulo ephesino ut sanctæ Sedis legatus fidei puritatem, et sancti Flaviani innocentiam magno zelo defenderat. Extant epistolæ duæ Ascanii Tarraconensis, et comprovincialium ad Hilarum. In priori privilegia sancti Petri in sede Romanâ agnoscentes, eiusque responsa utpote absque errore data venerati, ei proponunt Silvanum Calagurris episcopum indebitè et sine metropolitæ consensu aliquos episcopos ordinasse, eumque rogant quid ordinatis et ordinatori faciendum. In alterâ aiunt Nundinarium Barcinonensem episcopum morti proximum optasse, ut loco eius postea sufficeretur Irenæus vir magni meriti, quem in municipio diœcesis suæ (nempè Egaræ) episcopum constituerat. Omnis clerus populusque Barcinonensis, provinciæ episcopi, et ipse Ascanius metropolita iudicium defuncti probantes, et Irenæi virtutem probè noscentes, eum in Barcinonensi sede collocarunt; et suppliciter postulant, ut quod iustè ab ipsis factum videtur, Pontifex auctoritate suâ confirmet. Post has epistolas in concilio Romano lectas Hilarus rescribit, pro Silvano et ab ipso ordinatis plurimos nobiles quarumdam urbium intercessisse: unde Silvani delictum certum esse confessus, ob necessitates temporum illis ignoscit: iubet tamen in posterum nullum episcopum absque Ascanii, ut metropolitæ, consensu ordinari. Contrà verò electionem Irenæi altè reprobat, tum quòd ab aliâ ecclesiâ transferatur, tum etiam ne videatur episcopatum dari

in hæreditatem, seu propter voluntatem defuncti. Quare Irenæum iubet ad primam ecclesiam regredi, et novum episcopum, Ascanio præcipuè curante, Barcinone eligi. Hilaro successit Simplicius, qui Zenonem Hispalensem episcopum vicarium Apostolicæ sedis constituit, ut in Hispaniæ regionibus Apostolica vel sanctorum decreta transcendi non permitteret. Post Simplicium electus fuit Felix secundus, cuius variæ extant epistolæ, quarum una infelicem Africæ sub barbaris arianis statum lamentatur; et in eos catholicos, qui ob metum ab arianis iterum baptizari permittebant, acriter invehitur *(ib.* 100 *ad* 106*)*.

§ VIII. Felix de Acacio *è dipticis* delendo magno zelo et prudentiâ egit. Acacius, quoniam *Henoticum*, ut capite septimo dicebamus, defendebat, eutychianos protegebat, et catholicos sæpè vexabat, à romano Pontifice in synodo damnatus fuerat, et extra Ecclesiæ communionem mortuus. Hinc eius nomen *in dipticis* conservari, ut sacrificii tempore inter bonæ memoriæ episcopos legeretur, magnum scandalum erat. Nihilominùs quia populus constantinopolitanus eum maximè venerabatur, plures orientales episcopi sibi persuadebant prudentis charitatis esse, ut etiam romanus Pontifex toleraret in Oriente nomen Acacii in dipticis manere: siquidem Acacius nunquam fuit hæreticus; et dum hæreticos protegebat, eos credebat, aut credere simulabat, ab hæresi fuisse conversos. Plures hac de causâ Felix ad Orientem scripsit epistolas, et in eâ, quam ad Imperatorem dirigit, mirabili submissione eum alloquitur. Similiter Gelasius Felicis successor Acacii nomen *è dipticis* omninò delendum magnâ vi sustinebat: et de eo ad Imperatorem Orientis scribens, potestates temporalem et spiritualem distinctas esse, utramque tamen à Deo, et in suo ordine supremam, perspicuè exponebat. In hac causâ de primatu ecclesiæ Romanæ super cæteras à Christo instituto indirectè agebatur: et orientalium plurium de omnimodâ libertate orientalis ecclesiæ, et præcipuè constantinopolitani episcopi à romano Pontifice schismaticæ opinationes iam prospiciebantur *(ib. n.* 107 *ad* 114*)*.

§ IX. Gelasius, qui ab initio anni nonagesimi secundi

in cathedrâ Petri sedebat, Italiæ ecclesiis ob bellum famemque illud consecutam, necessariis ad sacramentorum administrationem et ecclesiæ officia ministris orbatis, opportunis decretis providebat. Interstitiorum tempora, præcipuè monachis qui ad clerum assumebantur, breviabat; et tamen non nisi probatos viros ordinari curabat. Simoniam, usuram, aliaque vitia et abusus severè prohibebat; et bona Ecclesiæ in quatuor partes distribuebat, quarum unam episcopo, aliam clericis, tertiam pauperibus, et quartam ædificiis sacris servandis et ornandis destinabat. Demum omnes clericos aiebat romano Pontifici de irrepentibus abusibus rationem reddere debere. Eiusdem Gelasii celebris est epistola Decretalis, quæ libros authenticos ab apocryphis discernit. In eâ sacrorum Librorum catalogum habemus omninò conformem ei, quem postea Tridentinum concilium formavit. Ludos lupercales, etsi ad ea usque tempora à christianis Imperatoribus toleratos, tunc iustè prohibitos demonstrat: observans idololatriæ malis non omnibus repentè sed sensim medendum fuisse. « Quod ad me attinet, ait, « ego ludos hos christianis omnibus interdico: huiusmo-« di superstitiones ipsis esse funestissimas declaro. Ita mu-« neri meo satisfacio: qui mea iussa contempserint, tris-« tes suæ inobedientiæ effectus experientur ». Sanctus Gelasius victûs et habitûs paupertate et morum severitate perinde laudis dignus fuit, ac prudentiâ et vi ardentis zeli, quo pro fide ac religione laboravit *(ib. n.* 115 *ad* 118*)*.

§ X. Sancto Gelasio successit Anastasius secundus, cuius pontificatûs initio Clodoveus Francorum rex, et ferè tota illa bellicosa gens christianæ militiæ adscribebatur. Etiam Anastasius Imperatorem Orientis, ut nomen Acacii *è dipticis* deleri iubens ecclesiis pacem daret, instanter rogabat; et declarabat baptismata ac ordines ab Acacio, postquam à Papa damnatus fuerat, collata, valida abs dubio fuisse. Anastasius post biennium, anno scilicet quadringentesimo nonagesimo octavo labente, moriebatur; et dum Symmachus à maiori episcoporum clerique manu eligebatur et consecrabatur, quidam seorsim Laurentium ordinabant. Omnes tamen, ne schisma inde

oriretur, conveniebant, ut ambo electi Theodorico Italiæ Regi, qui arianus erat, se sisterent, dubium proponerent, et eius decisioni acquiescerent. Theodoricus autem pro Symmacho multò maiori suffragiorum numero electo pronuntiavit. Coram eodem Rege ariano idem Pontifex de gravibus criminibus accusatur : iussu Regis congregatur concilium, cui se sistit Pontifex : concilium verò, quin illum iudicare velit, innocentem declarat. Episcopi Galliæ hac occasione tuentur romanum Pontificem à nullo mortali homine in iudicium vocari posse; et Ennodius, idem probare aggressus, quædam minùs cautè loquitur. Nitebatur Symmachus vetare ecclesiarum bona alienari, et Galliæ quæstiones decidere, atque abusus tollere *(ib. n.* 119 *ad* 127 *)*.

§ XI. Si à Romanâ ecclesiâ ad cæteras patriarchales oculos convertamus, magnis procellis quinto sæculo sæpè agitatas conspiciemus, idololatriam tamen ubique decidentem. In Alexandriâ Theophilo succedebat ipsius fratris filius sanctus Cyrillus, à cuius electione turbæ incipiebant : Dioscori verò Cyrilli successoris tempore, et postea propter eutychianos erant vehementissimæ. Interea tamen sub callido Theophilo, fervido Cyrillo, et prioribus etiam annis aulici Dioscori, templa idolorum solo æquabantur, iudæi inquieti puniebantur, nova monasteria erigebantur, et ex gentilibus ac iudæis plures convertebantur. Antiochiæ inter populi commotiones Porphyrius eligitur. Simul autem ac ille decessit, sanctus Alexander monachus sanctissimæ et austerissimæ vitæ eligebatur, qui particulare illius ecclesiæ schisma extinguebat, ut antea diximus. Iterum postea turbabatur quies sub patriarchâ Ioanne celebri in causâ amici sui Nestorii. Domnus eius fratris filius et successor episcopatui renuntiat, eique de bonis ipsius ecclesiæ pensio alimentaria conceditur. Circa dimidium sæculi quinti Domno succedebat Maximus; cuius electio et consecratio, ut à canonicis regulis dissentanea, à romano Pontifice precibus Imperatoris censebatur confirmanda; et pro bono pacis à romano Pontifice auctoritate sancti Petri probabatur. Sicut autem in Alexandrinum patriarchatum cu-

tychianorum errores, ita nestorianorum in Antiochenum multa mala toto sæculo intulere; et in utroque bellum de subscriptione *Henotici* plerosque catholicos multùm agitabat (*ib. n.* 128 *ad* 132 *et* 131).

§ XII. In patriarchatu Ierosolymitano ad dimidium usque sæculi tranquillâ pace Ecclesia fruebatur. Tunc verò Eutychete damnato, qui abbas magni nominis apud monachos erat, quidam turbidi monachi eutychiano errore infecti, Theodosio abbate intrepido duce, omnia monasteria in episcopos commovere satagebant; et inde scandalo plenum monachorum schisma nascebatur, quod totam Palæstinam infeliciter perturbabat: donec Marcianus abbas circa annum quadringentesimum octogesimum, sorte inter monachos et episcopos missâ, et episcopos contingente, monachos omnes episcopis subiici, et in communione uniri tandem effecit. Sub finem verò sæculi iterum persecutio *ab Henotico* procedens pluribus labendi, et aliis multa patiendi occasio fuit. Constantinopolitanorum patriarcharum sæculi quinti series à sancto Ioanne Chrysostomo feliciter incipit: ex cuius exilio natæ turbæ ante annum sæculi vigesimum omninò quiescebant; et sancti episcopi nomen in Ecclesiæ *dipticis* scribebatur. Nestoriana et eutychiana hæreses hanc ecclesiam quoque interdum perturbarunt, ut cæteras Orientis: præ cæteris autem patriarchæ Anatolii ambitio, qua edi curavit chalcedonensem canonem de privilegiis illius ecclesiæ, magnorum dissidiorum, imò et quodammodò terribilis schismatis, quo etiam nunc Orientis ecclesia opprimitur, amarum semen. Multùm etiam Constantinopolitanam ecclesiam agitavit schisma Acacii, de quo suprà locuti sumus (*ib.* 133 *ad* 137 *et* 132).

§ XIII. Sæculo quinto valdè invalescebat eorum opinatio, qui finem mundi proximum existimabant. Quando enim Roma ab Alarico capta fuit, aut à Genserico expilata, tantas Urbis calamitates eas esse, quæ non nisi desinente mundo eventuræ sunt, minùs consulta pietas sibi facilè persuadebat. Sanctus tamen Augustinus, magnæ prudentiæ et solidæ eruditionis vir, hanc opinationem nullâ validâ ratione inniti demonstrabat, et consultò mo-

nebat tolerandum non esse ut ipsâ simplex populus occuparetur. Itaque Roma sæculo quinto, post earum calamitatum seriem quæ finem mundi significare videbantur, tandem Imperialem purpuram evanescere vidit, et sub Odoacri, qui nomen Imperatoris contempsit et Rex Italiæ vocari voluit, potestate mansit. Dum verò in urbe Româ Imperialis maiestas et dignitas labebantur; quæ illius, ut Ecclesiæ capitis est, integra permanebat. Et Constantinopolis, quæ in ordine civili iam prima mundi civitas et antiquâ Româ superior erat, in ecclesiastico ordine non nisi secundam, seu primam post Romam esse contendebat. Imò magna Anatolii et Acacii ambitio, ab Imperatoribus Orientis bonis perinde ac malis sæpè protecta, auctoritati et scientiæ Leonis, eloquentiæ et modestiæ Felicis, pietati ac fortitudini Gelasii, seu romanorum Pontificum virtuti, tandem cedere coacta est. Et suprema romani Pontificis in totâ Ecclesiâ potestas, etiam post ruinam romani Imperii firma consistit *(ib. n.* 138 *ad* 140*)*.

§ XIV. Italia toto hoc sæculo frequentium bellorum theatrum fuit; unde fames, pestis, aliæque calamitates, magnaque vitia facilè nascebantur. Sed ad italorum solatium Deus Paulinum Nolanum, Petrum Chrysologum, aliosque scientiâ, zelo et charitate illustres episcopos excitavit; et inter maximas clades sanctum Epiphanium Papiensem seu Ticinensem, qui pro pauperibus, victis, et servis, duces exercituum virosque potentes supplex et animosus exorabat; pacem inter Imperium et Visigothorum Regem conciliavit, et à rege Odoacro Ticinum vi occupante plurium civium et mulierum omnium libertatem, atque tributorum permagnam condonationem suis precibus impetrabat. Et postea Theodorico de Odoacro triumphante, et contra eos qui sub isto militaverant duram legem ferente, Epiphanius Theodoricum conveniens non solùm legis derogationem consecutus est, sed magnam argenti copiam, ut plura italorum servorum millia redimeret, et è Galliâ seu Franciâ Italiam secum adduceret. Hispanam ecclesiam barbarorum irruptione ab initio sæculi multa gravissimaque mala affligebant:

sacra omnia ædificia expilabantur et profanabantur : altaria diruta : clerus omnibus spoliatus ; sed et presbyteri ac episcopi in servitutem redacti. Et quamvis Gothi minùs barbari victorum vitæ parcere solebant, Vandali tamen, Suevi et Alani passim omnes interficiebant, omnia ferro et igne vastabant. In tam cruentâ strage hispanos episcopos laudabat sanctus Augustinus, quòd cum fidelibus suis, ut eos consolarentur, dirigerent, sacramentisque munirent, permanserint; et tunc solùm aliqui emigraverint, quando subditi omnes, aut necati à barbaris, aut fame consumpti fuerant, aut etiam ab urbibus et vicis fugâ se subtraxerant. Circa dimidium sæculi Gothi iam in Hispaniâ firmiter dominantes, etsi ipsi aut idololatræ aut ariani, cum catholicis benignè agebant ; et episcopis ipsis subditi in concilium patrium, hortante sancto Leone Papa, coire potuerunt ; et paulò post saltem Tarraconensis provinciæ episcopi in concilium facilè congregabantur, ut ex iis quæ de priscillianistis et de pontificatu sancti Hilari diximus apparet. Etiam in Galliis barbarorum irruptio ecclesiis mala innumera attulit, quamquam nec tanta fuisse, nec tamdiu durasse, quamdiu in Hispaniâ videantur; et eodem sæculo magnam consolationem Gallicana ecclesia recipiebat Clodoveo Rege fidem christianam profitente. Nec ulla est regio, in qua tot præcellentium sanctitate aut doctrinâ illius sæculi episcoporum memoria conservata sit : Patientis Lugdunensis, Lupi Trecensis, Remigii Rhemensis, et ut alios prætereams, celebris Germani Antissiodorensis. Hic Parisios pertransiens Genovevam christianam virginem solemni benedictione donavit, eamque magno sanctitatis splendore celeberrimam futuram præsignificavit. In maiorem verò Britanniam transfretans, britones plures ad fidem, et pelagianos ab hæresi convertit. Africana ecclesia post quinque aut sex faustissima lustra, infelicissima tempora vidit, ut de arianis locuti diximus (*ib. n.* 141 *ad* 151).

§ XV. Hactenùs dicta de sæculo quinto Ecclesiæ sufficiant. Pro coronide tamen ex his colligere liceat, Ecclesiæ militantis sortem esse præliis et laboribus exer-

ceri, ipsius tamen defensionem omnipotentis Dei providentiâ innixam esse, atque adeò certissimam. Ab initio sæculi à barbaris idololatris aut hæreticis in Occidente sævissimè vexabatur; et hæresis hominum vanitati acceptior fidem corrumpere contendebat. Ecclesia tamen barbaros indomitos patientiâ vincit; et de pelagianorum erroribus clariori gratiæ Dei confessione triumphat. In Oriente non quidem aliquis merus presbyter, ut erat Arius, sed ipse constantinopolitanus patriarcha Nestorius, magnâ scientiæ, virtutis et zeli contra hæreticos famâ illustris, atque Imperiali curiâ, Antiocheno patriarcha, et non parvâ episcoporum manu stipatus, novam hæresim indere contendit: et de tam valido exercitu mirabilem victoriam Ecclesia reportat. Inde tamen durius adhuc bellum contra ipsam movetur. Etenim pro eutychianis pugnat concilii generalis quoddam simulacrum, nempè ephesinum conciliabulum: pugnat Alexandrinus patriarcha cum strenuissimâ monachorum legione; et cum suâ curiâ imperator Theodosius iunior, qui sibi persuadet, quòd sicut antea Ephesinum concilium pro Cyrillo Alexandrino contra Nestorium Constantinopolitanum, ita nunc aliud Ephesinum concilium pro Cyrilli successore, et contra Nestorii successorem protegere debet. In tanto tamen periculo etiam Ecclesia sancti Leonis romani Pontificis fortitudine, prudentiâ et auctoritate, primò se se defendebat, et postea in Chalcedonensi concilio de novâ hæresi triumphabat. In utroque difficillimo prælio romanus Pontifex, totius Ecclesiæ gubernator à Christo institutus, arma Ecclesiæ dirigebat. Et ideò maius videri potuit ruinæ Ecclesiæ periculum, quando prope finem sæculi in ipsâ urbe Româ Symmacho electo schisma imminebat, et à Rege ariano, arianis episcopis celeberrimum omnium orbis episcopatum ambientibus circumdato, suum episcopum Romana ecclesia se recepturam expectabat. Deus tamen, qui corda imperantium in suâ manu tenet, disposuit à Theodorico iustam et salubrem sententiam pronuntiari, et Symmachum Romæ episcopum certum constitui. Ergo quamquam Ecclesia imminentibus periculis circumdata, et à

cruentis inimicis obsessa in aliis ætatibus videatur, pro certo tamen habendum est, suavi Dei et efficacissimâ Providentiâ protegendam semper esse et conservandam (*ib. n.* 151 *ad* 157).

CAPUT XIV.

De Episcopis sæculi sexti.

Romani Pontifices : Hormisdas : Acacii schisma extinctum 1. *Epistolæ ad Possessorem, et ad Hispaniæ episcopos* 2. *Ioannes et Agapitus Constantinopoli* 3. *Belisarius Romæ : Vigilius ex intruso legitimus : epistola ad Profuturum* 4. Origenistæ *damnati. Totila Romæ. Longobardi in Italiâ* 5. *Gregorius Magnus* 6 *sanctè gubernat* 7 : *ecclesiis Italiæ et Hispaniæ providet* 8 : *Galliæ, Africæ, et Illyrici* 9. *Constantinopolis : de titulo patriarchæ œcumenici* 10. *Gregorii Magni scripta* 11. *Patriarchæ Alexandrini* 12, *Antiocheni* 13, *Ierosolymitani* 14, *et Constantinopolitani* 15. *Ecclesia hispana sub Gothis arianis* 16. *Recaredus, et gothorum conversio* 17. *Ecclesia Galliæ seu Franciæ* 18 : *Africæ et Illyrici* 19. *Quæstio* de tribus capitulis, *omnium sæculi sexti notabilissima* 20.

§ 1. Symmacho post pontificatum annorum sexdecim decedente, Romanam cathedram occupavit Hormisdas anno sexti sæculi quarto decimo. Legatos Anastasii in Oriente imperantis, qui ex Acacio natum schisma extinguere velle simulabat, recepit : eius verò in Eutychetis errores propensionem agnoscens Hormisdas, ad ipsum legatos quoque mittebat præclaris monitis instructos, ut pro fide catholicâ, et Apostolicæ sedis auctoritate pru-

denter et viriliter agerent. Deinde anno sæculi decimo octavò, Iustino viro catholico imperante, pax facilè inita est, ut capite septimo diximus. Cùm enim Iustinus se catholicum esse professus fuisset, Eutychetis errores generatim damnabantur; et Iustinianus tunc imperii comes ad Pontificem scribebat, nullam ultrà nisi de Acacii nomine superesse quæstionem; et hæc, mox ut sola fuit, nullo negotio evanuit. Hormisdas novos legatos Constantinopolim mittebat cum fidei formulâ, cui subscribere debebant ii omnes, qui pacem cum ecclesiâ Romanâ inire vellent. In eâ Chalcedonense concilium, et omnes sancti Leonis epistolæ de fide agentes admittebantur; et Nestorio, Eutycheti, quibusdam eutychianis, et Acacio constantinopolitano quoniam eorum socius esse voluit, anathema dicebatur; atque Apostolicæ sedis magna cognoscebatur auctoritas. Huic formulæ patriarcha constantinopolitanus, et ingens episcoporum numerus subscribebant; Acacii nomen è dipticis delebatur; et pax cum Romanâ ecclesiâ magno plausu à toto clero et populo celebrata est. Tunc manifestè apparuit græcorum tenacitatem in retinendo in dipticis Acacii nomine, quamvis à Papâ damnatus fuisset ut eutychianorum protector et aliorum criminum reus, ab occulto eutychianæ pravitatis amore potissimùm nasci; et partim etiam ex præconceptâ sedis Constantinopolitanæ auctoritate, qua Romanam superiorem fateri recusabant: unde quamvis Acacii delicta negare non possent, Felicis tamen in Romanâ synodo contra ipsum sententiam, quasi iudicis absque legitimâ potestate foret, respuebant. Ex quibus iterum colligitur romanos Pontifices in hac causâ non modò iustissimè, sed etiam prudentissimè se gessisse. Hormisdas, pace initâ, quædam dubia episcopo constantinopolitano decidenda committebat (*Lib. VIII. n.* 158 *ad* 172).

§ II. Hormisdæ tempore monachi Scythæ novam controversiam excitabant: an scilicet probari deberet hæc propositio: *Unus de Trinitate incarnatus est, et in suâ carne crucifixus.* Ab eâ quidam ex odio erroris Eutychetis exhorrebant, veriti ne in voce *unus* confusio natura-

rum Divinæ et humanæ in Christo includeretur: unde eius loco *una Persona* substituendum putabant. Contrà verò monachis iis videbatur nestorianus, quicumque suæ prædilectæ propositioni subscribere recusabat. Monachi, ut Papam ad se traherent, Romam accedebant: et Hormisdas, novam et inutilem quæstionem amputare volens, eos temperare frustrà conabatur; atque ut turbidos novitatum amatores, ad calumniam et satyram pronos, et populi commovendi cupidos eos exprimebat in epistolâ suâ ad Possessorem Africæ episcopum. Præcipuus huius epistolæ scopus erat aliam quæstionem nascentem suffocare circa libros Fausti de gratiâ, quos quidam hæreticos, alii catholicos habebant. Hormisdas autem Possessorem monebat hos libros nullam in Ecclesiâ catholicâ auctoritatem habere, ac proinde nullam de iis excitari debere quæstionem. Monebat etiam catholicam de gratiâ et libero arbitrio doctrinam in libris sancti Augustini contineri. Ad imperatorem Iustinianum sanctas reliquias mittebat Hormisdas; et ad episcopos Hispaniæ duplici ex causâ scribebat. Primò ut in eligendis ad episcopatum optimis presbyteris invigilaretur, et omnis vel umbra simoniæ aut sordidi quæstûs, aut obsequii vel timoris erga potentes vitaretur, et frequentia concilia ad corrigendos abusus celebrarentur. Præterea mittebat formulam, cuius subscriptione è schismate Acacii recedentes sedi Apostolicæ reconciliabantur; cui pariter subscribere deberent illi græci qui in Hispaniâ forent. Ioanni Illicitano, ac etiam Salustio Hispalensi vices suas Hormisdas committebat, salvis tamen metropolitarum iuribus (*ib. n.* 172 *ad* 176).

§ III. Hormisdæ anno vigesimo tertio succedebat in Pontificatu Ioannes primus, qui à Theodorico Italiæ Rege Constantinopolim proficisci cogebatur, Theodorici nomine Imperatorem ne arianos vexaret exoraturus. Ioannes summâ veneratione in toto Oriente recipiebatur. At ariani illi eius mandati functione contenti non fuisse videntur; siquidem in Italiam redux à Theodorico in carcerem missus est, ubi anno vigesimo sexto moriebatur. In eius sede Theodoricus locabat Felicem tertium, catholicum,

modestum et misericordem virum, quem clerus populusque romanus ad vitandum schisma facilè admittebant. Anno vigesimo nono Felice mortuo, Romanæ ecclesiæ præficiebatur Bonifacius secundus, qui cùm successorem sibi designasset, postea nullius valoris esse designationem in synodo declaravit. Initio anni trigesimi secundi Bonifacio succedebat Ioannes secundus, qui simoniam nimis grassantem comprimere conabatur. Eius tempore Iustinianus iam Imperator fidem suam edictis publicis professus, romanum Pontificem aiebat omnium episcoporum esse caput, atque hæreses in Oriente natas Apostolicæ sedis iudicio damnatas et compressas fuisse. Anno trigesimo quinto mortuo Ioanne, eius sedem ascendebat sanctus Agapitus, qui Iustiniani de rebus Ecclesiæ plures litteras recipiebat, ipsique rescribens eius professionem fidei probabat; monebat tamen se in ullo laico, etsi magno principe, nullam auctoritatem circa doctrinam fidei agnoscere posse. Agapitus minis Theodati gothi regis Italiæ perterritus, Constantinopolim profectus est, ut Iustinianum à consilio bellum Italiæ inferendi retraheret. Et cùm Anthimus constantinopolitanus episcopus Eutychetis errorem damnare renuisset, ab Agapito depositus fuit, et in eius locum Iustinianus, clero et populo plaudente, Mennam elegit, quem romanus Pontifex ordinavit. In urbe Constantinopoli moriebatur Agapitus, priusquàm annum Pontificatûs expleret; et statim Mennas frequens concilium celebrabat, in quo sententiam à defuncto Pontifice in quosdam eutychianos latam exequebatur, et in cuius actis magni ponderis monumenta supersunt *(ib. n.* 177 *ad* 180 *)*.

§ IV. Interea Iustiniani exercitus famoso Belisario duce Africam subigebant; et statim Italiam navigantes Romam ipsam, fugientibus Gothis, occupabant. Belisarius anno trigesimo sexto cùm Silverium Papam in locum Agapiti electum inducere non posset, ut cum eutychianis seu acephalis communicaret, Vigilium in Pontificem eligi, et Silverium semel et iterum in exilium missum fame post biennium perire fecit. Et tunc clerus Romanus amore pacis eligebat ipsum intrusum Vigilium,

qui cathedram quam turpissimè invaserat, iam legitimè occupans, etiam moribus longè alius in posterum fuit. Et cùm Profuturus Bracarensis episcopus quædam dubia Silverio proposuisset, Vigilius celebri ad Profuturum epistolâ respondebat. In eâ abstinentiam à carnibus mortificationis causâ commendat; eos verò damnat, qui ab eis abstinent quoniam illas edere illicitam putant. Iubet in *Gloria Patri*, quo psalmi concluduntur, nullum ex duabus coniunctionibus omitti, quibus trium Personarum inter se distinctio aptiùs exprimitur. Et de pœnitentiâ, de ritibus baptismi, aliisque agit *(ib. n.* 181 *)*.

§ V. Vigilii tempore controversiæ de dictis Origenis multùm effervescebant; præcipuè in Palæstinâ, ubi magna turbidorum monachorum manus pro illorum fautoribus pugnabat, et patriarcha ad eos compescendos alios monachos ut de illis conquererentur excitabat. Re ad Iustinianum delatâ, longo edicto errores eo nomine indicatos condemnabat, et ab aliis condemnari iubebat. Tunc Pontifex romanus Constantinopolim accedebat, et causam *trium capitulorum,* quæ propter bellum ex dictis Origenis vehementiùs ardebat, extinxit, ut capite nono diximus; et in regressu Syracusæ moriebatur. Interea anno quingentesimo quadragesimo sexto Romam Totila expugnabat; eumque Pelagius archidiaconus magnâ cum fiduciâ alloquebatur, et aliquantulum temperabat. Hinc omnium vitæ et mulierum pudori parcere Totila iubebat; domus autem cunctas expilari à militibus permisit, et muros urbis dirui iussit, ut eam tunc relinquens, postea cùm vellet iterum occuparet. Ipse Pelagius anno quinquagesimo quinto Vigilio successit, et ex eius epistolis quanta tunc esset Romæ omnium rerum inopia apertè colligitur. Ioanne tertio post Pelagium tredecim annis à quinquagesimo nono Ecclesiam regente, Longobardi, aut ariani aut gentiles, è Pannoniâ in Italiam venientes, eam, si Romam et Ravennam excipias, totam occuparunt: qua in irruptione plures abs dubio monachi, aliique catholici viri martyrio coronabantur. Inter tot calamitates post Ioannem Benedictus quadriennio, et Pelagius secundus ferè triennio Romanæ ecclesiæ præ-

fuerunt. Et iste pro infelici Italiâ ab Imperatore Orientis auxilia implorabat, et ad episcopum Antissiodorensem in Galliâ scribens, ut Regem suum, siquidem catholicus erat, ad Romanam ecclesiam à barbaris et hæreticis vindicandam prudenter adduceret, hortabatur (*ib. n.* 182 *ad* 187).

§ VI. Ultimus sæculi sexti romanus Pontifex fuit sanctus Gregorius re et nomine Magnus, qui anno quingentesimo nonagesimo eligebatur: vir austeræ vitæ, magnæ sapientiæ, zelique efficacissimi ac prudentissimi. Electionem omnibus cum plausu recipientibus, ipse acerbo cum dolore audivit, et frustrare conatus est. Tunc præcellentem librum scripsit, quem *Pastoralem* nominavit; in quo de virtutibus quæ in episcopo fulgere debent, atque de multitudine et gravitate onerum episcopalium præclarissimè disserit. Belli famisque calamitatibus in urbe Româ iam dira pestis accesserat: et Gregorius, mox ut electus fuit, populum ad pœnitentiam, ut ira Dei placaretur, hortabatur; publicamque supplicationem indicebat, in qua septem fidelium chori, nempè clericorum, monachorum, monialium, infantium, virorum sæcularium, virginum ac viduarum, atque mulierum nuptarum, è septem diversis ecclesiis, ex alia singuli, exeuntes, in ecclesiam sanctæ Mariæ maioris Dei misericordiam imploraturi, convenerunt. Pacis et prosperitatis temporalis urbis Romæ ac totius Italiæ valdè sollicitus, ad extinguendum bellum inter romanos et longobardos assiduè laborabat (*ib. n.* 188 *ad* 194).

§ VII. Ecclesiæ Romanæ bona immobilia quæ in diversis provinciis multa et pinguia id temporis erant, et pretiosam supellectilem accuratè conservari, efficaciter conabatur: efficaciùs autem, ut redditus et proventus omnes ad iustitiæ et charitatis christianæ normam distribuerentur, et expenderentur. Conversioni inimicorum Ecclesiæ, prudenti huius reginini, et fidelium satisfactioni invigilabat. Ut ecclesiastica officia magnifico apparatu, splendidâque gravitate, quæ populos ad venerationem excitarent, agerentur, multa providit: Ecclesiæ etiam cantum unisonum, quem adhuc *Gregorianum*

appellamus, aut introduxit, aut saltem meliorem effecit. Pro vitâ monasticâ, et ne monachi ad mores solutos dilaberentur, multa opportunè statuebat: in quo observanda est ratio, qua cum Venantio monacho apostatâ se gessit. Et cùm imperator Mauritius legem militibus ingressum in monasteria prohibentem promulgasset, Gregorius multa ipsi modestissimè contra legem repræsentabat; legem tamen observari iussit aliquatenùs temperatam, quo et obsequentis erga Imperatorem animi, et constantiæ in tuendâ iustitiâ simul specimen dedit *(ib.* 195 *ad* 204*)*.

§ VIII. Ecclesiis Italiæ singulari vigilantiâ providebat; præcipuè ut non nisi digniores scientiâ et virtute presbyteri ad episcopatum assumerentur: unde sæpè quos clerus et populus elegerant recusabat. Leandro Hispalensi, cum quo amicissimè Constantinopoli conversatus fuerat, quique ei de electione gratulatus multa scripserat, respondet, conversionem Reccaredi lætanter plaudens, et quos libros Leander petierat mittens. Et quamquam baptisma vel triplici vel unicâ immersione æquè administrari possit, dummodò tota Trinitas invocetur; in Hispaniâ tamen ob arianorum multitudinem unicâ immersione baptizari consultiùs declarabat. Non multò post Leandro pallium mittebat, ei amicissimè scribens; et Reccaredo, cui duas Regibus difficillimas virtutes, christianam humilitatem et castitatem, commendabat. Cùm in eis Bæticæ et carthaginensis Hispaniæ partibus, quæ adhuc Imperatori constantinopolitano suberant, duo episcopi depositi ad Gregorium appellassent, neque ibi concilium congregari posset, Gregorius ad Hispaniam Ioannem Defensorem misit, cum monitis notatu dignis, ut tamquam sedis Apostolicæ legatus de iis causis cognosceret, et sententiam ferret *(ib. n.* 205 *ad* 210*)*.

§ IX. Plura extant Gregorii ad Vigilium Arelatensem, et alios episcopos, ad reginam Brunichildem, Regesque Franciæ epistolæ, in quibus simoniæ, clericorum incontinentiæ, neophytorum et laicorum in episcopos electioni, aliisque abusibus remedium procurabat. Africanæ ecclesiæ pari quoque vigilantiâ providebat. Et cùm Byzacenæ provinciæ metropolita magno crimine ac-

cusaretur, optabat Imperator ut hanc causam Pontifex ipse cognosceret. Gregorius autem in concilio provinciali iudicari voluit, episcopos strictè monens, ut in re examinandâ et sententiâ ferendâ iustissimè se gererent. In Illyrico plures episcopi ab exercitibus barbarorum è suis sedibus exulare cogebantur; et Gregorius, sicut etiam Imperator, episcopos in suis sedibus manentes hortabatur, ut benigno hospitio illos domi reciperent et alerent. In eâdem regione plures causas terminabat Gregorius, quarum duæ singulari recordatione dignæ sunt, nempè Maximi episcopi Salonensis, et duorum diaconorum Thebarum in Thessaliâ (*ib. n.* 211 *ad* 216).

§ X. Ioannem Constantinopolitanum patriarcham, qui ob vitæ austeritatem *Ieiunatoris* cognomine honestari solet, de quibusdam defectibus benignè corripit: at de sibi assumpto *patriarchæ œcumenici* titulo acriter reprehendit. Hunc titulum Ioannes usurpaverat anno octogesimo nono in concilio Antiocheno: quod simul ac Pelagius tunc romanus Pontifex cognovit, Ioanni severissimè prohibuit titulum adeò novum et Ecclesiæ paci inimicum ampliùs usurpare; et legato suo apud Imperatorem iniungebat, ut se à Ioannis communione separaret, nisi à tanto crimine recederet. Etiam Gregorius ut ab hac superbâ novitate Ioannem removeret, sæpiùs ad ipsum, ad Imperatorem, Imperatricem, cæteros patriarchas, et legatum suum scribebat. Hunc titulum in Chalcedonensi concilio romanis Pontificibus datum fuisse, et nihilominùs nunquam ab iis assumptum observabat; atque titulum esse novum, vanum, periculo plenum, et dissidiorum inter ecclesias futuram originem. Ioannes Ieiunator eum titulum obstinatè retinebat: non tamen se ipsum esse unicum mundi episcopum, neque in toto mundo auctoritatem et iurisdictionem se habere, quod maximus error esset, contendebat; sed contendisse videtur, ob vastam suæ diœcesis patriarchalis extensionem, seu ob latissimos terminos ad quos episcopi constantinopolitani cura pastoralis pertingebat, quasi per hyperbolem patriarcham œcumenicum seu universalem appellari potuisse. Hinc tunc etiam de rebus suæ ecclesiæ

ad romanum Pontificem ut superiorem referebat, et decreta sua à romano Pontifice rescindi ferebat (*ib. n.* 217 *ad* 221).

§ XI. Moritur Gregorius anno sexcentesimo quarto, infirmâ valetudine et assiduo labore consumptus. Præter librum *Pastoralem*, plures super Iob, Ezechiel, et Evangelia, atque epistolarum et dialogorum reliquit. Omnia Gregorii scripta magni pretii sunt; etiam *Dialogi*, in quibus si christianam humilitatem, animi candorem, prudentiam et fortitudinem Gregorii præ oculis habeas, neque ipsum finxisse, imò neque sine examine quæcumque audivit credidisse suspicaberis. In epistolis ad Mauritium et ad Phocam rigida critices, quæ ad circumstantias omnes attendit, nihil inveniet reprehensione dignum. In aliis epistolis agit sanctus Pontifex de reliquiis et de imaginibus sanctorum, ac de rebus aliis gravissimis. Et hæc de romanis Pontificibus sæculi sexti (*ib. n.* 222 *ad* 227).

§ XII. Nunc ex episcopis, qui cæteras patriarchales ecclesias gubernarunt, illustriores saltem memoremus. Alexandrina ecclesia multùm hoc sæculo sub eutychianorum, inter se passim quoque luctantium, tyrannide ingemuit. Anno sæculi trigesimo septimo tantisper quiescebat, in patriarcham electo Paulo Thebennensi abbate, viro catholico, qui Imperatoris auxilio munitus Chalcedonense concilium generatim ab omnibus admitti consequebatur. Hinc eutychianorum vires decrescebant; valdè tamen ecclesiam illam vexare non cessabant. Ab anno octogesimo primo ad finem sæculi illum patriarchatum regebat sanctus Eulogius, qui contra varias eutychianorum sectas, præcipuè contra eos qui Iesum-Christum aliqua ignorasse contendebant, egregiè scribebat, ut ex fragmentis quæ apud Photium legimus constat (*ib n.* 228).

§ XIII. In Antiochenam ecclesiam anno duodecimo, in exilium misso sancto Flaviano secundo, intrudebat se intrepidus eutychianus Severus, qui plus quàm trecentos monachos, aliosque catholicos interfici iussit. Post aliquot annos à vigesimo quinto sæculi ad quadragesimum

sextum Ephræm antea comes, vir magnæ misericordiæ et sapientiæ, ecclesiam illam regebat; et urbe ex terræmotu ferè totâ dirutâ, et post aliquot annos à persis captâ, expilatâ, et magna ex parte flammis traditâ, populum allevare et consolari satagebat. Anno sexagesimo primo Antiochenus patriarcha eligebatur sanctus Anastasius, insignis virtute et sapientiâ vir, qui magnâ prudentiâ illam ecclesiam gubernavit; et tamen Imperatori invisus iniustissimè per vim depositus fuit. Eius locum insignis monachus Gregorius occupavit, qui modestiæ et amori pauperum, magnanimitatem, fortitudinem, et in expediendis rebus arduis raram dexteritatem coniungebat. Unde in bello contra Persas imperio utilissimus fuit: Orientis exercitum in Imperatorem rebellantem sedavit; et ad Chosroam regem Persarum legatus ab Imperatore missus, Chosroæ fuit acceptissimus, et ab eo summi pretii cruces, calicem aureum, aliaque pretiosa munera pro ecclesiâ Antiochena data recepit. Gregorio anno nonagesimo tertio mortuo, Anastasius superstes suam sedem recuperavit. Et valdè notandum est, sanctum Gregorium Magnum ambos ut Antiochenos patriarchas simul agnovisse: Anastasium, quoniam iniustè depositus fuerat, et Gregorium, quia non se intruserat, sed more solito et secundùm leges Ecclesiæ electus post depositionem prædecessoris in concilio factam, à qua licèt iniustissimâ appellatum non fuerat. Anastasius à iudæis antiochenis commotis anno sæculi nonagesimo nono martyrio coronatus est (*ib. n.* 229 *ad* 232).

§ XIV. Ierosolymitanam ecclesiam initio sæculi regebat sanctus Elias, qui ab eutychianis in exilium missus fuit. Deinde tranquillitate passim ecclesia illa fruebatur: et solùm propter monachos placitis Origenis addictos aliqua interdum dissidia nascebantur. Circa dimidium sæculi quædam ecclesiæ domus, quorum redditus modici erant, permittente Imperatore, alienabantur, ut pretium in auxilium peregrinorum, qui magno numero ad sacra loca accedebant, impenderetur. Sub finem sæculi eam ecclesiam regebat Hesichius, cui sanctus Gregorius Magnus contra simoniam scribebat (*ib. n.* 233).

§ XV. In Constantinopolitanâ ecclesiâ post Anthimum à sancto Agapito, quoniam sub specie catholici hæreticus inventus fuit, depositum, tres sanctitate celebres patriarchæ floruerunt: Mennas, Eutychius, et Ioannes *Ieiunator*. Sanctus Mennas in locum Anthimi, ut paulò antea dicebamus, à sancto Agapito consecratus, puritate fidei, irreprehensibilis vitæ exemplo, et doctrinæ copiâ oves suas pascebat. Ipsi anno quinquagesimo secundo succedebat sanctus Eutychius ab infantiâ vitæ monasticæ et Ecclesiæ ministerio mancipatus. Iustiniano erat acceptissimus. Quando verò Imperator *phantasiastarum* errorem imperiali edicto extendere conabatur, Eutychius Imperatori demonstrabat, Iesu-Christi corpus eatenus solùm incorruptibile dici posse, quatenus peccato corrumpi non potuit, et in sepulcro à corruptione immune permansit. Hinc in exilium missus fuit: post duodecim tamen annos, precibus populi, ecclesiæ suæ quasi in triumpho restituitur. Post Eutychium anno octogesimo secundo eligebatur Ioannes *Ieiunator*, vir austeræ vitæ, et in pauperes effusus, de quo mox loquebamur; et postea Cyriacus, animi ad tranquillitatem compositi, qui tamen œcumenici titulum primò sustinebat, postea verò ne illum usurparet ab imperatore Phocâ ei iniunctum videtur (*ib. n.* 234 *et* 235).

§ XVI. Sed iam de nostrâ Hispaniâ verba faciamus. Etiam sub arianorum imperio quædam concilia in Hispaniâ sæculo sexto probabiliter celebrata fuisse capite decimo vidimus; et eodem labente fidem catholicam Reges ipsi amplexati sunt, et propugnarunt, primò Suevi, postea Gothi. Suevi in Gallæciâ imperabant, et ariani erant. Circa annum verò sexagesimum Theodomirus eorum rex miraculorum sancti Martini Turonensis famâ allectus, salutem filii sui, missis Turonem legatis, exorabat, consequebatur; et ipse, eius curia, et ferè tota illa gens, arianorum erroribus abiuratis, fidei catholicæ subscribebat. Tunc episcopi catholici Gallæciæ in concilium coëuntes, duo Bracarensia, de quibus antea, celebrabant. Et cùm in priori unicus metropolita, et in altero duo, Bracarensis et Lucensis, subscripserint; non

immeritò aliud intermedium creditur celebratum concilium, in quo nova metropolis erecta fuerit. Sed non multò post Leovigildus Gothorum rex Suevorum regnum subigebat; et aliunde Galliam Narbonensem seu gothicam, mortuo fratre suo ibi regnante, acquirebat : imò imperiales à Granatâ, Cordubâ, aliisque provinciis expellebat; ut Gothorum potentia maximè in Hispaniâ cresceret. Hermenegildus Leovigildi maior natu filius Ingundam catholicam uxorem habebat, cuius suasu arianorum errores abiurabat. Hinc à parentibus suis summo odio habebatur, et quædam civiles discordiæ nascebantur; et Hermenegildus tandem à patris exercitu captus, et in carcerem missus, cùm à presbytero ariano sacram communionem in Paschate recipere constanter renueret, capite truncatus est anno octogesimo quinto. Et tunc Leovigildus catholicos sævissimè vexabat, et Massonam Emeritensem, Fulgentium Astigitanum, Licinianum Carthaginensem, Leandrum Hispalensem, et Fronimium Agathensem in Galliâ gothicâ, episcopos, è suis sedibus deturbabat, fidelesque plures carceribus, verberibus, bonorum spoliatione, ac etiam morte ob fidei constantiam mulctabat. Unde plures catholici, speciatim ex recens ab arianis in Gallæciâ conversis, in apostasiam miserè labebantur. Leovigildum huius in catholicos belli ante mortem pœnituisse videtur; et morti proximum à sancto Leandro Hispalensi postulasse, ut Reccaredum filium, et in regno successorem ad fidem catholicam convertere satageret *(ib. n. 236 ad 240)*.

§ XVII. Profectò Reccaredus ab initio regni Leandrum benignè audiebat, catholicos cum arianis coram se disputare iubebat, et Deo dante æqualitatem Divinarum Personarum cognoscebat, catholicam fidem publicè profitebatur, et per unctionem chrismatis signo crucis in fronte ab episcopo catholico signabatur. Ac deinde toti genti suæ ab erroribus Arii separandæ sedulò incumbebat: non vi, neque minis aut imperio, sed exemplo, suasu, argumentis, et tantâ prudentiâ, ac doctrinæ copiâ, ut etiam arianos episcopos ferè omnes ab hæresi revocaret. Ecclesiasticos viros scientiâ et virtute claros

ad provincias mittebat, qui arianorum animos allicerent, et mentes instruerent. Et quamquam à reginâ Gosvintâ et ab episcopis arianis Narbonensi et Emeritensi quædam in Regem conspirationes fierent, hi tamen victi erroris impetus feliciter cohibebantur. Inde anno quingentesimo octogesimo nono, convocante Reccaredo, concilium patrium celebrabatur, quod Toletanum tertium vocari solet, et cuius acta integra legenda sunt. Hìc dicere sufficiat Regem ad concilii patres sæpè fuisse allocutum; illis claram fidei catholicæ de Trinitatis mysterio confessionem à se ipso, à Reginâ, et à proceribus regni, qui ariani fuerant, subscriptam tradidit; et eorum ministerio Deo se offerre inclitas Gothorum et Suevorum nationes ad fidem catholicam conversas dicebat. Concilium deinde viginti tribus canonibus præcipuos arianæ sectæ errores damnavit; et his quoque canonibus episcopi, presbyteri, proceresque omnes ariani subscripserunt. Deinde, sæcularibus à concilio exeuntibus, disciplinæ canones capite decimo indicatos concilium statuebat. Et regio edicto omnia concilii decreta confirmabantur. Sanctus Leander Hispalensis, eorum quæ in concilio agebantur præcipuus auctor, eloquenti oratione de tam fausto eventu, ecclesiæ Hispanæ, atque Gothorum et Suevorum gentibus gratulatur, et fideles omnes ad fervidas Deo agendas gratias cum gaudio hortabatur *(ib.* 238 *ad* 245 *)*

§ XVIII. In Galliis seu Franciâ aliquot sanctos in domo regiâ invenimus, ut Clotildam, et Clodoaldum: at scelera quoque horrenda vix credibilia. Ut enim alia prætercam, rex Clotarius pueros duos fratris filios suâ ipse manu tranquillè iugulat. Et Brunichildem reginam turpissimâ ferocitate ab indomitis equis raptatam trucidari iubet. Regina sancta Radegundis à Clotario repudiata, monasticam vitam amplexabatur, et celebre monasterium erigebat, in quo non multò post scandala portento similia visa sunt. Aliqui fuerunt episcopi perditissimis moribus; plures tamen qui inter sanctos numerari potuerunt, ut sanctus Prætextatus martyr, altera ex victimis infandæ immanitatis reginæ Fredegundæ. Hoc eodem sæculo incipiebant in Franciâ locorum sacrorum interdic-

ta, et nonnulli impostores apparebant (*ib. n.* 246 *ad* 255).

§ XIX. Africana ecclesia ab anno sæculi vigesimo tertio etiam sub Vandalis aliquantâ tranquillitate et libertate fruebatur. Unde in concilium à Bonifacio carthaginensi congregatâ, præcedentium conciliorum canones legebantur, ut disciplina ordinaretur; ac præcipuè ut antiqua carthaginensis episcopi in omnes Africæ ecclesias auctoritas seu primatus confirmaretur. Deinde Belisario Africam à Vandalis liberante, et romano Imperio in eâ restituto, ducenti decem et septem episcopi inexplicabili gaudio anno trigesimo quinto in concilium coibant, ut longæ persecutionis damna repararent. Tunc ariani ferè omnes convertebantur, et idololatræ innumeri mediterranearum Africæ regionum christiani fiebant. Demum in vastâ Illyrici regione schismate Acacii et *trium capitulorum* dissidiis ecclesiæ valdè agitabantur. Et præter antiquum vicarium romani Pontificis, qui erat episcopus Thessalonicensis, novus instante imperatore Iustiniano creatus fuit, nempè episcopus Acridæ, quæ urbs nomen Iustinianæ primæ ab Imperatore, qui in eâ natus fuerat, accepit (*ib. n.* 256 *et* 257).

§ XX. Et hæc de sæculo sexto. In eo Arii, Nestorii, et Eutychetis hæreses multùm viribus decrescebant; et si qui novi errores nascebantur, statim veluti in cunabulis suffocati evanescebant. Ecclesiam tamen nimis agitabant ea dissidia, quæ ad schisma ducebant, ut duo illa Constantinopolitana; alterum de Acacii nomine initio sæculi extinctum, alterum de titulo patriarchæ œcumenici circa finem nascens. Disputatio tamen *de tribus capitulis* in concilio Constantinopolitano secundo faustè finita, inter gesta sæculi sexti singulari meditatione digna videtur; et ex eius accurato examine plura utilissima consectaria colligi possunt. Nobis observare satis sit sancti Gregorii Magni tempore adhuc in Italiâ et vicinis regionibus esse quosdam episcopos, qui sanè errores Nestorii damnabant; cæterùm à recipiendo concilio Constantinopolitano, et decreto Vigilii Papæ, seu à damnandis tribus capitulis adeò abhorrebant, ut cum Constantio Me-

diolanensi et cum ipso romano Pontifice communicare nollent, quoniam tria capitula damnabant. Hos abs dubio schismatis furore abreptos viros sanctus Gregorius ad Ecclesiæ unitatem revocare peroptans, de eo ad Constantium scribit : non tamen iubet eos ad tria capitula damnanda et recipiendum concilium aut Vigilii decretum compelli, sed quod illis notum faciat eos qui tria capitula damnant concilium Chalcedonense corde amplecti, illosque qui non admittant anathematizare. Hæc qui seriò consideret facilè colliget, quàm lata erant in Gregorio Magno viscera charitatis ; et quantum immatura de auctoribus et libris iudicia, ad schismata vitanda, tolerari possunt, quando ii qui auctores aut libros iustè damnatos ab errore immunes ex præiudicio existimant, errores tamen damnant, et catholicæ fidei confessioni facilè subscribunt. Sed iam quæ de doctrinâ ac disciplinâ Ecclesiæ eius ætate secundâ fuere scripta, quod postremò in ea considerandum proposuimus, breviter perstringamus *(ib. n. 258 ad 260).*

CAPUT XV.

Ecclesiæ doctrina et disciplina ex scriptis ecclesiasticis ætatis secundæ.

Sacra Scriptura : Traditio : Sancti Patres 1. *De Deo uno et trino : Verbo incarnato : Mariâ Matre Dei* 2. *Ecclesia est corpus* Christi *mysticum : eius dotes* 3. *Romani Pontificis auctoritas* 4. *Patriarchæ :* Exarchæ 5 : *Metropolitæ* 6. *Episcoporum electio* 7 , *translatio , confirmatio , consecratio* 8 , *auctoritas , onera , et iura* 9. *Presbyteri , diaconi , et inferiorum graduum clerici* 10. *Diversa in ecclesiis officia* 11. *Clericorum mores , vestes* 12 , *causæ civiles et crimina-*

les 13 : *monachi* 14, *virgines sacræ*, *diaconissæ* 15. *Bonorum Ecclesiæ conservatio et distributio* 16. *Disciplina arcani* 17. *Sacramenta : Baptisma : catechumeni* 18 : *Confirmatio* 19. *In Eucharistiâ verè sunt corpus et sanguis Christi* 20 : *in qua panis et vinum convertuntur* 21. *Est etiam figura corporis Christi* 22. *Huius sacramenti consecratio et usus* 23. *Pœnitentia : excommunicatio multiplex* 24, *et cautè infligenda* 25. *Canones* pœnitentiales 26. *Confessio secreta sacerdoti, necessaria est* 27, *et sufficit* 28. *Pœnitentia publica* 29. *A peccatis verò absolvit sacerdos* 30. *Unctio infirmorum* 31. *Ministrorum ordinatio* 32. *Manuum impositio multiplex* 33. *Matrimonium est sacramentum, et indissolubile* 34. *Sponsalia : benedictio nuptialis : impedimenta* 35. *Varii Ecclesiæ cœtus : concilia* 36. *Domus Dei seu ecclesiæ : altaria* 37. *Liturgia : missa catechumenorum* 38 : *missa fidelium* 39. *Diversæ benedictiones : invocatio nominis Iesu* 40. *Dies Dominica* : *Sanctorum reliquiæ et imagines. Signum crucis Christi* 41. *Ieiunia, supplicationes publicæ* 42: *orationes pro defunctis ob fidem de* purgatorio 43. *Doctrina moralis Evangelii egregiè exposita* 44. *Usura acriter damnatur : Virginitas et vita monastica suadentur* 45. *De pœnis in hæreticos egregiè Augustinus* 46. *Mendacium omne abs dubio illicitum* 47. *Præclara quædam circa mores consilia et exempla* 48. *Doctrina Ecclesiæ semper eadem* 49.

§ I. Si decreta, canones, et libri seu scripta conciliorum, romanorum Pontificum, et sanctorum Patrum secundæ ætatis Ecclesiæ seriò considerentur, quæcumque sub *doctrinæ* et *disciplinæ* ecclesiasticæ nomine comprehendi solent, perspicuè explicata et solidè stabilita procul dubio invenientur. Ante omnia Librorum sacrorum divina origo seu inspiratio, veritas et altitudo apertissimè declarantur : eorum lectio nobis efficacissimè commendatur, atque ad eorum intelligentiam regulæ traduntur opportunissimæ. Et quamquam aliqui illius ætatis aucto-

res libros veteris Testamenti, qui in Hæbreorum canone non essent, tamquam sacros recipere non auderent, aut ex illis Novi Apocalypsim vel aliquam ex epistolis canonicis omitterent; catalogus tamen sacrorum Librorum, quem romani Pontifices Innocentius et Gelasius, concilium Carthaginense tertium, et sanctus Augustinus exararunt, idem est quem postea Tridentina synodus assumpsit. Iam verò Ecclesiæ doctrina non modo è sacrâ Scripturâ desumenda est, sed etiam ex antiquâ traditione à Christo per Apostolos et eorum discipulos ad nos usque successivè manante. Hæc enim traditio necessaria est ut sacros Libros à non sacris distinguere valeamus: ut Librorum sacrorum veram habeamus intelligentiam: ut hæreticos solidè impugnemus, atque etiam ut aliquas veritates dignoscamus, et quosdam Ecclesiæ ritus aut mores teneamus, quæ in Scripturâ sacrâ non leguntur, et à Christo et Apostolis instituta fuisse solâ traditione novimus. Traditio autem apostolica, ecclesiarum præcipuè apostolicarum praxibus et orationibus, conciliorum decretis, et communi fidelium persuasione innotescit; atque ipsius quoque locupletissimi testes sunt sancti Patres. In horum autem dictis cautè distinguere oportet quæ ut sapientes opinantur, ab iis quæ declarant ut testes fidei, quam ipsi suæque ecclesiæ profitentur. In his enim maximi ponderis eorum testimonia sunt, præcipuè quando plures in eâdem declaratione conveniunt: attamen in illis, quæ sancti Patres ut sapientes viri disputant aut proponunt, minor eorum auctoritas est, quamvis sanctitate etiam et sapientiâ innixa. Et hæc de Scripturâ et Traditione indicasse sufficiat. Etenim cùm multò plura ætatis secundæ quàm prioris tum numero cùm volumine scripta supersint, nemo ambiget scita omnia quæ de Scripturâ et Traditione capite decimo quarto, ætate primâ, § 1 et 2 collegimus, imò omnia quæ in eo capite continentur, in scriptis ætatis secundæ copiosiùs illustrata ac demonstrata inveniri *(Lib.* VIII. *n.* 261 *ad* 270*)*.

§ II. Ex Scripturæ et Traditionis fontibus pura manat Ecclesiæ doctrina, prudensque disciplina; cuius præcipua capita ex scriptis ætatis secundæ breviter indicare

aggredimur. Deus Spiritus infinitè perfectus est, incomprehensibilis, unus in Naturâ, trinus autem in Personis. Pater, et Filius, et Spiritus Sanctus tres Personæ distinctæ sunt, eiusdem essentiæ seu substantiæ. In hac fide symbolo Nicæensi et Constantinopolitano instruimur et firmamur. De Incarnationis mysterio nobis præcipitur ut credamus non modò in unum Deum Patrem omnipotentem, sed etiam in unum Dominum nostrum Iesum-Christum, Filium Dei unigenitum, qui incarnatus est de Spiritu Sancto ex Mariâ Virgine: ita ut idem ipse Filius, qui Filius æternus est Patris æterni, idem Filius est, qui in tempore natus est de Spiritu Sancto ex Mariâ Virgine. Hoc mysterium mirabili perspicuitate exponit sanctus Leo Magnus in egregiâ epistolâ *ad sanctum Flavianum;* et concilium Ephesinum et Chalcedonense eius fidem solidè constituerunt. Ex huius fide mysterii necessariâ deductione conficitur Mariam Virginem sanctissimam veram esse *Theotocon,* seu Matrem Dei: qua ex prærogativâ præcelsæ illius dotes et gratiæ suâ sponte manant. Hinc perpetuam Beatissimæ Mariæ ante partum, in partu, et post partum virginitatem sanctus Leo profitebatur et laudabat; eamque ut veritatem universæ Ecclesiæ acceptissimam, et ex apostolicâ traditione receptam sanctus Hieronymus propugnabat. Dum de peccato agitur, nullam de Beatâ Virgine Mariâ habendam esse quæstionem monebat Augustinus, pro certo habens ab eo quem concepit et peperit tantam illi gratiam fuisse collatam, ut peccatum procul ab illa undequaque expelleret. Mariæ autem vivendi rationem in hac vitâ mortali graphicè describit sanctus Ambrosius, eam ut accuratissimum christianæ perfectionis exemplar proponens (*ib n.* 271 *ad* 278).

§ III. Hæreses, quibus Trinitatis et Incarnationis dogmata impugnantur, causa fuere quòd hæc mysteria accuratiùs fidelibus exponerentur, et eorum fides altiùs et firmiùs christianorum cordibus inhærerent, unde eam frequentiùs confiterentur et alacriùs. Simili modo ad novatianorum et donatistarum ineptas opinationes circa Ecclesiam confundendas, catholici, ut

sanctus Optatus et sanctus Patianus, et præcipuè sanctus Augustinus, attentiùs considerarunt tum metaphoras, quibus in sacris libris Ecclesia repræsentatur, tum etiam notas seu characteres, quibus ab aliis cœtibus distinguitur, tum denique singulares dotes, quibus à Divino eius auctore insignita est. Inde noscimus Ecclesiam esse corpus Christi mysticum; unam, sanctam, catholicam, et apostolicam: item esse visibilem, indeficientem, erroris nesciam ac exortem, atque extra ipsam neminem salvari. Hinc sanctus Fulgentius *De fide ad Pet.* aiebat: « Firmissimè tene non solùm paganos, sed etiam iudæos, « hæreticos et schismaticos, qui extra Ecclesiam catho- « licam finiunt præsentem vitam, in ignem æternum itu- « ros esse. Firmissimè tene quemlibet hæreticum, aut « schismaticum, etsi ritè baptizatus sit, et quantascumque « eleemosynas fecerit, etsi pro Christi nomine sanguinem « fuderit, si Ecclesiæ catholicæ non fuerit aggregatus, « nullatenùs posse salvari ». Demum Ecclesia imperandi quoque et puniendi verâ potestate, à potestate tamen civili omninò diversâ, gaudet; de qua Ossius et Gelasius antea laudati, et innumeri alii apertè testati sunt (*ib. n.* 279 *ad* 286).

§ IV. Super cæteros Apostolos à Domino sanctum Petrum fuisse constitutum, sancti Patres ætatis secundæ passim declarant; ipsum Apostolorum principem, caput, coryphæum, præsidem, et cæteris, vel Paulo, maiorem dicentes. Unde romani Pontifices tamquam eius successores, in quorum sede ut in sede propriâ sanctus Petrus vivit et præsidet, magnâ auctoritate in universâ Ecclesiâ gaudent, etiam in conciliis generalibus, quod in Ephesino et Chalcedonensi facilè observatur: præcipuè verò circa episcoporum electionem, etiam in Oriente, ut in ipsis Constantinopolis et Antiochiæ patriarchalibus ecclesiis; atque ut appellationes ab omnibus, sive episcopi sive etiam concilii ecclesiasticis iudiciis undequaque recipiant. Roma est unitatis ecclesiasticæ centrum; ac proinde qui in communione Romanæ ecclesiæ permanet, securus est, ut Chrysostomus et Hieronymus asserunt, licèt alii ab eius communione secedant, sicut etiam de Cæ-

ciliano aiebat Augustinus *(ib. n.* 287 *ad* 290 *).*

§ V. Episcoporum in Ecclesiâ hierarchia hæc est. Romanus, institutione Christi Domini super ipsum Petrum Ecclesiam ædificandam esse asserentis, super omnes omninò mundi ecclesias primatum et potestatem habet, utpote fratres suos seu episcopos omnes in fide, quando oportuerit, confirmaturus; et veluti secundarium ipso Christo innixum et à Christo sustentatum fundamentum, alias omnes ecclesias in fide et lege Christi sustentaturus. At aliunde Romana ecclesia in cæteras occidentales singularia iura habet; quatenus ferè omnes ab ipso Petro, et Paulo qui etiam Romæ moriebatur, aut eorum discipulis genitæ, omnes verò in suâ infantiâ à discipulis Petri et successorum eius è Româ missis educatæ et confirmatæ in doctrinâ Christi sunt. Simili modo ab ecclesiis Alexandrinâ et Antiochenâ omnes vastarum regionum seu diœcesium ecclesiæ aut fundatæ, aut saltem propugnatæ, cultæ, et instructæ sunt. Et inde hæ tres ecclesiæ primùm *metropolitanæ*, quasi *ecclesiæ matres*, postea *patriarchales* vocatæ sunt; et quædam inspectionis et protectionis iura in alias ecclesias, quasi filias, conservarunt. Hinc triplex patriarchatus primùm distingui potuit: Romanus, seu totius Occidentis usque ad Illyricum: Alexandrinus per totum Ægyptum, Libyam et Pentapolim, quibus in regionibus sanctus Marcus à sancto Petro missus et eius discipuli ex Alexandriâ ecclesias fundabant et dirigebant; et Antiochenus per eam magnam diœcesim, quæ Oriens vocabatur, in qua fundandis et regendis ecclesiis Petrus, dum Antiochiæ residebat, et postea eius discipuli invigilabant. Etiam Ierosolymitanus et Constantinopolitanus episcopi patriarchæ titulo honestati sunt, ob honorem iis civitatibus ex æquo debitum: Ierosolymis nempè, quoniam ibi Salvator mundi suâ morte nos redemit; et Constantinopoli, quoniam à primo Imperatore christiano erecta fuit, et ab ipso et successoribus eius in deliciis habita. Quamquam verò Ierosolymitanæ ecclesiæ honorem non nisi servatis metropolitarum iuribus Nicæense concilium confirmabat, tamen illius episcopus in ipsos metropolitas totius Palæstinæ iura patriarchalia sensim

acquirebat: et Constantinopolitanus, consentientibus regionum illarum episcopis, magnam etiam auctoritatem super ipsos habebat, et maiorem ac secundum in Ecclesiâ locum sibi assumere, repugnante romano Pontifice, conabatur, ut antea diximus. Patriarchalibus iuribus similia erant, et ex iisdem causis orta, ea quæ nobilissimarum quarumdam urbium episcopi, qui *exarchæ* vocabantur, super vicinarum provinciarum ecclesias exercebant: ut Ephesinus in totâ Asiâ propriè dictâ, Cæsariensis in Ponto, et Heracleensis in Thraciâ. Carthaginensis quoque episcopus super cæteras Africæ ecclesias similia illis patriarchæ et *exarchæ* iuribus habuisse videtur, quamvis iis nominibus insignitus non fuerit *(ib. n.* 291 *ad* 293 *)*.

§ VI. Erat in singulis ecclesiasticis provinciis episcopus metropolitanus cæteris comprovincialibus episcopis abs dubio superior. Metropolitanus esse solebat episcopus urbis metropolis, seu quæ civilis provinciæ caput erat: in Africâ tamen metropolitana auctoritas non episcopo urbis metropolis competebat, sed illi qui inter comprovinciales erat in episcopatu antiquior. Ad metropolitam pertinebat synodos provinciæ convocare, et iis præsidere, ecclesiis viduis seu vacantibus providere, episcoporum electioni invigilare, et eam confirmare: et absque eius consensu electus ordinari non poterat. Unicus tantùm in singulis provinciis metropolita esse poterat; et novam metropolis civilis erectionem, seu civilis provinciæ divisionem, non necessariò similis divisio in ecclesiasticis consequebatur, quamvis sæpè has mutationes Ecclesia in bonum fidelium imitaretur. Metropolitana iura Nicæense concilium antiqua iam tunc esse supponebat *(ib. n.* 294 *et* 295 *)*.

§ VII. In episcoporum electione præcipua ac suprema potestas episcoporum provincialium, præsertim verò metropolitarum fuisse videtur. Cleri autem ac etiam populi ius erat episcopis candidatos proponere, et de iis testimonium dare. Quòd si aliquando clerus et populus unanimi voce eundem candidatum sibi in episcopum eligi proponebant et optabant, ille, dummodò idoneus foret, ab episcopis eligendus et consecrandus erat. Neque po-

terant episcopi eum alicui populo episcopum dare, à quo, etsi idoneo, averso animo populus foret, illumque omninò respueret. In utroque hoc haud frequenti casu episcopos populi votis indulgere Ecclesiæ bonum apertè dictabat. Populus autem, cùm de sui episcopi electione ageretur, turbis sæpè agitabatur, in varias partes seu factiones divisus; imò aliquando etiam aut electoribus aut electo, ut sua vota prævalerent, vim inferebat. Ad hæc mala vitanda plura in diversis conciliis de electione iubebantur; et inde quoque natum est, ut Imperatores vel Reges pro bono pacis in episcoporum electionem influere cœperint, et quas in eâ partes, an iure an vi, populus habuerat, sibi assumpserint *(ib. n.* 296 *ad* 303 *)*.

§ VIII. Frequentes occurrunt canones, qui episcopos prohibent ab unâ ad aliam ecclesiam transmigrare, seu ad novam eligi, et priorem relinquere. Translatio tamen episcopi abs dubio licita erat, quando Ecclesiæ utilis à provinciali concilio habebatur, et ideò probabatur: sicut etiam translatio presbyteri aut diaconi, quando eam proprius episcopus opportunam censebat. Hinc translationes, etiam episcoporum, raræ non erant, gravissimis causis sæpè innitebantur; atque ab insignibus sanctitate viris dispositæ vel approbatæ fuerunt. Cuiuslibet episcopi electio aut à metropolità aut à patriarchâ confirmari opus erat: et quamquam, ut consecratio electi rata esset, unus episcopus sufficeret, æquissimum tamen videbatur, eam plurium episcoporum interventu celebrari. Circa consecrationis ritus, et prævium consecrandi examen, Carthaginensis concilii quarti priores canones legendi sunt. Variis de causis plures tunc erant episcopi sine sede propriâ: præcipuè quoniam aliqui episcopatui renuntiabant, alii verò à primo sine sede ordinabantur, vel ut alterius auxiliarii et successores futuri, vel etiam ut convertendis idololatris aut hæreticis regionum distantium utiliùs incumberent, et novam ecclesiam erigere, et gubernare possent. Hi omnes nullum episcopalis officii munus exequi possunt, ni copiam faciat episcopus loci in quo sunt: hac autem facultate vel licentiâ omnia

possunt vi consecrationis seu ordinationis episcopalis (*ib. n.* 303 *ad* 306).

§ IX. Quilibet episcopus vi consecrationis superior presbyteris est. Unde sanctus Epiphanius unam ex hæresibus Aërii esse aiebat quòd episcopis presbyteros æquales esse contenderet. In episcopatu plenitudo sacerdotii est, de qua presbyteri partem habent. Ita episcopus non solùm Ecclesiæ filios dat, quod potest presbyter, sed etiam patres, quod presbyter non valet; non enim ordinare potest neque presbyteros neque diaconos, multò minùs episcopos, sicut ille qui est episcopus consecratus. Sicut autem diaconus non merâ electione seu nominatione fit presbyter, sed novâ impositione manuum episcopi; ita presbyter non solâ electione aut nominatione fit episcopus, sed propriâ et singulari ordinatione, consecratione, aut impositione manuum alterius episcopi vel plurium episcoporum. Episcopalis muneris gravia sunt onera et maxima etiam iura, quibus episcopus in diœcesi suâ potitur. Episcoporum est clericos eligere, ordinare, et ecclesiis etiam ruralibus destinare: cleri et populi fidelis sanctificationi, ac etiam gentilium, iudæorum et hæreticorum conversioni sedulò incumbere; et res omnes ecclesiæ, ac præcipuè actus Divini cultûs accuratè dirigere. Episcoporum erat omnes ecclesias visitare, et litteras *communicatorias, commendatitias* et *dimissorias,* quæ *litteræ formatæ* nuncupari solebant, quibus opus fuisset dare. Ipsi quoque sæpè lites etiam de rebus civilibus ut arbitri, et quasi pacifici iudices, decidebant, imperialibus legibus probantibus. Episcopi potestas certis finibus arctabatur, tum à potestate superiori, nempè metropolitæ, patriarchæ, romani Pontificis, et conciliorum; tum etiam ratione loci, nempè finibus diœcesis suæ, ultra quos non extendebatur: neque in aliarum diœcesium res gubernandas, aut personas ordinandas se ingerere poterat. Si aliquando tamen vera urgens necessitas aut calamitas extraneam ecclesiam opprimebat, ei suppetias ire sancti episcopi nunquam morabantur: in quo sancti Eusebii Samosatensis ardens et efficacissima charitas eluxit (*ib. n.* 307 *ad* 312).

§ X. In auxilium episcopi ad rectam ecclesiæ gubernationem sedi episcopali præsens semper aderat senatus, synodus, aut cœtus presbyterorum ipsius urbis; ad quem in rebus arduis cæteri omnes per paræcias diœcesis dispersi, aut plures ex ipsis vocari solebant. Erant etenim extra urbem in villis aut vicis aliqui ecclesiæ ministri, nempè parochi in singulis eorum; et etiam chorepiscopi seu vicarii *foranei,* qui licèt aliquem singularem populum ut cæteri parochi specialiter regerent, simul tamen omnium alicuius tractûs ecclesiarum generalem curam, et super earum parochos quamdam auctoritatem de mandato episcopi habebant. Plures ex his chorepiscopis episcopi erant, quibus sedes propriæ defuerant, aut iam fuerant consecrati. Licèt autem presbyteri veram obedientiam et submissionem episcopo ut superiori debeant, magna tamen quoque sunt huius officii munera, iura, et auctoritas. Sacrificium offerre, seu oblationem consecrare presbyteri possunt, non autem diaconi. Itaque sunt abs dubio diaconi presbyteris in multis inferiores, cæteris autem Ecclesiæ ministris subdiaconis, acolythis, exorcistis, lectoribus et ostiariis superiores *(ib. n.* 315 *ad* 316*).*

§ XI. Præter memoratos ministrorum Ecclesiæ ordines, quidam etiam erant Ecclesiæ ministerio destinati, et capitis tonsurâ notati, nulli particulari ordini ministrorum addicti: tales erant passim pueri, quos parentes Ecclesiæ ministerio mancipabant, priùsquam ad officium lectoris aut ostiarii ordinarentur. Erant etiam in ecclesiis officia cantorum, valetudinariorum, vespillonum, et alia, ministeria quidem ad Ecclesiam spectantia habita; qui tamen illa obibant, non ideò clericis annumerabantur. Huiusmodi quoque erant officia catechistæ, œconomi, notarii, apocrisarii, atque advocati defensoris, quem Imperatores christiani pluribus ecclesiis concessere *(ib. n.* 317 *ad* 319*).*

§ XII. Plures extant ecclesiasticæ leges, quæ aliquorum delictorum reos, aut etiam quorumdam defectuum notâ inustos ab ingressu in clerum arcent; et ex eis, quæ de bigamis, pœnitentibus, et neophytis agunt,

frequentiores sunt. Quia tamen hæ leges propter singularem venerationem, quæ clericis debetur, promulgabantur; ideò passim illis solvebatur bigamus, vel alio quolibet defectu impeditus, dum talem defectum singulari virtutis ac scientiæ merito compensabat. Itaque clerus reipublicæ classis singulari veneratione digna habebatur. Quarè clerici ad sanctissimè castissimèque vivendum præ ceteris fidelibus obligati censebantur: atque etiam quoniam christiani populi sanctificationem exemplis non minùs quàm doctrinâ curare debent: et præterèa propter mysteriorum quæ pertractant dignitatem et sanctitatem. Innumeræ quoque leges sunt, quibus frequens aut familiaris cum mulieribus conversatio clericis inhibetur, aut aliàs eorum castitati, castitatisque famæ consulitur. Episcopi, presbyteri et diaconi, quamvis sæpè eligebantur coniugati, tamen postquam ordinati fuissent, à matrimonii usu semper abstinere debuisse videntur. Et leges quæ hoc præcipiunt indubitatè antiquissimæ sunt, et subdiaconos comprehendere saltem sæculo quinto cœperunt. Plures de moribus erant leges clericis impositæ, quæ fideles laicos non obligabant. Præterea clerici non consultò singulares vestes à communibus sæcularium distinctas assumpserunt; sed cùm à levi eas mutandi facilitate, et ab omni luxu ob modestiam abhorrere eis præciperetur, apud ipsos solos antiquus simplex habitus parùm immutatus permansit. Et inde sensim factum est, ut clericorum vestes à vestibus laicorum nunc omninò differant (*ib.* 320 *et* 325).

§ XIII. Clericorum causæ tum civiles tum criminales non à tribunalibus seu iudicibus urbis, sed ab episcopis seu tribunali Ecclesiæ iudicari solebant. Cùm enim imperatoris Constantini tempore urbium et provinciarum Romani iudices ferè omnes essent adhuc idololatræ, pietatis illius fuit eorum cognitioni subtrahere causas omnes in quibus de rebus christianæ Ecclesiæ aut ministrorum ipsius ageretur. Quoniam verò christianorum iudicum numero in dies aucto, incommodum illud, quod vitare Constantinus voluit, sensim cessabat; variæ atque inter se valdè discrepantes fuere leges civiles, quæ de

immunitate personarum et rerum Ecclesiæ à iudiciis sæcularibus agebant : quæ legum varietas, etiam circa immunitatem ab oneribus et tributis, deprehenditur (*ib. n.* 326 *et* 327).

§ XIV. Monachi, quorum sanctam vitam Augustinus refert, passim erant laici; et in unoquoque monasterio unicus aut pauci presbyteri esse solebant. Quæ tamen vivendi ratio in monasteriis vigere solebat, adeò erat sanctificationi, et etiam instructioni monachorum accommodata, ut ministrorum Ecclesiæ utilia seminaria sæpè monasteria forent; atque, episcopis et populis instantibus, monachi plures ad episcopatum et alios cleri gradus assumerentur. Diversis nominibus cogniti fuere monachi, atque in varias classes distributi, præcipuè in *anachoretas,* qui soli in parvis cellulis; et *cœnobitas,* qui plures in unâ domo seu monasterio sub uno superiore, patre, vel abbate vivebant. Et quamquam totâ secundâ ætate passim monachi, perinde ac cæteri fideles, spirituali episcopi auctoritati subditi fuerint, idque concilia etiam Chalcedonense sæpè iusserint aut declaraverint; eorum tamen ab episcopi loci iurisdictione immunitates, quæ postea fuere communes, saltem quinto sæculo initium sumpsisse videntur.

§ XV. Plures iam tunc erant virgines Deo dicatæ, quæ quamvis initio in domo paternâ etiam post votum virginitatis Deo sacratum habitarent, non pauca statim earum monasteria visa sunt : nempè domus, in quibus virgines plures solæ morabantur, ut labore manuum suarum faciliùs victitare possent, et à mundo magis separatæ castiùs viverent, et fideliùs Deo inservirent. Virgines Deo consecrare episcoporum erat, nec nisi auctoritate et consensu episcopi presbyteri poterant. Hæc autem consecratio veli impositione, aut etiam aliis ritibus, magnâ luminum copiâ in ecclesiâ, quasi virginis cum Christo desponsatio, splendidè celebrabatur. Quæ autem virgo se Deo dedicabat, professionem, seu sanctæ vitæ, ac præcipuè virginitatis servandæ propositum, litteris consignatum, et suâ subscriptione firmatum, altari nempè Deo offerebat. Virgines autem, quæ, ut in monasterio viverent, se

Deo dicabant, et ab episcopo consecrabantur, pauperem communemque vitam, ab omni proprietatis vitio alienam ducere, et domûs præsidi fideliter obedire debebant. Erant autem mulieres viduæ, quæ voto castitatis se Deo dedicabant; et ex virginibus aut viduis Deo dicatis, diaconissæ, quæ minimùm quadraginta annorum secundum Chalcedonense concilium esse debebant, eligebantur. diaconissæ baptismo mulierum propter decentiam ministrabant, necnon catechumenarum instructioni, infirmarum curæ, aliisque charitatis et pietatis officiis, quæ ipsis ab ecclesiâ seu episcopis committebantur, incumbebant. Quandoque etiam *diaconissæ* nomine illæ viduæ intelliguntur, quarum mariti diaconi fuissent; sicut quædam mulieres *episcopæ* et *presbyteræ* memorantur, quæ scilicet episcoporum vel presbyterorum viduæ erant *(ib. n.* 331 *et* 332 *)*.

§ XVI. Alendis omnium ordinum clericis, cæterisque Ecclesiæ officialibus ac famulis, et omnibus ædificiorum ac cultûs sumptibus solvendis, ingens bonorum copia in ecclesiis esse solebat ætate secundâ, ut antea diximus. Nunc verò addendum est, magnâ vigilantiâ et pluribus legibus cautum fuisse, ne Ecclesiæ bona alienatione, usurpatione, aut iniustâ detentione deficerent; sicut etiam ut ad iustitiæ et pietatis normam accuratè distribuerentur. In quo multùm laudari solet antiqua in tres aut quatuor partes bonorum divisio, nempè inter episcopum, clerum, ædificia sacra, pauperesque: quanquam vix ac ne vix quidem credi potest erga omnes Ecclesiæ redditus ac proventus, omnesque qui participandi bona Ecclesiæ ius habebant, vulgatam divisionem obtinuisse *(ib. n.* 333 *)*.

§ XVII. Postquam de Ecclesiæ ministris, ac bonis temporalibus verba fecimus, de eius mysteriis atque sacramentis agendum est. In iis magnâ cautelâ et secreto agebat Ecclesia, ut à gentilium irrisionibus mysteria et sacramenta defenderet; et ut ab iis qui ad fidem convertebantur maiori veneratione colerentur. Hinc quæ ad celebrationem mysteriorum et sacramentorum pertinet, *disciplina arcani* vocata est: quo nomine duo præcipuè

antiqui mores significantur: primò, quòd mysteriorum celebrationi neque gentilibus, neque etiam catechumenis fas erat interesse: secundò, quòd clara mysteriorum aut sacramentorum Ecclesiæ explicatio iis quoque passim negaretur. Hæc autem arcani servandi praxis, mutatis temporum ac locorum circumstantiis, severior aut indulgentior erat, prout maius aut minus periculum irrisionis infidelium et irreverentiæ neophytorum imminebat. Credendum est tamen symbolum Apostolorum, liturgias seu ordinem eorum quæ in sacrificio Missæ peraguntur et recitantur, et formulas sacramentorum seu orationes quibus sacramenta administrari solent, iam ipsorum Apostolorum tempore vel paulò post ab eorum discipulis fuisse scripta. Et si aliquando à Christo et Apostolis ex ore tantùm traditione ad nos pervenisse quidam antiqui asserunt, unicè contendunt, neque à Christo neque ab Apostolis authenticâ scripturâ consignata fuisse, sed tantùm ore tradita. Hæc autem Apostolorúm ab ore traditio scriptis suorum discipulorum conservata fuit, licèt paucis in exemplaribus, quæ à præcipuis ecclesiarum ministris ita servarentur, ut in gentilium aut profanorum manus non facilè inciderent *(ib. n.* 334 *ad* 336 *)*.

§ XVIII. Homines, ut egregiè aiebat Augustinus, in unum religionis corpus coire nequeunt, nisi mediis quibusdam signis aut sacramentis visibilibus. Primum sacramentorum illud est, quo in Ecclesiæ corpus seu societatem ingredimur, nempè *baptisma,* quod in remissionem peccatorum in symbolo Constantinopolitano confitemur: peccatorum scilicet omnium, tam eorum quæ cogitatione, verbo, aut opere, per ignorantiam vel malitiam propriâ voluntate committimus, quàm originalis, nempè illius, quod ex Adamo contrahimus. Hinc etiam pueri recens nati, si periculum mortis imminet, abs dubio baptizandi sunt; et licèt non immineat, iustè et opportunè baptizantur, ut nempè à peccato originali mundentur, filii Dei et hæredes Christi fiant, membra quoque Ecclesiæ cuius Christus caput est, et templum seu habitaculum Spiritûs Sancti. Baptismatis susceptionem multùm differre in more fuit, aut potiùs in abusu; nam sæpè absque

ullâ rationabili et iustâ causâ differebatur. *Catechumeni* vocabantur qui ad baptisma recipiendum se parabant: parabant autem tum instructionibus opportunis, tum voluntariis quibusdam corporis afflictationibus, tum etiam exorcismis, salis degustatione, et aliis Ecclesiæ institutis. Deinde iis ministrabatur baptisma opportunis cæremoniis, in quibus pro diversitate temporum ac locorum quædam diversitas invenitur. Benedictio tamen aquæ, abrenuntiatio satanæ, fidei confessio, et unctio olei catechumenorum ante baptisma; post illum verò unctio chrismatis in vertice capitis, veli super caput impositio, et cerei traditio communia admodùm fuere. Et duo semper et ubique ad baptismi rationem omninò necessaria existimata sunt, nempè ablutionem aquâ naturali fieri, et sanctissimam Trinitatem invocari *(ib. n.* 337 *ad* 344*)*.

§ XIX. Baptismum consequitur Confirmationis sacramentum, quod *manuum impositio, chrismatis sacramentum, signaculum spirituale,* et aliis nominibus appellari consuevit. Impositione autem manuum episcopi cum unctione sancti chrismatis in fronte baptizati, et invocatione Spiritûs Sancti, confertur fortitudo ad resistendum diabolo. Unde qui per baptismum christiani sunt, confirmatione receptâ perfecti christiani fiunt. Et quamquam auctoritate et consensu episcopi aliquando, præcipuè in Ægypto, confirmationem aliquis presbyter ministraverit, id tamen permitti non debet: episcopus enim proprius Confirmationis minister est, et ipse solus potest chrisma conficere. Sed iam de sacramento Eucharistiæ verba faciamus *(ib. n.* 345 *)*.

§ XX. Ante omnia in hoc augusto sacramento Christi corpus verè ac re ipsâ contineri, seu verè præsens adesse, et non tantùm eius figuram, Ecclesia etiam secundâ eius ætate constanti fide profitebatur. Hanc præsertim sancti Patres frequentissimè testantur; et inde charitatem Christi erga nos mirè commendant, ex eò quòd nobis suam carnem ut comedamus, et sanguinem ut bibamus dederit, quod amoris signum neque pastores ovibus suis, neque matres filiis unquam dedere. Mirantur quoque Dei omnipotentiam in rarissimis Eucharistiæ

portentis: ex. g. ut idem corpus Christi quod in cœlis est, simul locis terræ innumeris in manibus hominum adsit: ut ipse in ultimâ cœnâ suum proprium corpus in manibus suis gestasset, suum corpus comederit, et suum sanguinem biberit: ut eodem tempore totum corpus Christi innumeris hominibus tradatur, totum in quolibet homine recipiente sit, et totum in cœlo maneat, etc. Atque similia portenta humanæ menti incomprehensibilia esse fatentes, monent insaniam et impietatem fore de iis dubitare; quoniam qui dixit *Caro mea verè est cibus,* ipse est qui res ex nihilo creavit, et alia incomprehensibilia miracula fecit. Hæc autem omnia ridicula omninò forent, si in Eucharistiæ sacramento non nisi figura corporis Christi esset, et illud non nisi fide et charitate spiritualiter comederemus *(ib. n.* 346 *).*

§ XXI. Asserunt etiam sancti Patres panem in corpus Christi et vinum in sanguinem verè converti, sicut in Canâ Galilææ aqua in vinum conversa est. Ex eo quòd corpus Christi verè in Eucharistiâ sit, arguunt contra hæreticos Christum in Incarnatione verum corpus assumpsisse. Celebrationem Eucharistiæ vocant oblationem sacrificii incruenti in memoriam mortis Christi. In hac sacrâ oblatione, aiebat sanctus Gregorius Magnus, ipse Dei unigenitus pro nobis immolatur: eius caro pro salute populi distribuitur, et eius sanguis funditur, non inter infidelium manus, sed in ore fidelium. Ex fide realis præsentiæ Christi in Eucharistiâ, quanta debeat esse morum innocentia aut vitæ sanctitas ad illam recipiendam vividè colligunt, præcipuè sanctus Ioannes Chrysostomus *(ib. n.* 347 *ad* 350 *).*

XXII. Ipsi autem Patres, qui præsentiam Christi in Eucharistiâ expressè confitebantur, aliquando etiam in hoc sacramento esse aiebant figuram, imaginem aut signum corporis Christi, quod certè verissimum est. Nam primò panis et vini species abs dubio sacramentum, figura, seu repræsentatio sunt corporis et sanguinis Christi, quæ sub ipsis latent. Deinde corpus Christi sub specierum velo repræsentatio et commemoratio est sui ipsius non solùm in cruce sed etiam in cœlo. Præterea verum

Christi corpus in sacramento signum quoque est ac figura corporis mystici Christi seu Ecclesiæ, quatenùs Ecclesiæ unitas repræsentatur in pane, qui ex pluribus granis, et in vino, quod ex pluribus uvis efficiuntur, ut aiebat Augustinus *(ib. n.* 351 *)*.

§ XXIII. In hoc sacramento non nisi panis ac vinum aquæ mixtum offerenda et consecranda sunt. Consecratio autem iis verbis perficitur, quibus Christus in ultimâ cœnâ usus est, et quæ sacerdos non nomine proprio, sed nomine et auctoritate Christi profert: ita ut verba quidem ab ore sacerdotis, consecratio autem et donorum mira transmutatio in corpus Christi, à virtute Christi procedant. Itaque, ut iure concludit sanctus Gregorius Nissenus: « Sicut semel tantùm dixit Deus: *Crescite et « multiplicamini,* et omni tempore huius omnipotentis « verbi effecta consequuntur: ita verba illa consecrationis « semel tantùm Christus in ultimâ cœnâ protulit; et ta« men usque ad præsentem diem, imò usque ad secundum « eius adventum, in omnibus sacris Ecclesiæ mensis verba « illa efficax validumque sacrificium esse faciunt ». Demum secundâ Ecclesiæ ætate Eucharistiam, ut infirmis ministraretur, in Ecclesiâ servari; et persecutionum tempore, ac etiam postea, apud anachoretas, aut aliis iustis de causis à piis quoque laicis domi suæ quandoque retineri, in more sine dubio fuit. Moribundis eam petentibus nunquam denegabatur: in iis autem casibus sub solâ specie panis sumebatur. Et si aliquando, ut Gelasius etiam papa iubebat, in aliquibus ecclesiis non sub solâ specie panis, sed etiam sub specie vini à fidelibus omnibus sumi præscribebatur; ita necessarium tunc erat, ad aliquam vitandam superstitionem, præcipuè eorum hæreticorum qui vini usum illicitum putantes, Eucharistiam aut in solo pane, aut solùm in pane et aquâ conficiendam dicebant. De communione magis vel minùs frequenti sancti Basilius et Augustinus consulendi sunt *(ib. n.* 352 *ad* 355 *)*.

§ XXIV. Circa sacramentum Pœnitentiæ nos multa edocent ex græcis *Constitutiones Apostolicæ*, et scripta sancti Dionysii Areopagitæ: ex latinis verò sancti Am-

brosius et Augustinus. Ecclesia potestate à Deo sibi concessâ utens, peccata non clericorum modò, sed etiam aliorum fidelium puniebat, eos à bonorum Ecclesiæ communione variis modis arcens, seu variis excommunicationis generibus mulctans. Etenim quandoque non nisi communionem eucharisticam recipere peccatori prohibebatur: quandoque etiam orationibus fidelium aut etiam catechumenorum interesse, et quandoque etiam lectioni Scripturæ et episcoporum concioni. Hæc ultima excommunicatio anathemati proxima erat, seu anathema ipsum: nempè tota illa peccatoris ab Ecclesiæ corpore separatio, quæ ab omni unione cum Ecclesiâ, etiam ab ingressu ad loca sacra penitùs arcebatur: unde consequens erat, ut fideles tales reos exhorrescerent, et ob respectum censurarum Ecclesiæ, etiam ab eorum civili conversatione abstinere conarentur *(ib. 356 ad 373)*.

§ XXV. Excommunicationis autem pœna, quamquam utilissima, non infligebatur, quando aut ob reorum multitudinem, aut ob eorum circumstantias, maiorum malorum occasionem ex ipsâ nascituram fore timebatur: qua de re sanctus Augustinus prudentissimè disserebat. Erga principes viros, populorum dominos vel gubernatores, aut à fide apostatas, aut aliorum gravissimorum scelerum reos publicos, quamquam in Ecclesiæ communione nec emendati, nec pœnitentes persistere vellent; nunquam eæ maiores excommunicationes ferebantur, quarum vis ad civile quoque commercium extendebatur, quatenùs ita excommunicatum cæteri fideles abhorrere ac fugere ex religione solebant. Ad huiusmodi viros urbana et rationum pondere efficacissima monita dirigebat Ecclesia, ut neque sacramenta recipere, neque ecclesiasticis officiis interesse, ex Ecclesiæ legibus licitè posse intelligerent *(ib. n. 374 et 375)*.

§ XXVI. Iam verò peccatum omne grave aliquâ excommunicatione mulctandum censebatur, minimùm privatione recipiendæ communionis Eucharistiæ. Peccatori autem excommunicatione mulctato aliqua pœnitentiæ opera iniungi solebant, quæ pro peccati gravitate magis vel minùs laboriosa erant et diuturna. Hæc in ca-

nonibus, quos *pœnitentiales* vocant, præscribuntur, ad dirigendum non modò publicum de peccatoribus iudicium, sed occultum etiam ex auriculari confessione. Christianus post baptismum in peccatum lapsus, ut veniam à Deo consequatur, ad Ecclesiæ claves seu iudicium confugiat necesse est; quod si neque motu proprio neque monitus ita fecerit, in iudicium Ecclesiæ vocandus est: Ecclesia autem, nisi convictus fuerit aut confessus, nullâ cum pœnâ mulctabit. In iudicandis autem peccatoribus ab aliis accusatis cautissimè agebat Ecclesia (*ib. n.* 376 *ad* 382).

§ XXVII. Illi autem qui reos se esse cognoscentes, peccatorum veniam desiderant, necesse est ut peccata sua confiteantur, non solùm Deo, sed etiam sacerdoti Dei ministro, qui condignam pro peccatis confessis pœnitentiam reo imponit. « Mediator enim Dei et hominum « homo Christus Iesus, ut aiebat sanctus Leo Magnus ad « Theodorum Foroiuliensem, hanc præpositis Ecclesiæ « tradidit potestatem, ut et confitentibus actionem pœ« nitentiæ darent, et eosdem salubri satisfactione purga« tos ad communionem sacramentorum per ianuam re« conciliationis admitterent ». In quibus sancti Leonis verbis quinque circa pœnitentiam actus distinguimus; confessionem, impositionem pœnitentiæ, satisfactionem, reconciliationem seu absolutionem, et communionem (*ib. n.* 383 *ad* 385).

§ XXVIII. Licèt autem peccatorum confessio publicè aliquando laudabiliter fiat, hoc tamen necessum non est, imò neque multoties expedit; atque peccata, quæ ex reorum confessione sacerdoti innotescunt, animo in perpetuum obsignata esse debent. Ut enim aiebat sanctus Ioannes Crhysostomus: « Qui voluerit ad confessionem « facinorum festinare, et ulcus ostendere medico, qui « curet et non exprobret, atque ab illo remedia accipere, « ac soli ei loqui, nullo alio conscio, et omnia dicere « cum diligentiâ, facilè peccata sua emendabit: confes« sio enim peccatorum abolitio etiam est delictorum ». Sanctus Leo Papa contra novam eorum præsumptionem invehitur, qui publicam peccatorum confessionem neces-

sariam esse aiebant; et ex apostolicâ regulâ ut omninò certum asserebat, *reatus conscientiarum sufficicere solis sacerdotibus indicari* confessione secretâ. Pœnitentia autem pro peccatis aliquando publica erat, vel *confessarii* iussu, ut publicis pœnitentiæ operibus eis, quibus scandalo peccator fuerat, fieret satis; vel liberâ omninò pœnitentis voluntate *(ib. n.* 386 *ad* 389*)*.

§ XXIX. Iam verò pœnitentiæ publicæ quatuor gradus memorantur; flentium, audientium, prostratorum, et consistentium. *Flentes* dicebantur, quibus ingressus in ecclesiam, et conciones lectionesque audire, quod neque gentilibus denegabatur, defendebatur; atque fletibus suis extra ecclesiæ ianuam clerum et populum ad misericordiam movere satagebant. *Audientes,* qui ecclesiam ingrediebantur ut conciones audirent, sed cum gentilibus, aut paulò post exibant. Atque isti duo gradus admissionem ad pœnitentiam supplicantium, potiùs quàm pœnitentium vocari poterant. *Prostrati* seu veri pœnitentes ii erant, qui coram sacerdote genuflectebant: eisque sacerdos imponebat manus, et pro eis orabat; ipsos verò ieiuniis, eleemosynis, cæterisque pietatis operibus, eis à sacerdote iniunctis, fideliter incumbere oportebat. Post hunc statum *consistentes* seu *congregati* vocabantur pœnitentes, dum iam cum fidelibus in omnibus Ecclesiæ officiis consistebant, et solùm Eucharistiæ communione, ut ad ipsam recipiendam meliùs se pararent, privabantur. Publicis pœnitentibus plura aliunde licita interdicebantur: et qui huiusmodi fuerant, ad clerum admitti non poterant. Maiori pudore fideles suffundi consueverant publicâ pœnitentiâ, quàm peccatorum confessione sacerdoti factâ: imponebatur autem non ob quælibet crimina, sed ob aliqua gravissima, et nunquam clericis, nec plùs quàm semel: eiusque rigorem episcopus temperabat, tempusque breviabat, prout magis expedire arbitrabatur *(ib. n.* 390 *ad* 394*)*.

§ XXX. Eum, quem peccatorum pœnitet, sacerdos reverâ absolvit: quam potestatem sanctus Ioannes Chrysostomus in libris *De sacerdotio* egregiè extollens, hæc inter alia habet: « Corporis lepram purgare, seu veriùs

« dicam haud purgare, sed purgatos probare, iudæorum « sacerdotibus solis licebat. At verò nostris sacerdotibus « non corporis lepram, verùm animæ sordes, non dico « purgatas probare, sed purgare prorsùs concessum est. In pœnitentiâ publicâ hæc absolutio pœnitentibus prostratis, seu in statu vel gradu prostrationis concedebatur. Tunc enim sacerdotes pœnitentibus manus imponebant, et pro eis orabant : oratione autem, seu manuum supra pœnitentem impositione, sacerdotes peccata dimittunt. Pœnitentibus, præter absolutionem à peccatis, necessaria erat absolutio ab ipsâ pœnitentiâ canonicâ, qua de statu seu classe pœnitentium se expediebant, et Ecclesiæ communioni integrè et omninò restituebantur. Hæc novissima reconciliatio, seu perfecta ab omni excommunicatione et pœnitentiæ onere absolutio, in hebdomadâ sanctâ ritu solemni concedi solebat: quamquam episcopus eam quolibet tempore impertiri posset; et graviter infirmis eam petentibus nunquam denegabat, ne extra communionem Ecclesiæ morerentur. Gravissimorum criminum reis tum peccatorum absolutio, tum præcipuè perfecta reconciliatio seu communio eucharistica sæpè differebatur, donec in aliquibus pœnitentiæ operibus se se exercuissent. Pœnitentiæ administratio ad episcopum pleno iure pertinet; qui tamen presbyteris eam committere potest. Et hæc de sacramento Pœnitentiæ : superest ut de tribus aliis sacramentis, Extremâ unctione, Ordine, et Matrimonio nonnulla dicamus *(ib. n.* 395 *ad* 399 *)*.

§ XXXI. Unctio infirmorum sacramentum est dans salutem animæ, et peccata remittens; ad cuius administrationem opportunas orationes continet *Sacramentarium* sancti Gregorii Magni. Oleum ab episcopo benedictum esse oportet. Et quamquam sanctus Iacobus infirmis ad *sacramentalem* unctionem vocare presbyteros præcepisset, sanctus Innocentius Papa dubitandum non esse asserit eam quoque ab episcopis ministrari posse. Pœnitentibus autem, addebat sanctus Pontifex, hæc unctio ministrari nequit, quia sacramentum est; sacramenta verò pœnitentibus denegantur. Ab hac *sacramentali* unctione omninò differunt aliæ, quæ vel oleo vel aquâ benedictis

ab aliquo monacho, vel insigni pietate viro, infirmis ministrari solent firmâ cum spe quòd Deus eis salutem concedet; quemadmodum orantibus apostolis, etiam priùsquam sacerdotes essent, plures infirmi sanabantur (*ib. n.* 400).

§ XXXII. Ministrorum Ecclesiæ ordinatio etiam sacramentum est. Sicut enim verbis, quibus baptisma ministratur, talem vim Deus dedit, ut per ipsa homini baptizato ea gratia conferatur, qua filius Dei sit; ita verbis episcopi ordinantis sacerdos eius benedictionem recipiens in novo quodam statu singulari, augusto, venerando, ab omni alio statu distincto, constituitur. Et licèt sacerdos, dum ordinatur, extrinsecùs non immutetur; interiùs tamen invisibili virtute et gratiâ reformatur et melioratur. Ita disserebat sanctus Gregorius Nazianzenus. Et, ut sanctus Augustinus aiebat, utraque, baptismus et ordinatio, sacramenta sunt: utraque consecratione conferuntur: consecratur enim homo dum baptizatur, et consecratur dum ordinatur. Unde in Ecclesiâ catholicâ neque baptisma neque ordinatio iterari possunt. Ex eodem principio colligebat Augustinus ordinationes à schismaticis factas ratas esse perinde ac baptisma ab ipsis datum. Neque ab ipsis ordinatos iterum ordinandos esse, ut suo ministerio, si aliunde idonei sint, fungi possint. Ita quoque ordinationes ab episcopis hæreticis, intrusis, simoniacis et depositis peractæ, licèt horrenda sacrilegia, ratæ tamen sunt; et solùm irritæ, vanæ, aut falsæ dicuntur, quatenùs legibus canonicis omninò adversantur, et ita ordinatis officium omne, seu exercitatio susceptorum ordinum, severissimè interdictum est (*ib. n.* 401 *et* 402).

§ XXXIII. Ordinatio sæpè *manuum impositio* vocari solet: manuum autem impositio multiplex est, et valdè diversos effectus sortitur, prout diversis orationibus coniungitur. Sic ex. gr. exorcista manus imponit dæmoniacis, et benedictio episcopalis etiam aliquando impositio manuum vocata est. Augustiores autem manuum episcopi impositiones illæ erant, quibus perfecti christiani et ministri Ecclesiæ fiebant, confirmatio nempè et ordina-

tio. Et hinc est quòd diaconissis manus non imponi ait Nicæense concilium, ita ut ministerium seu gradus in clero eis conferatur; quamvis dum in suo officio ab episcopo constituebantur, benedictionem atque adeò aliquam impositionem manuum eas recipere dici poterat *(ib. n.* 403 *)*.

§ XXXIV. Licèt in omni societate civili plura bona secum adferat matrimonium, præcipuè quod ad generandos et educandos filios castitatemque fovendam spectat, in populo tamen christiano, ut observat S. Augustinus, singulari quodam bono illustratur, sanctitate nempè sacramenti: cùm matrimonium christianorum sit signaculum seu sacramentum quoddam multò sanctitate præstantiùs quàm fœcunditate. Hinc adeò indissolubile est, ut licèt ius civile propter adulterium eius vinculum dissolvi permitteret, ut coniux innocens alteri nubere posset; matrimonium tamen christianorum, ut ait Augustinus, adhuc post adulterium ita subsistit, ut coniux innocens ab adultero discedere possit, alteri tamen nubere non possit. Matrimonia quædam vera esse poterant et christiana, quamvis à legibus civilibus rata et vera non haberentur, sed concubinatus vocarentur. Unde primum Toletanum concilium declarabat unicam mulierem legitimam esse posse, sive nomine coniugis, sive nomine concubinæ. Atque hinc notum est *concubinæ* nomine etiam intelligi posse legitimam uxorem, à qua maritus licitè separari non possit; licèt passim eo nomine significetur mulier, illegitima uxor, à qua vir separari debeat *(ib. n.* 404 *)*.

§ XXXV. Matrimonium sponsalia præcedere solebant, quæ sæpè inter pueros ab eorum parentibus aut tutoribus solemniter celebrabantur. Ad matrimonium verò parentes seu paranymphi sponsum et sponsam sacerdoti offerebant, qui eis nuptialem benedictionem pro ipsis orans impartiebatur. Unde aiebat sanctus Basilius matrimonii iugum benedictione imponi: benedictioni autem alii ritus iungi solebant, ut coniunctio manuum ipsorum contrahentium, et impositio veli super ipsos. Plurimæ iam id temporis erant leges humanæ, quæ matrimonia

quædam vetabant, aut irrita faciebant; seu quæ impedimenta statuebant, aut *impedientia* quæ matrimonium reddebant illicitum, aut *dirimentia* seu quorum vi nullum erat. Hìc autem monere sufficiat aliqua impedimenta à potestate civili, alia etiam à potestate ecclesiasticâ constituta fuisse *(ib. n.* 405 *ad* 408*)*.

§ XXXVI. De sacramentis agebat Ecclesia, eaque passim ministrabat in suis cœtibus seu conventibus; qui duplicis erant generis. Aliquando præcipui Ecclesiæ ministri ipsi soli coibant, ut de illius regimine agerent, necnon ut quæstiones seu dubia circa doctrinam et disciplinam orta deciderent et terminarent. Alii cœtus erant omnium eiusdem populi seu parœciæ christianorum in unum sæpè coëuntium, ad incruentum sacrificium Deo offerendum, ad canendas Dei laudes, ad Deum suppliciter et fervidè exorandum, itemque ut fidelium plebs à ministris Domini instrueretur, et in sanctâ vitâ dirigeretur. Priores cœtus vocari solent *synodi* seu concilia; quæ ut antea dicebamus multiplicis generis sunt, sæpè frequentia, et aliquando necessaria, quamvis periculis quidem obnoxia *(ib. n.* 409 *et* 410*)*.

§ XXXVII. In religiosis conventibus, quos fideles in singulis populis seu parœciis celebrant, duo præcipuè consideranda sunt: locus in quo celebrantur, et series eorum quæ in ipsis aguntur. Locum *ecclesiam, domum Dei, oratorium,* aliisque nominibus appellabant. Ecclesiæ seu loca sacra iure asyli, quod aliis ædificiis seu locis romanæ leges concesserant, post pacem subitò fruebantur; pluresque leges promulgatæ fuerunt, ut eo privilegio debitores, servi aliique non abuterentur. Ecclesiæ passim ornatissimæ erant, tum ditiore supellectili, qua ædificia profana decorabantur, tum duplici aliâ ecclesiis propriâ, nempè votis seu anathematibus, et inscriptionibus ex sacris Libris sumptis. Anathemata autem seu vota ea præcipuè dona erant, quæ fideles in ecclesiæ columnis seu parietibus appendebant in signum et memoriam alicuius singularis beneficii à Deo impetrati. Unde Theodoretus aiebat: infirmos sæpè quod petunt accipere, dona in signum salutis adeptæ oblata testificantur. Alii

enim aureos vel argenteos oculos appendunt, alii pedes, alii manus. Erat in singulis ecclesiis plerumque unicum altare, seu sacra mensa; quamquam plura esse altaria in unâ ecclesiâ iam à sæculo quarto in more esse incœperat. Altaria non presbyter, sed solus episcopus consecrare poterat, et quidem unctione chrismatis, et benedictione. Sub altari reliquiæ martyrum collocabantur. Ecclesiarum usui plurima et diversa erant vasa, candelabra et lampades, et magna sacrarum vestium copia. Sacri enim ministri in religiosis actibus aliis vestibus uti solebant; extra ecclesiam aliis, quamvis forma similibus et nomine *(ib. 411 ad 416)*.

§ XXXVIII. Conveniebant in ecclesiâ fideles die noctuque Deum orare, psalmos canere, sacrasque legere Scripturas. *Res* autem seu actio omnium maxima quæ in ecclesiis videbatur, ea erat, quam latini *Missam,* græci *Liturgiam,* aut aliis nominibus appellabant; et duabus partibus constabat, *Missa* nempè *catechumenorum,* et *Missa fidelium.* Missa catechumenorum quæ prior erat, à peccatorum confessione sumebat initium. Episcopus vel presbyter eam celebrans populum sæpiùs salutabat dicens, vel *Dominus vobiscum,* vel *Pax nobis.* Erant in hac Missâ psalmorum cantus, lectiones Librorum sacrorum, supplex invocatio *Kirie eleison,* hymnus *Gloria in excelsis,* epistolæ lectio atque evangelii, sermo ad populum, et orationes pro catechumenis, dæmoniacis, et pœnitentibus *(ib. n. 417 ad 424)*

§ XXXIX. Post hæc sequebatur Missa fidelium, in qua symbolum recitabatur, fiebat oblatio, et multiplex oratio ad Deum. Post oblationem lotis manibus, sacerdos augusti sacrificii actionem ieiunus aggrediebatur. In canone, seu in ordine vel regulâ dicendorum et agendorum in sacrificio, commemoratio fiebat vivorum, mortuorum, et sanctorum; et hic ordo seu canon ipsissimus nunc est in ecclesiis catholicis Occidentis, qui in codice sancti Gelasii romani Pontificis legebatur. Oratio Dominica, seu *Pater noster,* pars erat etiam Missæ fidelium. Eucharistica communio à fidelibus summâ veneratione recipiebatur, et sacerdos Missam celebrans omni populo

benedicebat. Magna erat apud omnes ecclesias præcipuorum seu augustissimorum rituum uniformitas, et ubique orationes nonnullæ submissè dicebantur. Missæ erant tum publicè tum privatæ; et aliquæ *præsanctificatorum* vocabantur, illæ nempè in quibus non consecrabatur, sed sumebatur Eucharistia quæ diebus præcedentibus consecrata fuerat. Dici autem solebant *Missæ sanctorum*, quæ in anniversariis festis martyrum aut etiam confessorum celebrabantur; et *Missæ defunctorum*, quæ pro eis, præcipuè statim post mortem, tertio, nono, aut quadragesimo die ab ipsorum morte, et postea anniversario die offerri solebant *(ib. n.* 425 *ad* 436 *)*.

§ XL. In Missâ plures erant benedictiones : in Ecclesiâ autem semper benedictiones fuere, non personarum modò sed etiam rerum, earum præcipuè quæ Divino cultui inserviunt, ut panis et aqua. Benedictio sæpè manuum impositio vocatur; quoniam benedictio propriè est illa episcopi vel presbyteri oratio, quam ad Deum elevat pro aliquâ personâ, aut circa rem determinatam, et super eam manus extensas dum orat habere, ac etiam signum crucis manu conficere solet. Panis benedictus in signum communionis Ecclesiæ, aut etiam singularis amicitiæ donari solebat; et frequens tunc iam erat christianorum consuetudo incipiendi prandium aut cœnam à benedictione mensæ, câque oratione seu gratiarum actione terminandi. Imò antequam biberent signo crucis se munire, et nomen Iesu invocare solebant *(ib n.* 437 *et* 438 *)*.

§ XLI. In Sanctorum memoriam, non solùm martyrum sed etiam confessorum, frequentia festa celebrabantur. Festum autem solemnius dies erat Dominica: in qua licèt à servilibus operibus cessandum esset, non difficulter tamen iter faciebant christiani, cibum parabant, et cùm iustâ causâ interesset, cuilibet servili operi incumbebant. Festis diebus pietatis et religionis operibus vacandum erat. Angelos et Sanctos, Dei præsentiâ beatos, intercessione suâ fideles adhuc vivos adiuvare, nostros esse advocatos, pro nobis exorare, atque Ecclesiam eorum precibus se se commendare, passim observant sancti

Patres; et in hymnis aut panegyricis illos alloqui et orare solent. Itaque Sanctos colebat Ecclesia, quin tamen in superstitionem induceretur, nedum in idololatriam. Ad Sanctorum cultum pertinebat veneratio qua eorum imagines Ecclesia prosequebatur. Ut enim præclarè aiebat sanctus Basilius, cultus imaginis ad ipsum typum per eam repræsentatum refertur : unde imaginem Regis Regem vocamus, quin tamen duo Reges sint. Ætate verò secundâ haud rarus iam erat in ecclesiis sanctarum usus imaginum : sive ad instructionem populi factum aliquod seu historiam repræsentarent, sive ad memoriam seu venerationem Iesu-Christi, aut alicuius sancti excitandam unicè pingerentur. Longè verò universalior tunc erat reliquiarum quàm imaginum cultus ; et ingenti gaudio celebrari solebat earum reliquiarum inventio, quæ persecutionum tempore in locis abditis absconditæ fuerant, quin loci memoria remaneret ; magnâque sollicitudine ad novas ecclesias aut nova erigenda altaria quærebantur, quasi sine ipsis erigi non possent. Demum signo crucis Christi frequentissimè ac devotissimè, in actibus non solùm religiosi cultûs, sed etiam vitæ civilis christiani utebantur. Crucem autem ipsam, in qua Christus passus est, et ligni ipsius particulas singulari religione colebant ; sicut etiam cruces omnes, aut pictas, aut sculptas, aut quomodolibet fabrefactas, in memoriam et repræsentationem crucis Christi *(ib. n. 439 ad 449).*

§ XLII. Ieiunia quadragesimæ, quatuor temporum, et quædam alia, quasi ex præcepto servabantur. Sanctus Leo Magnus expressè ait, quadraginta dierum ante Pascha ieiunium à Divinâ institutione ortum ducere. Et ut legem abstinentiæ omnibus adscribi temporibus ostendat, memorat ieiunium vernum in quadragesimâ, æstivum in Pentecoste, autumnale in mense septimo, et hiemale in decimo. Frequentes erant quoque, diversisque de causis fidelium publicæ supplicationes. Quædam statis anni diebus fiebant, ut litaniæ in Ascensione seu Pentecoste; et quas sanctus Gregorius Magnus instituit die sancti Marci, quibus Dei benignitatem pro terræ fructibus implorari videtur. Aliæ tempore pestis, belli, famis, terræ-

motûs, seu publicarum calamitatum. Solemnes etiam ac festivæ aliquando fiebant, ut quando de unâ ad aliam ecclesiam eiusdem urbis reliquiæ alicuius sancti transferebantur *(ib. n. 450 ad 453)*.

§ XLIII. Erga defunctos magna semper fuit apud christianos pietas: exequiæ cum frequenti cleri et populi concursu, psalmorum cantu magnâque luminum copiâ solemniter fiebant: sepulcra verò passim erant extra ecclesiam. Gentilium morem defunctorum cadavera cremandi, seu in cineres reducendi, christiani semper exhorruisse videntur: et aromatibus aut balsamis, et præcipuè myrrhâ utebantur, ut corruptionem impedirent vel retardarent. Multa erant quoque fidelium suffragia pro defunctorum animabus, pro quibus eleemosynæ, orationes ac sacrificia præcipuè offerebantur. Constans enim erat fides ignis purgatorii, seu status animarum iustarum pœnas levium culparum post mortem luentium, ut Deo tandem fruantur. Ut enim præclarè aiebat sanctus Gregorius Nissenus, sicut aliqui iam in vitâ mortali omninò purificantur, aliis post mortem adhuc in igne purgandum aliquid superest, ut ad æternam felicitatem pervenire valeant. Et hæc de Ecclesiâ, eiusque ministris, rebus sacris, nonnullisque functionibus dicta sufficiant. Nunc de doctrinâ morum, quæ in ipsâ secundâ ætate tradebatur, pauca dicamus *(ib. n. 454 ad 459)*.

§ XLIV. Quæ de principiis morum, de præceptis ac de stimulis ad eorum adimpletionem excitantibus sacræ novi Testamenti scripturæ nobis proponunt, quorum aliqua ætate primâ capite octavo indicavimus, tam diffusè et tantâ doctrinæ copiâ exponuntur et illustrantur, tum in Scripturæ commentariis, tum in homiliis, orationibus, cæterisque scriptis sanctorum Patrum, et aliorum secundæ ætatis Ecclesiæ scriptorum, ut impossibile omninò sit tam vastam provinciam brevi tabulâ comprehendere. Opportunum tamen censeo quædam capita indicare, ut quàm pura et solida de iis doctrina Patrum fuerit, apertè constet *(ib. n. 460)*.

§ XLV. Ac primò quidem contra usuram plures sunt conciliorum canones, et sanctorum Patrum vehe-

mentes declamationes: quibus etiam convincitur vana omninò atque ridicula esse ex ratione naturali petita argumenta, quibus usuram evangelicâ lege prohibitam non esse aliqui sibi persuadere conantur. Atque hac in re observare satis sit quæ sancti Basilius, Gregorius Nissenus et Ioannes Chrysostomus ex græcis, ex latinis verò Ambrosius, Augustinus et Leo Magnus de usurâ disseruerunt. Præterea Sanctorum etiam Patrum doctrinâ in tuto ponitur virginitatem perpetuam et vitam monasticam legi naturali adversas non esse, lege autem evangelicâ commendari ac suaderi (*ib. n.* 461 *ad* 465).

§ XLVI. Quid verò de pœnis corporalibus in hæreticos Sancti Patres edocent? Profectò leges omnes ab Ecclesiâ latæ in hæreticos eo solùm collimasse videntur, ut ipsi corrigerentur, atque ne cæteros fideles perverterent: unde excommunicatione statim mulctabantur. At Imperatores christiani cùm ex hæresibus populorum commotiones, cruentas rixas et frequentia delicta, quibus reipublicæ pax turbabatur, nasci animadverterent, plures in hæreticos sævissimas quoque leges promulgabant. Non deerant tamen sancti plures episcopi, qui catholicos ad civilem potestatem contra hæreticos confugere indecens putabant, nisi fortè ut de criminibus contra quietem seu ordinem reipublicæ perpetratis punirentur: nunquam verò congruum aut licitum existimabant eos corporalium pœnarum timore velle ad fidem catholicam trahere vel compellere. Ita sanctus Augustinus quondam opinatus fuerat: postea tamen experientiâ edoctus rem attentiùs consideravit, utriusque partis momenta accuratè perpendit, et tandem concludit multoties pœnis corporeis à legitimâ potestate affligi hæreticos non iustum modò esse, sed et Ecclesiæ et ipsis etiam utilissimum. Utile, inquam, ipsis, ut hac ratione catholicorum argumenta et doctrinam accuratiùs considerent, et ad veritatis cognitionem faciliùs perveniant; atque etiam ut ab amicis hæreticis se expediant, et eorum odium contemnant. Legendus omninò est de hac gravi quæstione sanctus Augustinus (*ib. n.* 466 *ad* 472).

§ XLVII. Idem sanctus Parens magno rationum pondere demonstrat omne mendacium esse illicitum, potissimè tamen in rebus ad religionem spectantibus : et quicumque libros Augustini *De mendacio* et *Contra mendacium* legerit, et quæ eâdem de re alii Patres scripserunt, mirari satis non poterit quorumdam auctorum aut ignorantiam aut malitiam, qua etiam Sanctis Patribus doctrinâ illustrioribus tribuunt illum quorumdam monachorum simplicium errorem, qui in obsequium pietatis aliquando licitum esse mentiri adseruisse videntur. Sed neque sine insigni contra Sanctos Patres calumniâ dici potest, aut iuramentum omne secundùm eorum placita esse illicitum, aut irritas secundas et posteriores nuptias *(ib. n.* 473 *ad* 482 *)*.

§ XLVIII. Ardenti corrigendorum morum studio acti Ecclesiæ ministri christianis omnibus summum in publica spectacula horrorem inspirare satagebant : servorum miseram sortem allevare : infantibus expositis providere : omnis generis pauperibus subvenire ; et familiarum paci invigilare. Ad publicam Ecclesiæ tranquillitatem opportunissima indulgentiæ ac christiani obsequii monita, atque mirabilia prudentiæ et magnanimitatis exempla præbebant. Erant quoque stupendæ quorumdam fidelium, præsertim monachorum, vitæ austeritas, et voluntariæ corporum afflictationes : quas levissimas ac suaves etiam reddebat æternarum veritatum consideratio, præcipuè ultimi iudicii, et ignis inextinguibilis, quem neque naturâ impossibilem esse, neque Deo vindice pœnam parùm dignam facilè cognoscebant et acriter tuebantur *(ib. n.* 483 *ad* 492 *)*.

§ XLIX. Et his conclusa maneat doctrinæ et disciplinæ Ecclesiæ in celebriori illius ætate brevissima synopsis. Ex qua facilè colligetur, etiam quod ad disciplinam attinet, apprimè in rebus gravibus antiquos usus usibus nostri temporis respondere. Quod verò doctrinam spectat, si quæ hìc indicata sunt cum his comparentur quæ Apostoli aliique sacri scriptores edocebant, et cum iis etiam quæ nostri temporis catechismi continent, et in ecclesiis doceri et observari cernimus,

necessariâ ac promptâ deductione conficietur doctrinam ætatis secundæ eandem omninò fuisse quam Apostoli tradiderant ; et doctrinam quam nunc Ecclesia catholica tenet eandem omninò esse quam Apostolorum ætate, et ætate secundâ tenebat *(ib. n.* 493 *)*.




ERRATA CORRECTA.

Pag.	Lin.	Errata	Correcta
5	37.	in Athenis,	Athenis, in
7	17.	offendebantur	offundebantur
13	24.	tum	tam
14	35.	factus	factum
19	13.	accidernit	acciderint
21	23.	filium	filiam
31	25.	observantur	observatur
45	21.	*canonica*	*catholica*
54	6.	statui	statûs
66	1.	interrogati	interrogatos
110	27.	malâ	malè
175	36.	rliquorum	aliquorum
177	penult.	ad eos	et eos
185	8.	cultui	cultu
188	7.	qued	quod
193	20.	morte	morti
206	35.	pessimas	pessimos
213	36.	vasibus	vasis
258	34.	contractant	contrectant
285	3.	monehàt	monebat
294	31.	falsissime	falsissima
309	33.	Plura	Plures
334	12.	quæ	qua
335	9.	cum	eum
341	22.	*Pax nobis*	*Pax vobis*
342	34.	iustâ causâ	iusta causa

INDEX

SUMMARII HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ.

TOMUS PRIMUS.





600157915

i 24752204

80

AMAT.

ECCLESIÆ

J.-CHRISTI

I

58


colorchecker CLASSIC
calibrite
mm